CONCIONES
Siue
CONCEPTVS THEOLOGICI, AC PRÆDICABILES,

De quatuor Hominum nouiſſimis.

QVI QVIDEM SACRI ADVENTVS QVATVOR HEBdomadis accommodati: Sed &

CONCIONVM FVNEBRIVM
materiam abundè ſuppeditant:

AVTHORE
R. D. PETRO BESSÆO, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,
Regis Chriſtianiſſ. Galliarum, &c. Oratore.

Opus nouum, Figuris, Allegoriis, Similibus ex Sacris profaniſq; Scriptoribus pleniſſimum, cum occurrentium fidei controuerſiarum tractatione.

Tomus Quartus.

Studio D. MATTHIÆ MARTINETZ, Latine traducti, & emendatius editi.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus IOANNIS KINCHII, Anno M. DC. XXIX.

Digitized by Google

APPROBATIO.

NOs infra ſcripti Doctores SS. Theologiæ in alma Vniuerſitate Pariſienſi, deputati à dicta Vniuerſitate ad legendum, examinandum, & viſitandum libros, notum facimus legiſſe & viſitaſſe Conceptvs Theologicos ſuper quatuor hominis nouiſſima, &c. Authore M. Petro de Besse, Doctore dictæ facultatis, neque in eis quidquam reperiri, quod Sacris litteris, Canonib. & traditionibus Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ Rom. contrarietur, ſed ob inſignes conceptus, meditationeſq; eruditione & pietate pleniſſimos, dignos, qui prælo mandentur. Datum Pariſiis, 1. Iulij, Anno 1616.

A. Soto.

Io. Dauid.

CARMEN ad Librum.

QVid portat nouus hic noui libellus?
Inſtructore nouo, nouo paratu,
Donatus nouiter latinitate.
Antiquiſſima continet nouorum,
Et nouiſſima continet nouorum,
Quæ currente die nihil ſeneſcunt,
Sed priſcis noua patribuſq; auibuſq;.
Et ſeris noua filijs videntur:
Nam Nouiſſima ſunt Nouiſſimorum.

ALIVD.

IAmne iterum volucres cœlo venêre quadrigæ.
Et via ſidereis panditur alta iugis?
Flammea Thesbyten rapuere vehicla, ſed ô quid?
Falſi retrogradas credimus ire rotas?
Eſt nouus hic currus, faber & nouus, inſide vector
Vt nouus à Beſſo ſede locere noua.

ALIVD.

QVis tantas fieri putet quadrigas?
Aut molem quatuor ſtrui rotarum?
Per terram ac tumulos vagatur vna,
Immitti fodiens ſepulchra cantho.
Currit per medias ſecunda nubes,
Anceps iudicij vehens tribunal.
Carnes tertia conterit ſub Orco,
Flammarum tribulis, rubiſq; mixtas,
Quæ quarta eſt, areas poli pererrat,
Triturans patientiæ ſementem.

I. T.

ARGV-

ARGVMENTA IN CONCIONES ADVENTVALES DE QVATVOR hominis nouiſſimis.

Dominica 1. Aduent.

TOta Concio eſt de memoria Mortis, in qua primum proponit, quomodo Deus iuſſerit Iudæis vt cineres animalium immolatorum loco mũdo reponerẽt, qui variis immunditiis tollendis deſeruirent, nullam aliam ob cauſam, quam vt hoc modo deſignaret ac doceret, mortis recordationem eſſe frænum, quo homines à peccatis coerceantur. Narrat deinde Principum quorundam exempla, qui mortalitatem ſuam varijs modis ſibi ob oculos poni curarunt. Poſtremo varios affectus eius relati declarat.

Feria 2. poſt Dom. 1. Aduent.

In hac tractatur, quid ſit ipſa mors, variiſque rebus, vt aſpidi, latroni, furi, tortori, & duci caſtrenſi comparatur, mundus autem prato florido, & ſyluæ ſimilis ponitur. Varia deinde epitheta mortis & tituli proponuntur, deq; eius potentia multa dicuntur, quodque Deus non ſit eius autor, ſed peccatum, multis probatur.

Feria 3. poſt Dom. 1. Aduent.

Cauſa mortis requiritur ac aperitur. Cumq; multi eam hominibus agnatam crediderint, concludit non fuiſſe morituros nec corpore, nec anima, niſi peccaſſent, ideoque ſolum peccatum eſſe mortis cauſſam. Digreſſione deinde facta, multa de fœlicitate ſtatus innocentiæ & hominis creatione differit, & de miſeria eius agit, in quam poſt peccatum perpetratum delapſus eſt.

Feria 4. poſt Dom. 1. Aduent

Hominem per peccatum gratia Dei deſtitutum, jam neceſſario morti eſſe obnoxium, nullumq; aduerſus eam eſſe priuilegium, eo quod ex contrarijs elementis cum conſtet, naturaliter etiam morti ſubiectus ſit, ideoq; neminem prorſus ab ea eſſe immunem.

Feria 5. poſt Dom. 1. Aduent.

Mortem nemini ſuum aduentum ante denunciare, ſed proditorie inſtar furis & latronis hora incerta aduenire. Agit deinde de præparatione ad eam, ne poſſit eſſe pernicioſa, quod exemplo lupi eleganter probat.

Feria 6. poſt Dom. 1. Aduent.

Proponit ea, quæ moribundis euenire ſolẽt, corporis nimirum varios dolores, peccatorum acerbam memoriam, dæmonum horribiles aſpectus, ipſiuſq; etiam animæ afflictiones, quæ omnia talia ſunt, vt Chriſtus ipſe licet innocens, animam tamen Patri ſuo cœleſti commendauerit.

Sabbato poſt Dom. 1 Aduent.

Vtcumq; hæc dicta ſe habeant, mortem nihilominus non eſſe metuendam declarat, ſed piis, quibus ſit quaſi carceris cuſtos, & aditum iis faciat ad fœlicitatem æternam, ac proinde optandam, quod exemplis etiam gentilium confirmat.

Domin. 2. Aduent.

Extremi iudicii memoriam ſemper in mente habendam, exemplum Anachoretæ cuiuſdam & S. Hieronymi docet, eiuſq; rei vtilitatem pluribus proponit

Digitized by Google

Feria 2 poſt Dom.2. Aduent.

De ſignis quæ antecedunt iudicium extremum, in Sole, Luna & ſtellis diſſerit, eiuſque rei rationem prolixe reddit. Exponit autem & myſtice hæc ſigna de Chriſto, Sole, Luna B. Virgine, & ſtellis ſeu Sanctis.

Feria 3. poſt Dom 2. Aduent.

Declarat quam horribilis futura ſit dies iudicij, quales eam præceſſuræ tempeſtates, vt dies belli idcirco vocari poſſit ac nocti comparari.

Feria 4 poſt Dom.2. Aduent.

De ipſo iudice Chriſto, Deo & homine agit, qui tunc erit terribilis valde, ac proinde primus eius aduentus cum hoc ſecundo comparatur, & vtriuſque quanta ſit differentia oſtenditur. Deinde de cruce in iudicio apparitura, & impiis terrifica & aduerſaria diſſerit.

Feria 5. poſt Dom.2. Aduent.

Omnes omnino homines in judicio comparituros ſupra vallem Ioſaphat in aere, etiã paruulos ſine baptiſmo mortuos.

Feria 6. poſt Dom. 2. Aduent.

De ſeueriſſimo examine quo iudicandi examinabuntur, agit, in quo Chriſtus Ludimagiſtro ac Doctori, iudicandi vero ſtudioſis per claſſes diſtributis comparantur, deq; examine Religioſorum, Sacerdotum & aliorum agitur.

Sabbato poſt Dom.2. Aduent.

Agitur de ſententia poſt examen peractum, primum in pios, deinde in impios proferenda. Deumque proniorem ad præmia quam ſupplicia inferenda oſtendit. Pauca deinde de igne infernali & æterno diſſeruntur.

Domin.3. Aduent.

Cogitationem infernalium ſuppliciorum nõ modo neceſſariam, verum etiam vtiliſſimam eſſe declarat, eo quod potentiſſime homines à vitijs abſterreant. Contra vero eorum obliuionem cauſam eſſe plurimorum peccatorum.

Feria 2. poſt Dom.3.

De quinque locis ſeu animarum receptaculis poſt hanc vitam agit, nimirum de cœlo, inferno, lymbo Patrum, paruulorum ſine baptiſmo aut circumciſione mortuorum, & purgatorio.

De ipſo autem inferno diſſerit teterrimum eſſe & horribiliſſimum, eumq; ſub terra.

Feria 3. poſt Dom.3.

De ipſis inferni tormentis agit, miſerrimoq; damnatorum ſtatu, quorum quidam grauius cruciabuntur, quam ipſi dæmones.

Feria 4. poſt Dom.3.

De pœna ſenſuum diſſerit, quos omnes grauiſſime torquendos demonſtrat. Deinde de igne infernali, & quomodo in animam agat prolixius diſputat; quodq; dæmones nunc non omnes ſint in inferno, poſt iudicium tamẽ omnes illuc ablegandi, etſi etiam nunc non ſint ſine tormentis.

Feria 5 poſt Dom.3.

De damnatorum miſeria, ob grauiſſimam pœnam damni agit, & de verme conſcientiæ.

Feria 6 poſt Dom.3.

De æternitate infernalium pœnarum diſputat, & oſtendit omnino nunquam finiendas, nec vllam ſpem redemptionis ſupereſſe damnatis contra Origenem, qui olim contrarium ſenſit. Eſſe igitur æternitatem pœnarum infernalium articulum fidei, & æquiſſimam. Poſtremo agit de eo, quomodo damnatorum corpora non conſumantur aut corrumpantur in igne.

Sabbato poſt Dom.3.

De damnatorum infelici ſorte, quorum numerus ingens ſit, & nullis viuorum precibus iuuari poſſint, nec vero viui pro ijs orare debeant.

Dom.4. Aduentus.

Gloriam cœleſtem mente comprehendi non poſſe, eiuſq; memoriam efficax eſſe remedium contra peccata, & quoſcunq; labores huius vitæ, idque exemplis Moyſis & S. Stephani probatur.

Digitized by Google

Feria 2. poſt Dom. 4.

Cœli ſitus deſcriptio, nomina, & amplitudo, itemque pulchritudo prolixe & pulchre depingitur.

Feria 3. poſt Dom. 4. Aduent.

Agitur de Beatis, eorumq; fœlici ſorte, quam tria commendabilem faciunt Gaudia cœli æterna eſſe, vnde beati excidere nunquã poſſint, cum peccare non poſſint, contra Origenem. Non eſſe omnium beatorum eandem gloriam, quod procedit ex aureolis, quæ nonnullis Sanctorum datæ ſunt, deque ipſis aureolis diſputat.

Feria 4. poſt Domin. 4.

Beatorum gloriam conſiſtere in viſione diuinæ maieſtatis, ad quam gloriæ tamen lumen neceſſarium, cuiuſque excellentia in duobus conſiſtat. Hinc fieri vt Sancti nihil ignorent, & cognitio illorum quotidie creſcat, & quomodo id fieri poſſit.

Feria 5 poſt Domin. 4.

De corporum beatitudine Chriſti Humanitatem apertiſſime à Beatis videndam fore. De corporum reſurrectione, & qualis illa futura. Non fore in cœlo cæcos', aut claudos, aut vitioſos. De quatuor dotibus glorificatorum corporum.

Feria 6. poſt Dom. 4.

Cœleſtem gloriam longiſſime ſuperare omnes mundi delicias, cum mundus hic nil ſit niſi inopia, & punctum tantum ſi cœlo cõferatur, nec animam ſatiare poſſe. Plura deinde de mundi vanitate, & cœli pulcritudine addit, cum anacephalæoſi dictorum quatuor Nouiſſimis.

Digitized by Google

INDEX LOCORVM PRÆCIPVORVM S. SCRIPTVRÆ, QVI HOC Tomo de quatuor nouiſſimis explicantur.

GENESIS.

CAP. 2. In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris fol. 28
2. Erat vterq; nudus, & non erubeſcebat. 30.
3. Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos 31
Puluis es & in puluerem reuerteris. 42
36. Deſcendam lugens ad filium meum in infernum. 185

EXODI.

CAP. 23. Sex annis ſeres agrum tuum, ſeptimo Sabbatum terræ erit 111
34. Signa faciam quæ nunquam viſa ſunt ſuper terram. 93

DEVTERONOMII.

CAP. 32. Congregabo ſuper eos mala, &c. 116

REGVM.

CAP. 16. lib. 2. Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur 47
CAP. 5. lib. 4. Obſecro, concede mihi ſeruo tuo vt tollam onus duorum burdonum. 10
33. Diuidite infantem viuum, &c. 260
36. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron. 253
10. Diſpone domui tuæ, quia morieris 64

ESDRÆ.

CAP. 4. lib. 4. Menſura mihi flatum venti. 6

IOB.

CAP. 4. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines 108
7. Nec aſpiciat me viſus hominis 123
14. Omnes greſſus meos dinumeraſti. 148
16. Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei 95
ibid. Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum. 173
21. Si repente interroget, quis reſpondebit ei. 58
26. Columnæ cœli pauent & contremiſcunt, &c. 99.
30. Scio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti. 5

PSALM.

PSAL. 4. Filij hominū vſq; quo graui, &c. 244.
10. Pluet ſuper peccatores laqueos. 190
17. Diligam te Domine virtus mea. 66
17. Circumdederunt me dolores mortis. 166
22. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſ. 23
26. Credo videre bona Domini 46
28. Vox Domini præparantis ceruos. 170. 203.
31. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus. 70
31. Veruntamen in diluuio aquarum multarū. 157
33. Mors peccatorum peſſima. 75
42. Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam. 121
48. Audite hæc omnes gentes 90
49. Deus noſter manifeſte veniet 127
50. Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. 30.
54. Tu vero Deus deduces eos in puteum inter. 183.
57. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. 128.
55. Ipſi calcaneum meum obſeruab. 71
64. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. 248.
71. Deus iudicium tuum regi da. 121
72. Mei autem pene moti ſunt pedes. 188
75. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi 40
76. Cogitaui dies antiquos & annos æter. 144
77. Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus 128
81. Ego dixi Dij eſtis, &c. 128
83. Melior eſt dies in atriis tuis ſuper millia. 253.

87. Nun-

87. *Nunquid mortuis facies mirabilia* 218
91. *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens* 114
101. *Defecerunt ſicut fumus dies mei* 81
114. *Conuertere anima mea in requiem tuam.* 237
118. *Quando facies de perſequentibus me iudicium* 54
ibid. *Confige timore tuo carnes meas.* 89
125. *In conuertendo Dominus capt. Sion.* 235
129. *Si iniquitates obſeruaueris Domine.* 148
142. *Memor ero dierum antiquorum.* 144
147. *Lauda Ieruſalem Dominum.* 250
149. *Exultationes Dei in gutture eorum.* 106

PROVERBIORVM.

CAP. 33. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* 84.

CANTICORVM.

CAP. 21. *Naſus tuus ſicut turris Libani.* 171
6. *Bibite amici & inebriamini.* 248
8. *Fortis vt mors dilectio.* 22

ECCLESIAST.

CAP. 7. *Fecit Deus hominem rectum* 30
44. *Enoch placuit Deo & translatus eſt.* 49

ISAIÆ.

CAP. 3. *Dicite iuſto quoniam bene.* 253
26. *Sicut quæ concepit cum appropinquauerit ad partum* 169
30. *Ab heri præparata eſt Topheth, &c.* 183.
33. *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante.* 177.
41. *Viderunt inſulæ & timuerunt* 95
64. *A ſeculo non audierunt, neque auribus, &c* 242

EZECHIELIS.

CAP. 7. *Finis venit, venit finis, ecce immittam furorem, &c.* 113
Oſſa hæc vniuerſa domus Iſrael eſt. 41
9. *Percutite ſenes & iuuenes, eos vero qui ſuper frontem habent ſignum Thau non percutiatis.* 5

DANIELIS.

CAP. 7. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce filius hominis veniebat* 119
Libri aperti ſunt, &c. 148
Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus. 25

IONÆ.

CAP. 4. *Et parauit Deus vermem aſcenſu diluculi* 24

MICHEÆ.

CAP. 1. *Vadam ſpoliatus & nudus* 27

NAHVM.

CAP. 3. *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam.* 153.

IOELIS.

CAP. 2. *Stellæ retraxerunt lumen ſuum.* 106
Dabo prodigia in cœlo & terra ſanguinem, &c. 96.

MATTHÆI.

CAP. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* 7.
7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, &c.* 210
21. *Virtutes cœlorum mouebuntur.* 99
24. *Si ſci et paterfamil. qua hora fur ven.* 56
25. *Eſtote parati, quia neſcitis diem neq; horam.* 58
Venite benedicti, ite maledicti. 160. & ſeq.

MARCI.

CAP. 6. *Putauerunt ſe phantaſma videre* 78

LVCÆ.

CAP. 11. *Si ego in Beelz: bub eijcio dæmonia, filij veſtri.* 122
12. *Sint lumbi veſtri præcincti.* 59
Cum vadis cum aduerſario tuo ad iudicem, &c. 215
21. *Virtutes cœlorum mouebuntur.* 99
22. *Factus in agonia prolixe orab. & factus eſt ſudor eius ſicut, &c.* 70

IOANNIS.

CAP. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo, &c.* 25
1. CAP. 4. *Deum nemo vidit vnquam.* 302
1. CAP. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum.* 261

ACTORVM.

CAP. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta.* 109

I. CORINTH.

CAP. 1. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.*

4. Habe-

Digitized by Google

4. *Habentes theſaurum in vaſis fictilibus.* 44
5. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit.* 235
8. *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus.* 121
1.Corinth.15. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.*
Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. ibid.

II.CORINTH.

CAP.5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti.* 133
9. *Qui parce ſeminat, parce & metet.* 256

EPHESIOS.

CAP.1. *Vt ſciatis quæ ſit ſupereminens, &c.* 138.

HEBRÆORVM.

CAP.9. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* 48.
12. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* 165

APOCALYPSEOS.

CAP.3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, &c.* 250.
4. *In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos, &c.* 249
6. *Cum aperuiſſet ſigillum ſextum, Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus.* 100
10. *In diebus ſeptimi Angeli cum cœperit tuba, &c.* 98.
12. *Ecce draco magnus & rufus habens, &c.* 23
14. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem, &c.* 19
20. *Et vidi mortuos magnos & puſillos.* 142

CONCIO-

Digitized by Google

CONCIONES

Siue,

CONCEPTVS THEOLOGICI DE QVATVOR HOMINIS NOVISSIMIS.

DE MORTE,

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

DE MEMORIA MORTIS.

Partitio.

I. *De nonnullis memoria mortis effectibus.*
II. *Memoranda mortis neceſſitas è ſacris potiſſimum ſcriptis aſtruitur.*
III. *Inſtituta priſcorum ad mortis memoriam recolendam apta.*
IV. *De vtilitate eiuſdem quoad peccata.*
V. *Ad contemptum mundi.*
VI. *Itemq; ad alia complura.*

Memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis. Eccleſ.7.

FIGVRA.

MAGNVS ille Deus, cuius eſſe infinitum eſt, cuius potentia penitus admirabilis, Iſraelitis in deſerto Sinai cōmorantibus olim præcepit, vt animalium à Deo immolatorū cineres coaceruarentur & loco mundiſſimo extra caſtra aſſeruarētur: qui cineres dum aqua viua aſpergebantur, omnem immunditiam, contagionem & ſpurcitiam auferebant, & quicunque immundi erant his cōſperſi expiabantur. In myſterii huius vmbra plenum puræ veritatis lumen videor intueri, firmiterque mecum ſtatuo, magnum illum pictorem fictoremq; nigra figuræ huius fuligine, pallorem & triſtem mortis imaginem depingere, atq; edocere voluiſſe, nobis q̄diu in deſerto, & vaſta mundi planitie commoramur, pallidæ huius Parcæ cineres eſſe coaceruandos, inque anima velut in loco mun-

eo mundiſſimo, cuſtodiendos: qui cineres viua lacrymarum aqua macerati, tantæ virtutis ſunt, & energiæ, tantiſq; prodigiis pollent, vt omnia mundēt & expient, ipſa quoque peccata, quæ mortalium conſcientias velut lepra quadam inficiunt, auferant. Fuit hoc, Auditores, magni Dauid conſilium, quod ipſum & mihi materia futurum eſt, quam vobis in Aduentus huius theatro ſpectandam proponam, cuiuſque ſplendorem ac magnificētiam omnibus vobis patefaciā. Hæc namque vnica in tota ſacræ Scripturæ officina, huic potiſſimum tempori congruere viſa eſt. Et quoniam ſacrum hoc tempus quatuor ſeptimanas continet, quatuor quoque diuerſis tractatibus eaſdem diſtinguemus. Primus futurus eſt de morte, adeo vt nonniſi lachrymas, luctum, funera; mortem denique ipſam ſeptem hi dies complexuri ſint. Alter de iudicio horrendo, terribili, & formidabili, in quo nonniſi ſeuera decreta, atroces ſententiæ, horrendæ caſtigationes, ac rigida examina & diſcuſſiones audientur. Tertius vero de pœnis Infernalib. qui præter ignes, ſupplicia, æternitatem, diabolos, aliud non continebit; atque in iis tertia ſeptimana finietur. Quartus denique futurus eſt iucundiſſimus, qui gaudia, gloriam, cæleſtium iubilationes ac beatitudinem ſempiternam decantabit. Egregia & locuples profecto materia, & de qua latiſſimus mihi dicendi campus aperitur. Erit hoc & ad docendum, & ad permouendum peridonea, & ad quam vos omnes ſedulo & ex animo inuito, adeo vt, ſi in conueniendo frequentes & aſſidui, in audiendo vero attenti ſitis, ipſe meo non ſim officio defuturus, ſed omnem daturus operam, vt veſtræ de me exſpectationi, conceptæq; opinioni ſatisfaciam. Equidem de felici rei ſucceſſu nullus dubito, ſed plane confido, modo Paraclitus Spiritus ſanctiſſimo auxilii ſui afflatu, cymbam hanc per procelloſum hoc æquor dirigere, ac glorioſiſſima Deipara, Doctorum omnium cynoſura, ſingulare Eccleſiaſtarum refugium, ac mortalium omnium tutela ac præſidium, ope ſua eandem propellere, non dedignentur. In hunc itaque finem illi mea vota, deſideria, petitioneſque libens merito do dedicoque: atque vt efficaciam preces maiorem conſequantur, coniunctis animis ac mentibus Angelica eam ſalutatione ſalutemus, dicentes:

AVE MARIA.

I. *Plut. cõſolat. ad Apollon.*

Lacedæmoniorum rex Pauſanias, cum olim inani quodam ſuperbiæ typho inflatus, in magna hominum frequentia, à Simonide Philoſopho petiiſſet, ſibi vt præclarum aliquod dogma è Philoſophicis ſcriniis depromptum, aut præceptum quoddam memorabile traderet, ad quod & vitam, & mores totamque agendi rationem componeret, Simonides pro ea qua præditus erat prudentia, cognita regis inſolentia, vt eum & modeſtiorem ac ſapientiorem redderet, atque inanes illos faſtus retūderet, ſuadet vt mortem ſemper in animo haberet, ſemperque ſibi proponeret, ſe viuere mortalem, ac proinde variis obnoxium caſibus, & breui moriturum. Quid aliud reſponſo hoc docere Philoſophus voluit, quam nullam legem ſanctiorem, nullum præceptum ſalubrius, nullum ad ſuperbiam, & contumaciam alicuius retundendam efficacius membrū haberi poſſe quam vilitatem originis, ac conditionis humilitatem ei ob oculos ponere, & finem, mortem, ipſaſq; exequias in mentem reuocare?

Oraculum illud Philoſophorum, atque vnus de ſeptem Græciæ ſapientibus Solon, vt ſuperbientes atque Alexandrinos animos compeſceret, inſolentes refrenaret, arrogantes & contumaces intra rationis limitem reuocaret, vnicum medium adhibuit, aureis nimirum litteris, iiſque grandibus auream hanc & vere diuinam ſententiam, templi Delphici foribus inſcripſit, *Noſce te ipſum.* Noſce, inquam, qui ſis, vnde veneris? nam ipſum Nihil tibi pater eſt, limus & lutum tua nobilitas: ac cineres vera tua inſignia. Cogita tibi aliquando eſſe moriendum, atque vnico tantum momento viuendum: cogita te viuēdo mori, ac ſenſim ſine ſenſu ad mortem citato curſu ferri, & cum hinc abieris, in cineres te redigendum. *Solonis ſententia.*

Quia & in ipſo primordio, magnus ille

Deus,

Primum q Deus homini creato verbum locutus eſt, fuit de morte.

Gen. 2. & 3

Deus, qui mundi huius Solon exſtitit, mortis nobis memoriam inculcauit, adeo vt prima quam Adamo omnium diſcipulorũ ſuorum primo tradidit, lectio, mortis ipſius fuerit recordatio, cineres ac ſepulchrũ, dicens: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Ac poſtea, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: funeſtæ huius ac truculentę Parcæ memoriam velut ſtimulum quendam ei ingerens, quę eum à peccando retraheret, ac velut ſpeculum eius oculis obiiciens, in quo vilitatem originis perſpiceret, denique & Alphabetum quoddã illi prælegens, è quo quis eſſet aut qualis, diſceret. O durum ſtimulum! ô ſpeculum pellucidum! ô inſigne ac doctum Alphabetum, quod homines etiam ſtupidiſſimos in ſapientiſſimos Philoſophos commutat!

Veteres mortis memores plurimũ fuêre.

Et ſane veteres Ethnici, quod virtutem toto ſtudio amplecterentur, vitia vero velis remiſque fugerent, ne à recto vnquam iuſtitiæ tramite declinarent, ſemperque honeſtum ac decorum ob oculos haberent, aliud, mihi credatis, calcar non adhibebant, quam vnicam hanc meditationem mortis, neque aliud ſibi proponebant, quam humanæ conditionis inconſtantiam, defunctorum oſſa, crania cineres, adeoque ipſa mortis inſignia. Cuius rei luculenta mihi omnis antiquitas ſuppeditat exempla.

Ælian. lib. 8. var. cap. 15.

Philippus ille Macedonum Rex, de numero illuſtrium veteris ſęculi regum, cum in Cheronea Athenienſes fudiſſet, veritus ne fortaſſe victoria inſoleſceret, aut extra ſtatum mentis raperetur, cum perſpectum haberet, quantæ memoria mortis ad tumentes ac laſciuientes Principum animos refrænandos foret efficaciæ, quendã è pueris mane quotidie ad ſe venire voluit, qui ei in memoriam reuocaret, quod eſſet homo, mortique inſtar cæterorum mortalium obnoxius, atque ideo nihil à ſe humani alienum exiſtimaret.

Zenonis Apophth.

Hinc etiam Zenon Philoſophus dicebat, Reges non ita debere confidere viuentibus, quin quotidie ac ſemper, mortuos, qui in ſapulcris latitabant, in conſilium etiam adhiberent. Innuere volebat, cordati ac prudentis regis eſſe, & inanes mundi delicias ſuſpectas habere, & mortis interdum meminiſſe, quin & à mortuis qui cœmiteria incolerent, de eiuſdem verſutiis inquirere, nam, teſte Eccleſiaſtico, certum eſt, & mortuos loqui, quorum hæc ad nos omnes vox eſt: *Memor eſto iudicii mei, ſic erit & tuum:* hodie mihi, cras tibi.

Eccl. 38.

Ptolomæus Rex mortis imaginẽ in menſa habebat.

Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex, is, inquam, qui luculentiſſimam ac lectiſſimis inſtructam libris Bibliothecam Alexandriæ inſtituit, inter medias epulas triſtem mortis imaginem, ac mortui cranium ſemper ad latus habuiſſe fertur, atque hanc à miniſtris interdum vocem in menſa repeti iuſſiſſe: Inſpice Rex & vide, ac cogita tecum, eum cuius hic oſſa & caluariam vides, talem olim, qualis tu modo, extitiſſe, ac venturum aliquando tempus quo tu ei futurus es ſimilis, tuaque caluaria pari ratione menſis regum inferenda. Egregium hocce Ptolomæi factum laudabilem mihi & aliorum Ægyptiorum conſuetudinem, reuocat in memoriam, quibus ſolemnẽ erat, cum genio hilarius indulgerent, ac publicum epulum inſtruerent, mortis imaginem per omnes conuiuas à ſummo ad imum inferre, hac addita ſententia, ô vos omnes qui huc ad hilariter bibendum cõueniſtis, mortis iamiam imminentis nolite obliuiſci, atque ideo triſtem hanc eius imaginem contemplamini; hæc vos commonefaciat venturum aliquando tempus, quo huic ſimiles eritis. O factum bene! O ſanctam ac vere laudabilem conſuetudinem! Audite maiora.

Plut. in conuiuio ſept. ſapientum.

Cum magnus Tartarorum Cham regni ſolium conſcendit, ipſo inaugurationis die quo ab omnibus Rex ſalutatur, ſummus regni Sacerdos ac totius Religionis apud Tartaros Pontifex, inter cæteras, quibus eum officii commonefacit exhortationes, mortem ei ob oculos ponit, inuitatque vt è terra ſe ortum meminerit, quin & cœlum intueatur, cuius compotem ſe futurum aliquando ſperaret, denique vt mortalem ſe eſſe agnoſceret, vitamque ſibi perennem minime reſponderet. Idem pene de Imperatoribus Conſtantinopolitanis refert Neontius Epiſcopus Neapolitanus: hi enim

In Vitis Patr.

Digitized by Google

cum regnum adirent, & totius populi applauſu gratulationeque exciperentur, varii eos accedebât marmorarii, diuerſa marmorum cruſta demonſtrantes, ab eiſque petebant, è quo tandem marmorum genere ſacra ſibi Cæſarea maieſtas ſepulchrum extrui vellet. O conſuetudines dignas & laudabiles!

Lib. 7. in vita Zenonis. Quin & Dii ipſi ſanctam hanc mortis memoriam omni ratione animis mortalium inſculpere conati ſunt: nam de Zenone Philoſopho, quem paulo prius in ſcenam produximus, refert Laertius, eum, cum quondam ab Apollinis oraculo ſciſcitatus eſſet, ecqua ratione vitā honeſte inſtitueret, mores componeret, vitia fugeret, virtutes conſectaretur, & quonam modo vitæ tempus cum honore traduceret, hoc ex adytis reſpōſum accepiſſe, vt mortuos conſuleret, ab iis quid ſibi agendum foret, inquireret, eorum ſibi ſchema & colores circumaptaret. Dum hoc Delphici Dei oraculum maturius mecum voluo ac diligentius excutio, videtur veridicus ille Deus eū, ac poſt illum omnes omnino mortales, docere voluiſſe, vnicum ad vitam ſancte laudabiliterque ducendam, diemque extremum in ſumma felicitate claudendum, medium eſſe, mortuos in conſilium adhibere, ac feralem illam Parcam, mortem, inquam inexorabilem, ante oculos habere.

S. Baſil. ſibi mortis memoriam refricari volebat. Sed iam ſatis ſuperque profanis hiſtoriis inhæſimus, tempus & ratio poſtulare videntur, vt & ſacræ quædam producantur. Magnus ille Baſilius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, doctiſſimus iuxta ac ſanctiſſimus, agmen ducat, hic namque in ſolemnitatibus maioribus, quando ex officii prę̨ſcripto magnificentiam quandam & pompam præ ſe ferebat, ne fortaſſis inſoleſceret, domeſticorum ſuorum cuipiam mandabat, ſibi vt in mediis honoribus in aurem mordicus diceret: Mortem cogita Pater, ac ſepulchrum perfici iube. *Item Ioannes Epiſcopus Alexandrinus.* Huic ſuccedat Ioannes Epiſcopus Alexandrinus propter inſignem in pauperes propenſionem cognomento Eleemon qui ſexto poſt Chriſtum natum floruit ſæculo: idem prorſus hic legitur feciſſe. Statim enim vt ad Epiſcopatus dignitatem peruenit, mortis lectionē cœpit ediſcere, quam vt melius comprehēderet, tumulum extrui mandauit, at nunquam perfici, idque ea de cauſa, vt cum quotidie ab eo peteretur, quādo tandē eum perfici vellet, ſemper illi mors in mentem reuocaretur, ac ſe mortalem eſſe cogitaret.

Iterum ad profanos delabor, laudabile Seueri Imperatoris factum propemodū oblitus, hic namque cum viuo ſibi loculum conſtrui iuſſiſſet, eidem ſe ſæpius includebat, quem & amplectendo exoſculandoq; his verbis alloquebatur: Tu ô locule anguſtiis tuis complecteris eum quem orbis totius amplitudo nequit complecti. Teſtes hic habeo Dionem Nicæum ac Xiphilinum in eiuſdem vita.

Ex hac igitur longa exemplorum enumeratione manifeſtū redditur, quam frequens apud maiores noſtros mortis meditatio fuerit, & quo potentiſſimi Principes ac Viri ſanctitate celebres atque omnes pæne mortales, in eam affectu fuerint. Sane ipſe Salomon Prophetarum omnium Rex, ac Regum Propheta, aſſiduam mortis meditationem tanti ſemper fecit, vt firmiter crederet, totique adeo mundo perſuadere conatus ſit, illam ſolam ad virtutes animo inſerendas, ac vitia exſtirpanda poſſe ſufficere. Verba eius audiamus: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis* *Eccleſ. 7.* Materiā hanc in duas partes diſpertiar, prima dicet, quam neceſſe ſit nouiſſimorum, ac præſertim mortis, perpetuo reminiſci, altera vero quantam ſecum ſancta hæc meditatio vtilitatem trahat quę duo vbi pertractauero, omnium veſtrum me vtilitatibus abunde velificatum exiſtimabo, vos modo benignas aures accommodare.

II. *Mortis meditatio homini ad ſalutē neceſſaria eſt.*

Principio igitur ipſa aſſidua mortis meditatio in tantum homini Chriſtiano neceſſaria eſt, vt S Ioannes Climacus doctrina & ſanctitate illuſtris, eam omnium virtutum, totius vitæ ſpiritualis piorumque exercitiorum baſim ac veluti fundamentum appellare non erubuerit. Diuinus quoque Plato, Ethnicus licet, Philoſophus alioquin præſtantiſſimus, idipſum, licet verbis paulo ſplendidioribus, expreſſit, ait enim medi-

meditationem mortis ſublimem quandam Philoſopiam poſſe nuncupari. Si vero ex eiuſdem ſententia, Philoſophia ad reipubl. adminiſtrationē inprimis requiritur, quam neceſſaria igitur ad ſalutem animorumque integritatem conſeruandam, ſublimis illa Philoſophia, mortis, inquam, memoria, dicenda eſt? Ad hæc tanta in rebus naturalibus finis ipſius neceſſitas eſſe perhibetur, vt cum Phyſici omni in re primum eſſe dicere non vereantur: vt quamuis in executione operis poſtremus, in intentione tamen & mente ſit primus. Mors autem cum omnium rerum ſit extremum atque linea vltima, in omnibus actionibus noſtris prima ſit, ac Principem in cunctis operibus locum teneat neceſſe eſt.

Mortis memoria in actionib. noſtris prima eſſe debet.

Simile.

Nam quemadmodum nauclerus, cum in mediis tempeſtatibus nauem dirigit & moderatur, in puppi, quæ extrema nauis pars eſt, conſidet, non ſecus & homo, qui mundi huius oceanum enauigat, quo debite ac recte vitæ nauem dirigat non in prora & ortus ſui principiis conſidere debet, vetuſtatem ſcilicet ac nobilitatem ſtemmatis, maiorum decora, proauorum titulos & auitas imagines admirando, neue etiam in medio, mediæ nimium æſtati abblandiendo, honores ac dignitates diuitiarumque affluentiam ſuſcipiendo, ſed in puppi, mortem ac nouiſſima in mentem reuocādo. Hic igitur te conſtitue, ô homo, & ex illo ſpecula *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Accedit huc, quod Deus Optimus Maximus, iam ab ipſo mundi primordio, hanc mortis meditationem adeo homini neceſſariam iudicarit, vt vix nata fuerit mors, quin eius ſtatim inſignia Adamo protoplaſto adaptarit, *Fecit Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas*: vt quemadmodum mortis colorem, & inſignia ad lumbos geſtarent, ita quoque eiuſdem memoriam animo infixam gererent. Deinde idem ipſe Deus, vt profundius adhuc auguſtam, & regiam hanc mortis recordationem cordis humani laminæ inſculperet, in veteri lege ſanciuit, vt altare cineribus mundaretur, omniaque vaſa in Sacrificiorum vſum deputata mortuorum animalium pellibus conueſtirentur. Audite Codicis textū: *Sed & altare mundabunt cinere, & cuncta vaſa altaris operient ſimul velamine hiacynthinarum pellium.* Quid porro aliud altaria hæc, hæ pelles, cineres ac vetera illa ornamenta declarant, niſi corda noſtra, quæ ſunt veluti ſacra quædam Spiritus ſancti altaria, in quibus ſacrificium laudis offertur, ipſa mortis recordatione eſſe decineranda, atq; omnes eorum facultates, quæ inſtar vaſorum ſacrorum ſunt, pellibus & exuuiis cœmiteriorum, id eſt, mortuorum cadauerum inſpectione, cooperiendas:

Gen. 3.

Num. 4.

Huc etiam facit, quod in Ezechiele Propheta ii, qui ad ſalutem deſtinati ſunt, ſigno Tau (quæ poſtrema alphabeti Hebraici littera eſt) in frontibus ſignati legantur: *Percutite ſenes & iuuenes, eos vero qui ſuper frontem habent ſignum Tau, non interficietis.* Docemur hic, ſi ſaluari ac vindici gladio eripi velimus, animarum frontibus, funeſtæ mortis inſignia, (quæ vltima linea rerum eſt atque vltimus in vitæ Alphabeto character) inſculpenda. Hinc Elias Propheta zona è mortui animalis pelle parata lumbos cingebat, & multis deinde poſt ſæculis præcurſor Domini Ioannes Zachariæ. Erāt hæ zonæ veriſſima mortis iudicia ac notæ: vt hinc diſceremus, mortis memoriam nullo vmquam tempore animo ſeponendam, verum ad ſalutem penitus eſſe neceſſariam, quin & ab ipſo Deo traditam ac iuſſam. Vnde Poeta:

Ezech. 9.

4. Reg. 5.

Matth. 3.

Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.

Et Sapiens: *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Omnes quinetiam, qui in veteri Teſtamento ſanctitate celebres fuēre, mortis meditationem minime neglexerunt, ſed ad vnum omnes nouiſſima ante oculos habuere, ac bellatricem hanc formidarunt. Iob enim, an non in medio calamitatum Domino dicebat: *Scio, quia morti trades me vbi conſtituta eſt domus omni viuenti*, id eſt, certo certior ſum Domine, eſſe mihi aliquando hinc morte decedendum, tributum com-

Iob. 30.

ſoluendum. Hoc quippe mihi ſemper ob oculos errat, in hoc cogitationes & opera collimant, hoc vnum ſpecto, atque ipſa mortis memoria nulla vnquam tempore animo excidet. O propoſitum vere pium ac regium! Sed ipſum Ioſię regis ſanctiſſimi factum non minori admiratione dignum eſt, qui ſancto quodam zelo ſuccenſus omnes quotquot in regno idolorum ſtatuas reperiebat, comminuit, lucos ſuccidit, atque per eorum delubra mortuorum oſſa ſparſit, vt ad eorum conſpectum populus idololatra mortis meminiſſet, inque vitæ emendationem incumberet. Quare age, anima mea, ad imitationem Principis huius, peccatorum idola, quæ in corde tuo profano colebantur, confringe, radices eorum ſuccide, in eorum vero locum oſſa mortuorum conſtitue, vt nouiſſimorum memoriam nullo non tempore animo geras. Sed pergo in cœptis & alios cōceptus depromo, vt ad iugem mortis meditationem ſemper habendam vos adhorter.

4. Reg. 15.

Gen. 50.

Magnus quoque ac prudens Patriarcha Ioſeph, cum iam in extremis eſſet, obnixe fratres rogauit: vt, poſtquam hinc ipſe moriendo emigraſſet, corporis ſui curam gererent, cumque ex Ægypto diſcederent, reliquias ſuas aſportarent. Cur autem hoc eum poſtulaſſe exiſtimatis? niſi vt mortis iis memoriam imprimeret, ac de morte cogitandi, cum mortui fratris oſſa conſpicerent, occaſionem daret, ſeſeque eidem Parcæ, cui frater iam colla ſubmiſerat, obnoxios eſſe exiſtimandi.

4. Eſdr. 4.

Angelus idipſum olim Eſdræ (qui primus Hebræis è Babylone redeuntibus, cum Zorobabel & Nehemia dirutos Ieroſolymorum muros inſtaurauit, ac legem Dei populo prælegit) innuit, cum ait: *Menſura mihi flatum venti.* Porro verbis illis obſcurioribus aliud non deſignatur, quam vt Eſdras ſibi breuem vitæ menſuram proponeret, dies venti inſtar in auras abire, ac inanem quendam fumum euaneſcere: ſecumque cogitaret, ſe, licet hodie byſſo & purpura rutilans incedat, craſtina tamen die terra obruendum: licet hodie ſplendide epuletur ac genio indulgeat, craſtina forſitan die vermes, bufones & lacertas ſaginaturum. Eadem tibi, ô homo, verba hodie quinetiam inculco, amiceque ſuggero, vt nouiſſimorum iugiter memor viuas.

III. Turcarum religioſorū ſuperſtitio.

Quidni? cum & ipſi Turcæ egregia quadam conſtitutione nobis Chriſtianis in hoc præluceant, tradunt enim qui res Turcarum ſcriptis commiſere, apud eos ſuperſtitioſos quoſdam religioſos eſſe, quos Torlaques patrio vocabulo nuncupant, victum oſtiatim emendicantes, magnaque ſeſe inedia macerantes, barbam & cæſariem cute tenus radentes, ſolaque melota circa pudenda tectos, qui apud ſuos magna in veneratione ſunt, atque inter omnes Turcarum religioſos præcipui. His ſolemne eſt, cum bipatentibus ſpeculis per plateas incedere, ac prætereuntibus ingeminare, hæc vt ſpecula inſpicerent, viderent, inquam, quinam eſſent, & quinam futuri ſint, ne ſe proinde extra rationis metam ac præſcriptum abripi ſinerēt, ſed mortalia cogitarent mortales. Quid? Auditores? Mahumetani, ecce, mortis memoriam ſemiſepultam eruunt, ac vos eandem terra obruetis? nequaquam. Sed eos hac in re, non dico, imitamini, ſed longo interuallo antecedite.

Plut. in Lycurgo.

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, referente Plutarcho, iuxta aras ac delubra deorū, mortuos ſepeliri voluit, ſcitis, quamobrem? Vt nimirum, qui templa diis ſupplicaturi intraſſent, mortuorum quoque, eadē opera reminiſcerentur: tantumq; de mortis memoria, quantum de cultu ac veneratione deorum ſoliciti eſſent, an non hæc diuina quędam conſuetudo eſt ab ethnico homine introducta?

Herod. libr. 1. Cic. 1. Tuſc. Mela libr. 1.

Herodotus, Tullius ac Mela Pomponius, apud Perſas, mortuos intra domeſticos parietes ſepelire conſueuiſſe teſtantur, vt qui viuerent ac ſuperſtites forent, eorum ſortem ſemper ante oculos gererēt, atq; illorū quorum familiaritate & pręſentia deſtituti erant memoriā nihilominus conſeruarent, quandoquidem atria ac lares in cœmiteria conuerterent: quin etiam dicere non verebantur, defunctos vita, meliores ac prudentiores magiſtros eſſe, quam viuos. O conſuetudinem

Digitized by Google

dinem plane cœleſtem ac propemodum diuinam.

Laertius. Democritus Philoſophus inter cæteros nobilis, vrbes atque hominum conſortia vt plurimum deuitabat, per cœmiteria ac buſtuaria libentius obambulans: ſciebat enim, qui in Philoſophiæ ſtudio decurrerat, ipſam mortis meditationem, veram ac perfectam Philoſophiam eſſe. O oracula antiquorum! ô viros penitus admirabiles! at vero noſtri Philoſophi, fideles intelligo, an non & longe maiora præſtiterunt.

Andr. Maſi. in vlt. c. Ioſu. Iacobus Edeſſenus ſcriptor apud Syros cumprimis nobilis, & magni Ephraimi olim doctor, memoriæ prodidit, Noachum oſſa primi parentis Adam religioſe in arcam ad ſe recepiſſe: & poſt ſiccatum à diluuio terrarum orbem, illa inter ſuos tres liberos cum orbe ipſo diſtribuiſſe, Semoque, quem anteferebat cæteris, caluariam donaſſe, & cum ea regionem quam Iudæam appellamus. Vtrum hoc apocryphum quoddam cabaliſtarum commentum ſit, modo non diſputo, ſed hoc dico, mirari me, nullam in ſacris litteris mentionem fieri, Noachum aurum aut argentum, aut quidquam ex omnibus mundi pereundis theſauris in arcam intuliſſe, cum tamen oſſa ſecum aſportaſſe dicatur ex traditione, mortem ſcil. cunctis opibus anteponendo, vt nimirum filiorum animis eiuſdem memoriam inſculperet, quam vnam pluris quam omnes theſauros feciſſe eum apparet; quo eam cæteri exemplo illius mortales ſplendoribus ac dignitatibus anteferrent. Probo.

Exod. 13. Dum Hebræi Ægypto egrederentur, ac crudeli ſe iugo Pharaonis eximerēt, omneſque plurimum auri & argenti, reſque alias immenſi pretii ſecum aſportarent, Moyſes totius populi ductor & Princeps, aliud præter oſſa & cineres Ioſeph ſecum non detulit, mortis ſcilicet memoriam ceteris rebus anteponens. Cuius rei accuratam Procopius rationem reddens ait, *Hebræi quia carnalia ſectabantur, iuſſi ſunt mutuo accipere vaſa aurea, & argentea. Moyſes eligit viri iuſti oſſa, quæ præferri immenſis Ægyptiorum theſauris.* *Procop. Gaz. fol. 157.*

Magnus ille Coſmographus Abrahamus Ortelius, qui theatro ſuo toto (quaqua patet) orbe innotuit, in eodem rem ſane admirandam commemorat: Eſſe ſcilicet in orbe gentem, quæ mortuorum oſſa nummorum loco adhibeat, eaque in rerum permutatione, ac neceſſariis emendis vendendiſque auri loco valere atque eadem omnes eorum diuitias eſſe. An non hoc eſt perpetuæ mortis recordari, eamque nullo non tempore ac loco ante oculos habere, cum oſſa auri loco ſint, & velut theſauri aſſeruentur? Imitentur hoc Chriſtiani, eaque quæ mundi ſunt contemnentes, mortem ſemper animo voluant, de eadem agant, loquantur, eam ſomnient, ac nunquam non, velut præſentem meditentur, neque ea non ſecus, ac de theſauro aliquo cuſtodiendo totis viribus contendant, vt hic etiam locum illud Euangelii inueniat, *Vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* *Matth. 6.* Qui enim occultum quendam theſaurum habet, ſemper de eodem cogitando ſolicitus eſt: mors autem, quæ pretioſus quoque theſaurus, obliuione ſepeliri non debet, ſed ſemper animo ac cogitatione voluenda.

Et ſane ita ſe res habet: quin & inter Magorum, qui ex Oriente Chriſtum adoraturi in Bethlehem venerant, theſauros, mortis memoria haud abfuit, inter cætera namque munera obtulerunt & myrrham, quæ mortis ſymbolum dicitur, & in defunctorum ſepulturam adhiberi conſueuit. *Matth. 2.* In quo myſterio deſignatur, heroici cuiuſdam ac magnanimi pectoris eſſe iugem & aſſiduam mortis memoriam, i. e. myrrham, Domino in ſacrificium reſeruare, ac feretri ſemper meminiſſe.

Adhæc, ipſe Dominus ac Redemptor CHRISTVS eandem haudquaquam oblitus eſt. Ipſum enim ſolemnem gloriæ ac triumphi ſui diem mortis memoria voluit adornari, ac quodammodo inſigniri. Sepulchra ſiquidem defunctorum aperuit, atque iiſdem eductos Eliam, & Moyſem in monte Thabor, velut oculatos ſuæ transfigurationis teſtes, adeſſe voluit. Vt hinc diſceremus, ſummos inter honores ac fauſtos populi applauſus, mortis tamen ac cine-

rum

rum recordationem non eſſe abiiciendam, & ad quodcunque tandem honoris, qui per montes exprimitur, faſtigium ſuſtollamur, mortis ac defunctorum nihilominus memores nos eſſe oportere.

Quare age, Chriſtiane, memorare nouiſſima tua, memorare, inquam, Gentilium, ſanctorum Angelorum, & ipſius etiam Ieſu Chriſti Principis tui veſtigiis inſiſtendo, funeris mortis interdum reminiſcere, his te cineribus aliquando perfunde, finem tuum, & quid futurus ſis tecum cogita, ſepulchrum tuum nonnunquam adi, atq; ita tecum ſermocinare: Anne igitur me ſemel mori neceſſum eſt? proh dolor! anne corpus hoc ab anima ſeparandum & in cineres redigendum? ô rem deplorandam! an grati illi oculi ſolis lumen non amplius poterunt intueri? ô calamitatem! aures hę non amplius iucundiſſimo muſicæ ſono demulcebuntur? ô miſerum! lingua hæc obmuteſcet? itane pulmones, cor, manus agitari, caput quaquauerſum verti, membra ſentire, ac pedes ambulare deſinent? ô acerbum nuntium! Recordare igitur nouiſſima tua, & imprimis mortem, & vltimum hunc terminum, nam quemadmodum nihil eiuſdem memoria reperiri poteſt ſanctius ac melius, ita nec eiuſdem obliuione quidquam deterius aut damnoſius. Atque hoc vnum in primis Chriſtianus ille Heraclitus, Ieremiam ſignifico, in populo ſuo vnice deplorauit, quod nimirum rariſſime aut nunquam mortis meminiſſet, *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui.* Idipſum & Ieſaias de confuſione & iniquitate Babylonis aſſeruit plorans: *Et dixiſti: In ſempiternũ ero domina, non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, nec recordata es nouiſſimi tui.* Animæ peccatricis imaginem gerere videris infelix Babylon, quodque olim Propheta calidis lachrymis in te deplorauit, hoc in illa equidem deploro. Tranſeamus vlterius.

Thren. 8.

Iſai. 47.

Ezech. 8.

Quanta, putatis, fuit abominatio, quam Ezechiel Propheta in templo olim vidit, quando ſenes tergum templo Domini obuertentes, verſus orientem reſpicientes, ac floſculos naribus applicantes conſpexit: at non minor, mihi credite, abominatio eſt, ac mera & intolerabilis ſtultitia, cum ſenes caneſcentes illi vertices atque albentia tempora, qui iam ad occaſum vitæ vergunt, ad orientem reſpiciunt, ac iuuenum more laſciuiunt. Tolerandũ quidem foret, ſi in flore adhuc ætatis conſtituti, aut iam pubeſcentes, ad orientem iuuentutis oculos conuerterent, atque eundem, quodammodo proni adorarent: ſed cana illa capita, & ſillicernia, qui tanto iam itinere ab aurora vitæ retroceſſerunt, morti vicini, & alterum quodammodo pedem in Charontis cymba habent, oculos ad orientem adhuc conuertere, vere deplorandum eſt.

Abominatio eſt, videre ſenes mortis immemores.

Atque hinc fit, quod templo ſancto tergum obuertant, Deum contemnant, ſanctaſque eius leges ac præcepta violent, & ſub vitæ terminum floribus ac corollis redimiti incedant, longius ſibi vitæ ſpatium pollicentes, vti ramuſculo naribus applicito manifeſtum faciunt. At conuerte ad occidentē oculos veterane ac rugoſe ſenex, noli coruum tē fingere, ſcit te Proſerpina canum, noli annos mentiri, ſed memorare nouiſſima tua, finis memento, teſtamentum conde, diſpone domui tuæ, ac tecum cogita, quam neceſſe ſit ad ſalutem mortis meminiſſe, ac quantam etiam vtilitatem adferat. Eſt hoc ſecundum concionis huius membrum, ad quod me iam accingo.

Huc accedit, quod continua mortis meditatio, præterquam quod hominibus ad ſalutem perneceſſaria ſit, infinita etiam commoda pariat. In primis autem peccato aditum occludit. Ita namque id teſtatur in Collationibus Caſſianus, doctrina & vitæ ſanctitate inter ſeculi ſui ſcriptores periluſtris: ait enim, in plurimorum Anachoretarum conuentu, in quo de tentationibus diaboli expugnandis, ac peccatis fugiendis deliberatur, vnum è ſenioribus dixiſſe, nullum aut ad tentationes Satanæ ſuperandas, aut ad vitiorum fugam, aſſidua mortis recordatione medium vel efficacius vel excellentius dari poſſe. Ac non præter rationem, ita namque ſentiunt ac docent omnes ſancti Patres, & imprimis diuus Auguſtinus, qui quodam loco ait: *Nihil ſic re-*

IV. Mortem recordari vtile eſt.

uocat

Digitized by Google

lib. exhortat. *uocat à peccato, quam frequens mortis meditatio.* Ep. ad Cypr. Ac deinde Hieronym. *Memento mortis tua & non peccabis, qui enim quotidie recordatur ſe eſſe moriturum, contemnit præſentia, & feſtinat ad futura* Et Epiſtola ad Heliodorum: *Nil æque ſibi proficit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti: quidquid facies, reſpice mortem.* Egregia quidē hæc omnia, ſed quæ è pagano decerpta ſint horto, ex Epiſtola ſcilicet xxv. Senecæ ad amicum Lucillium: ipſa autem Epiſtola hæc trito huic Sapientis axiomati, Eccl. 7. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis,* inniti videtur.

Simile. Et ſane frequens ac iugis mortis meditatio, peccatorum quædam mors eſt, ac præſentiſſimum aduerſus delicta antidotum. Dicuntur ii qui à venenoſis ſerpentum morſibus ſauciati ſunt, vnguine ex ſerpentum adipe confecto ſanitati reſtitui. In animabus id locum habere quis neget? dum enim illæ à peccatis, quibus nulla vipera aut regulus venenoſior, ſauciatæ ſunt, ac vulnera, & morſus, feralis meditatione mortis, velut amaro quodam iure, tingunt, confeſtim perſanantur. Inſignem in hoc propoſitum Num 21. allegoriam producam. Iuſſit olim Deus, Iſraelitis Sinai deſerto commorantibus, ſerpentem quendam æneum in medio caſtrorum in ſtipitem erigi, in quem ſi qui venenoſis ſerpentum morſibus ſauciati oculos conijcerent, protinus ſanitati integritatique priſtinæ reſtituebantur. Cuius allegoriæ moralis ſenſus hic eſt. Vult nimirum Deus Optimus Maximus, vt quamdiu in deſerto mundi huius commoramur, mortis viperam in altiſſimam animæ noſtræ ſedem ſuſtollamus: cuius tanta virtus eſt atque efficacia, vt, ſtatim ac nos peccata venenoſo ſuo afflatu læſere, ſi ad illam oculos conuertamus, ſubito, non ſine aliqua miraculi ſpecie, ſanemur. Eſt hoc nempe & ſapientis cōſilium: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Mirabiles effectus qui ex mortis meditatione oriūtur. Sed parua ſunt quæ hactenus dicta ſunt, ſi cum iis quæ mox dicturus ſum, conferantur: morbos enim qui nulla ſanari arte videntur poſſe, illa è veſtigio curat: cæcis quippe oculos adaperire, mentis conſtantiam phreneticis reddere, ad veri Dei cognitionem idololatras pertrahere, an non effecta quædam mirabilia ſunt ac miracula quædam omnem fidem ſuperantia? Ipſa autem finis vltimi conſideratio, cinerum perpetua meditatio, atque aſſidua originalis vilitatis memoria, omnia hæc, atque etiam longe maiora, in anima operari conſueuit. Quod pluribus iam demonſtrabo.

Magnus ille mundi Æſculapius Chriſtus, Ioan. 9. viſum cæco nato volens reſtituere, non dictamnum quod ſauciis ceruis medetur, non chelidoniam hirundinibus ſalutarem, non varia Pharmacopolarum collyria adhibuit, ſed expuit in terram & fecit lutum ex ſputo, quod cæci deinde oculis ſuperpoſuit. Hoc vix malagma oculis adhibitū fuit, quin ſtatim iucundiſſimum & optatiſſimum cœli lumen cœperit intueri. Ipſum igitur lutum, ac vilis originis noſtræ puluis ſi cogitationum oculis adhibeatur, eoſdem quam primum perſanat, noſq; ex cæcis reddit perſpicaciſſimos, & ex talpis lynces quaſdam viſus acutiſſimi, vt nos ipſos ſtatim agnoſcamus alterum eſt.

Mortis memoria phreneticos ſanat. Solent peritiores medici, iis quibus turbatum & minutum eſt cerebrū, vt ſunt amentes, phrenetici, lunatici, & calidis febribus laborantes, cœli mutationem conſulere, ac perſuadere, vt in patrium ſolum & locum originis, ad aliquod tempus, ſecedant. Ad horum autem imitationem prudentes animarum Archiatri, dum vident eas ambitione tumidas, luxu diffluentes, auaritia ſordidas, laſciuia inquinatas (ô effrenem phreneſim!) conſulunt vt cœlum mutent, vt in cinerum ſe regionem conferant, in qua & formati & nati ſunt: illa porro aeris & loci mutatio plus ſæpe prodeſt quam omnis exterior medicorum induſtria, aut medicamentorum varietas.

Mortis memoria idololatriç horrorem generat. Tertium hoc ſit. Naaman princeps militiæ regis Syriæ, Principi ſuo gratus & carus, quique ſummo apud omnes in honore erat, cum à lepra mundatus, & ab idololatria ad veri Dei cultum conuerſus eſſet, ne forſan in priſtinam ægritudinem relaberetur, aliud antipharmacum ab Eliſæo non petiit, quam pauxillum de terra Iſrael, quam

Digitized by Google

ſatis habere virium ad timorem Dei, cognitionem, atque idololatriæ horrorem menti inſerendum arbitrabatur. Audite verba eius: 4. Reg. 5. *Obſecro, concede mihi ſeruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet vltra ſeruus tuus holocauſtum, aut victimam diis alienis, niſi Domino.* Ecquid Spiritum S. ſacrarum litterarum auctorem hoc facto deſignare voluiſſe arbitramini? præter alia hoc ſane, nullum eſſe ad ſepelienda & euitanda peccata, quæ meræ vanitates ſunt, atq; idolorum cultus, medium efficacius, quam per aſſiduam meditationem mortis, pauxillum, non dico terræ Iſraelitidis, ſed terræ è qua geniti & efformati ſumus, aſſumere ac perpendere præter terram nihil nos eſſe, & in terram iterum conuertendos.

V. O ſancta ac ter beata mortis meditatio! aliæ quin etiam tuæ ſunt vires, maior tua eſt potentia ac robur, maioraque adhuc edis miracula. Scire vultis, Auditores? illa, illa mundi atque omnium rerum mundanarum contemptum generat. Fuit hoc olim iudicium Magni Hieronymi dicentis, *Facile contemnit omnia, qui ſemper ſe cogitat eſſe moriturum.* Idem & docet Gregorius lib. 16. Moralium cap. 16. ac Bernardus: *Monachus*, inquit, *tædio affectus componat ſe meditando ſupra petram in qua lauantur mortui, & cogitet apud ſe quomodo tractentur ibi ſepeliendi, quomodo nutet caput, cadant brachia, rigeant brachia, tibia iaceant: quomodo deferantur humandi, quomodo exponantur in tumulo: quomodo puluere conteguntur, quomodo vorentur à vermibus & quaſi ſaccus putrefactus conſumantur: ſummaq; eſt Philoſophia meditatio mortis aſſidua. Hanc vbicunque perrexerit, ſecum portet, & in æternum non peccabit.*

Tom. 1 epiſt. ad Paulum. In ſpecu. monachorum.

Apoſtolus Doctorum omnium Doctor cum ad Corinthios ſcriberet homines natura ſalaciſſimos, (de quibus ait Strabo, fuiſſe apud eos fanum Veneris adeo locuples, vt plures quam mille habuerit ſacrorum famulas meretrices, quas deæ, viri mulieresque Corinthiæ dedicarant) vitiaque illorum euellere ac virtutes è contra inſerere, atque ſanctiorem neglecta lubricitate & libidinibus vitam eos vellet traducere, alio argumento non eſt vſus, nec aliud iis præceptum tradidit, quam vt mortis memoriam conſeruarent: *Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt, reliquum eſt, vt qui habent vxores tanquam non habentes ſint, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, præterit enim figura mundi huius.* Perſuadet ecce ſibi mortis memoriam ad delicias voluptateſque eliminandas.

Lib. 8. Geograph. — *1. Cor. 7.*

Bartholomæus Tegius auctor noſtri temporis accuratus & diligens, hunc locum exponens ait, veteres, vt ad oculum demonſtrarent, quantæ eſſet ad mundi contemptum ingerendũ efficaciæ aſſidua mortis ipſius memoria, inter cætera hierographica mortui cranium hac addita Epigraphe, *Cogitanti vileſcunt omnia,* depingere cõſueuiſſe: innuentes, eum qui attente mortem intuetur & cogitat, omnia facillime cõtempturum. Vnde & Magnus Gregorius, *Facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum.* *Lib. 2.* *Lib. 16. M. c. 13.*

Hinc & vetus quidam Philoſophus, cuius mihi modo nomen haud occurrit, quamuis de rei veritate nullus dubitem, dicere ſolebat, mortem omnium eſſe deliciarum temperamentum, ac tantum animam per eandẽ ad omnium rerum terrenarum cõtemptum excitari, quantũ eam tentationes earum affectu & morte deprimere ſolent.

Rerum omnium, fateor, obliuionem inducit mors, & vniuerſarum deliciarum nauſeam eiuſdem memoria, quotidiana namque fieri experientia videmus, quomodo rei qui ad mortem condemnati ſunt, rerum ſuarum curam negligant, de amicis non ſint ſolliciti, de cultu corporis haud quaquam anxii, vt inculta barba & promiſſa coma in ſordibus volutentur, vnam ſibi mortem ſemper ob oculos ponentes. Quid? an tu, ô homo, tu inquam, qui à toto iam tempore obſcuro mundi ergaſtulo detineris incluſus atque huius immaniſſimæ dominæ, carnis dico, vinculis innodatus, ab ipſis incunabulis ad mortem condemnatus es, inanias & mundi huius ludibria amplecteris, deque mundo adhuc cogitabis, cum tibi propediẽ moriendum ſit, ac proinde de morte potius cogitandum?

Addam

Digitized by Google

Fulgoſ. l. c. 2. Platin. in Cæleſtino III.

Addam hiſtoriam, quo maiorem adhuc tibi pudorem incutiam, è gentilium ſcriniis depromptam. Referunt Fulgoſius & Platina magnum illum Orientis terrorem Saladinum, morti vicinum mandaſſe, vt ſtatim ac ſpiritum exhalaſſet, induſium quoddam vile in exequiis ac pompa funebri, in pertica geſtaretur, & ſimul inclamaretur: Ecce Saladinus, totius olim Orientis terror, atque Aſiæ dominator, ex omnibus quas retulit victoriis, ex omnibus quæ acquiſiuit trophæis, lacerum hunc & vilem panniculum ſecum defert. Erat, erat, mortis ac nouiſſimorum memoria, quæ hunc omnium rerum contemptum & abdicationem in eo excitauit.

Mors Alexandrũ regnis cedere coegit.

Simile quid in Machabæorum libris legere videor. Magnus Alexander horrendũ illud belli fulmen, qui per totum terrarum Orbem victricia ſigna circumtulit, poſtquã iã plurimos triumphos egiſſet, multas gentes & cultu & natione barbaras profligaſſet, tot regna & prouincias euertiſſet, morti vicinus & fato iamiam conceſſurus, vocatis ad ſe purpuratis atque optimatibus ſuis, iiſque ac toti ſimul orbi valedicens, regnũ diuiſit, ac ſingulis ſingulas partes aſſignauit.

1. Mach. 1.

Verba Scripturæ hæc ſunt: *Et factum eſt, poſtquam percuſſit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia egreſſus de terra Chetim, Darium regem Perſarum & Medorum: conſtituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ, & ſiluit terra in conſpectu eius: & poſt hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur, & vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute ſua, & diuiſit illis regnum ſuum, cum adhuc viueret.* Ecce, mortis memoria ac vehemens eiuſdẽ apprehenſio, potentiſſimũ hunc Monarcham honoribus vltro coegit cedere, atque omnibus regnis, quæ tanto ſudore, labore, tot prœliis & periculis ſibi pepererat, in momento valedicere.

Hirudinum natura.

Qui de animalibus ſcripſere tradunt, hirudines, ſi corpori humano, cui ad noxiũ humorem exſugendum impoſitæ ſunt, nimis tenaciter adhæreſcant, ac nulla ratione auelli queant, quamprimum decidere, & ſinere ſugere, ſi cineribus caput perfricetur. Hirudines vos eſtis, ô peccatores, qui noxium vanitatum & voluptatũ ſanguinem, in corrupto mundi huius corpore nimis auide exſugitis & imbibitis, adeo vt nulla auelli ratione poſſitis: ſed ſi mortis cineres capitibus veſtris inſpergeretis, exſugere deſineretis, ac nefariis cœptis ſine dubio deſiſteretis. Ipſa namque mortis meditatio, & ſtultus ac perditus nimis erga mundũ affectus in vna morari ſede, ac pariter conſiſtere nequeunt. Docuit hoc me Pſalmographus, qui de Iudæis in Chaldæã captiuitate Babylonica abductis ait, eos cũ ab alienigenis ad patrios Pſalmos decantandos inuitarentur, reſpondere ſolitos: *Quomodo cantabimus canticum Domino in terra aliena?* Quod enim peregrini eſſent, & in aliena regione verſarentur, è qua quotidie emigraturos ſe ſperarent, hinc fiebat, quod nullis voluptatibus, deliciis, delectationibuſque afficerentur, ac vitam in lachrymis ac perpetuo luctu mœrendo tranſigerent. Conſidera tecum ipſe interdum, ô homo, te hoc in mundo, non ſecus atque Hebræos in Chaldæa, captiuum & velut in terra exilii verſari, ſub horrido, & immiti cœlo conſtitutũ, è qua certus es, aliquando tibi eſſe diſcedendum: cogita, mortem luculentum aliquando de te triumphum acturam, quod ſi feceris, certo certius mihi perſuadeo alios te profecto mores aſſumpturum, in alium vitum mutandum, non riſu & deliciis diſſoluendum, & omnem à te voluptatem heroica quadam animi conſtantia ablegaturum.

Pſal. 136.

VI. *Dan. 14.*

Cineres mortis vtile remediũ ſunt aduerſus mundi vanitates.

Daniel regiorum ſomniorum interpres, & Prophetarum omnium facile Princeps, fanum Beli cum cribratis cineribus conſpergeret, impoſturas ſacrificulorum & ementitum idoli cultum facile detexit. Docet hæc hiſtoria, nos ſi mortis cineribus memoriam conſpergamus, verſutias carnis & Satanæ iniquitatem, qui idoli mundi huius miniſtri ſunt, facile negotio detecturos.

Lactantius refert ad hæc, morſos à viperis, qui vt plurimum emoriuntur, perſanari ſi earundẽ cineres plagæ applicentur. Quas nobis plagas, ecquæ animæ vulnera infligunt

gunt ambitio, ſuperbia ac mundi vanitas? quam crudeles hæ ſunt viperæ? quibus ſi mortis cineres confeſtim apponantur, omnis ſine mora læſio perſanatur. Audite porro, vt morbi remedium ſuggerat Eccleſia-
Eccl. 7. ſtes, dicẽs: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. id eſt, ambitiones tuas & honores cineribus conſperge, & omnibus delicijs, voluptati, vanitatique nuntium remittes.

Quid ſi dixero, ad ſolum cinerum conſpectum dæmones fugari, eorumque machi-
Lib. de Vegetabil. 6. nationes & molimina ſubuerti? Nam vt Albertus Magnus, curioſus ille naturæ arcanorum indagator, tradidit, nunquam amplius coruos ad nidum reuerti, ſi cineres aut fracti vitri pulueres eidem inſperſos viderint: ita dico, Satanam tartareum illum coruum, fuligine infernali nigricãtem, nunquã amplius in corde noſtro nidum ſibi aut domicilium paraturum, ſi idipſum ſemel cineribus, in quos poſt vitæ exitum redigendi ſumus, conſperſum viderit, ac vitri fragmina in eo repererit, id eſt, ſi fragilitatis humanæ (qui non niſi vitrei ſumus, quin & vitro
In ſermon. il. fragiliores, teſte Auguſtino: *Nonne fragiliores ſumus quam ſi vitrei eſſemus, vitrum enim etſi fragile eſt, tamen ſeruatum diu durat*,) meminerimus; Quantum igitur commodum animabus noſtris generas, ó iucunda ac triſtis mortis reminiſcentia! at longe maior tua eſt fortitudo & vires longe maiores, quippe quæ omnia delicias, peſſundes, & in fruſta comminuas, mundum, peccata, ac diabolicos impetus.

1. Reg. 17. Dauid ouium quidem paſtor, ſed animo gigas, propriis Goliadam Philiſtæum armis confecit, Saulem quoque non aliter debellauit, qui nimirum proprio enſi ſuperincubuit. Omnes, mihi credite, Chriſtiani Dauidi huic ſunt perſimiles, qui nimirum duos aduerſarios tergo ſemper & capiti ſuperimminentes timere debẽt, Goliadam nimirum, id eſt, mundum, & atrocem quendam ac ſanguinarium tyrannum, id eſt, Satanam, ac de vtroque victoriam referre poſſunt, ſi mortis & cinerum, quæ horum arma ſunt, memoriam in manus ſumpſerint. Certam autem nobis victoriam Sapiens ſpondet: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. *Eccl. 7.* Adhæc ipſa mortis recordatio peccatum penitus extinguit & ſuffocat, adeo vt nequaquam fieri poſſit, quemquam à virtutis tramite deflectere, ſi mortem & nouiſſima ſemper præ oculis habet. Ipſa namque mors præſentiſſimum aduerſus venenatos peccati morſus remedium eſt. Hinc ſpeculum illud patientiæ Iob, omniumq; afflicto-
Iob. 2. rum anteſignanus ſaniem & vermes exulcerato corpore erumpentes, vt Scriptura ait, teſta radebat. Quæ verba magnus Pontifex Gregorius interpretatur, ait, nos, ſi originis ac noſtri Eſſe, quod teſta fragili fragilius eſt conſiderationem in manus ſumamus, & terræ noſtræ, mortis ac ſepulchri nunquã non memores ſimus, vermes & peccatorũ (quæ meræ ſordes ſunt, animabus noſtris innaſci ſolitæ) ſaniem facile deraſuros, animamque ab omni prorſus labe contagioque mundaturos.

Lib. 23. Refert Ammianus, apud barbaras quaſdam gentes veneni cuiuſdam genus reperiri, quod oleum incendiarium appellant, cuius tanta eſſe fertur virulentia & peſtis, vt quodcunque tandem membrum attigerit, ipſum confeſtim, occulta quadam ratione, non ſine exiguo cruciatu, & abſque vlla extinguendi ſpe, ardeat: nam quo plus aquæ affunditur ad reſtinguendum, quo & incendium magis magiſque inualeſcit. Vnum porro aduerſus vehementem hunc æſtum remedium eſt, ſi terra & cineres flammæ iniiciantur. Veneno huic q in peccata comparemus, quæ virtus quoddam lethale ſunt & oleum quoddam incendiarium. Ita namque illa in Sacris voluminibus appellãtur,
Pſal. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. Et apud Hebræos, *Oleum autem veneni*, virtus, inquam, quod animas ſimul & corpora incendat. Cui incendio reſtinguendo nullum aptius aut conuenientius remedium excogitari queat, quam ſi vtraque terræ & cinerum fatalium cogitatione reſpergantur. Nam à longo iam tempore dixit Sapiens: *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. *Eccl. 7.*

Ipſa inſuper mortis recordatio humilitatem generat, & animas intra moderationis limi-

Digitized by Google

Mortis memoria animum humiliat.

limites continet, ne ſublimius euolent, ſeſeque æquo gerant inſolentius. Quis enim eſt, qui propoſita ſibi originis vilitate naturaque in cineres diſſoluenda non humiliter ac demiſſe de ſeipſo ſentiet? quis, inquam, eſt, qui ad ſublimia & ſupra ſe poſita aſpirare audeat, cum moriturum ſe inq; puluerem redigendum, cogitabit? Hoc namq; vnum Sapiens ad ſuperbiam hominum retundendam humilitatemque mentibus inſerendam adhibuit, dicens: *Quid ſuperbis terra & cinis*? quaſi diceret: Homo qui in tantum te iactas, qui adeo ſplendide & magnifice te geris, ſuperbis, & inſoleſcis, cogita, terram, cinerem te eſſe, puluerem, putredinem, & merum nihil, & non dubito fore, quin alas tuas breui ſis contracturus. Vnde Poeta quidam:

Eccl. 7.

Quid cinis & puluis, quid ſordida terra ſuperbit?
Cum redit in cineres, quod fuit ante cinis?

Simile.

Pauus, quo nulla auium pulchrior aut elegantior, nulla quoq; ſuperbior cum pennarum agmen explicat, cum plumarum ſinuoſa volumina latius extendit, nimirum quomodo ſui ipſius pulchritudine delectetur, vt in ſeipſo ſuperbiat. Verum quamprimum vt oculos in terram demittit, ac pedum deformitatem intuetur, erubeſcens, pennarum ſyrma ſenſim dimittit, ſuaſque merces, quas ſpectandas propoſuerat, colligit. Non ſecus quoque ipſe homo inter cæteras creaturas nobiliſſimus, pulcherrimus, ſimul etiam inſolentiſſimus, cum vanitatis alas explicat, adeo, viſo conditionis ſuę ſplendore, gloriatur, nihil vt eo aut vanius aut inſolētius eſſe videatur: ſed ſi oculos in terram deiiciat, pedeſque contempletur, finē inquam, ſuum, mortem ac cinerum turpitudinem cernat, ſtatim profecto ſeſe recolligit, ac ſubmiſſius de ſe ſentit.

Leuit. 3.

Quoniam vero de auibus mentio incidit: iuſſit olim in Leuitico Deus, vt auibus in ſacrificium offerendis prius plumæ euellerentur, eæque in locum in quo cineres coaceruabantur, proiicerentur. Quale porro hoc myſterium eſt? videor audire qui mihi dicat, & homines de numero volatilium eſſe, clamat enim Pſaltes: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo*? Honores, dignitates, diuitiæ, luxus, & vanitates, annon pennæ quodammodo ſunt, quibus in altum ſuperbiendo efferantur? verum quo ſubmiſſe de ſeipſis cogitarent ac ſentirent, iubet Deus, vt alæ iiſdem præſcindantur, iiſdemque pennæ cum mortis cineribus permiſcerentur. Vnicum quippe remedium, quo animæ ſuperbiētis impetus retundatur, Deoq; in humile ſacrificium fiat, eſt, mortis memoria plumas & mundi vanitates condire & temperare.

Pſal. 54.

Agathocles, qui ex ſiguli filio ad Siciliæ regnum euectus eſt, figlina ſemper vaſa ſibi in menſam inferri vna cum aureis & argenteis volebat, ne forſitan ob lætioris fortunæ auram extra mentis ſtatum abriperetur, vitæque prioris eum caperet obliuio. Nō peccaret, meo iudicio, homo ad honores & dignitates ſubuectus, ſi Agathoclis exemplo, ne ſuperbia & elatio locum in eo reperiat, vtque primæ paupertatis meminerit, inter aurum & diuitias, vas quoddām è terra cōpactum animæ menſæ inferret, id eſt, cineres ſibi proponeret in quos redigendus eſt, & terram & lutum è quo conglutinatus, quo ita ſemper intra rationis ac temperantiæ limites remaneret, reminiſceretur, inquam, figuli ſe filium eſſe & Adami ſtirpe, qui Protoplaſtus nominatus eſt, progenitum: itaque fiet vt humilius de ſe cogitaturus ſit.

Scribit in Epiſtolis Hieronymus, fuiſſe olim Romæ conſuetudinem, triumphantibus, cum quadriiugo veherentur curru, inter lætas acclamantium voces, atque exultantis populi applauſus, mortem in memoriam reuocare. Qui enim triumphabat, trabea indutus, coronis redimitus, & victoriis turgidus, currui inſidebat, eique à tergo imminebat qui diceret: *Hominem & mortalem te eſſe memineris*. Permiſcebant ſcilicet mortis memoriam triumphali gaudio, ne ſummus ille honor ac dignitas, cui par vix reperiebatur, eos cogeret inſoleſcere. O conſuetudinem deprædicandam! ſciebant ſiquidem Ethnici nouiſſimorum recordationem ac præſertim mortis, noſtrique cognitionem, ad animas humiliandas permulti momenti afferre.

Mortis memoria etiā apud Romanos triumphantes in vſu erat.

Dauid qui ex humili ouium paſtore Rex Iſrael conſtitutus eſt, idipſum in Pſalmis aperte conſuluit, dicens; *Non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram.* Vel, vt Hieronymus ad Hebraicam veritatem tranſtulit: *Non apponat magnificare ſe homo de terra.* Idem vates, cum cauſas exponeret, ob quas tam multi vento ſuperbiæ alſorſum raperētur, inter cæteras hanc addit, quod nullus omnino nouiſſimorum recordaretur: *Non eſt reſpectus mortu eorū, ideo tenuit eos ſuperbia*: ſi enim vel ſemel eandem mentibus inſculperent, inq; omnibus præ oculis haberent, in tantum credo humiliarentur, vt ad intimum vſque terræ centrum ſe dimitterent: Viuat igitur mortis memoria, viuant & triumphent cinéres, viuat ſepulcri ac nouiſſimorum recordatio, nihil enim eadem vel ad ſalutem vtilius, vel magis neceſſarium haberi poteſt, nihilque eſt ad quæ vehementius aut magis vos adhorter. Quamobrem finem veſtrum ante oculos habetote, mortuos cōſulite, ſepulchris loquimini, cœmiteria accedite, videte & inſpicite aceruos illos, & vt ita dicam, oſſium horrea, videte putiſcentia illa corpora taboque diffluentia, ac cineres illos ſepulchrales accuratius intuemini, ſiquidem, vt Chryſoſtomi verbis vtar, in illis cernetis naturam dilapſam, corpora corrupta, oſſa in puluerem redacta. Cœmiteria adite, conſiderate, quis ſit ſapiens, quis ſtultus, quis Imperator, quis miles, quis dominus, quis ſeruus? Vbinam ſunt flores adoleſcentiæ? in ſepulchris: vbi ſerenitas frontis? vbi vultus lætitia? faciei maieſtas? verborū nectar & dulcedo? morum venuſtas ac decor? nonne omnia cinis, vermis & putredo? Ad hanc ipſam ſancti viri meditationem vos hodie inuito, Auditores, hoc vnum vos ſemper ob oculos habere velim: quapropter *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Pſal. 9.

Pſal. 72.

Eccl. 7.

Tu vero Pater omnipotens, bonitas infinita, & exuberantiſſime fons bonorum, qui ad hoc ipſum per Sapientem omnes adhortatus es, noſtros quæſo, oculos reuela, & omnem ab iis caliginem remoue, quo ipſum agnoſcere, intellectum, vt intelligere, memoriam autem vt eius meminiſſe valeamus, Vnica hęc in poſterum noſtra ſit meditatio, cura, ſtudium, oculorum intuitus, deliciæ, animarumque perpetuum exercitium. Fac, obſecro, auctor vitæ ac mortis triumphator, vt mortem ſemper ante oculos habeamus, non niſi de morte ſermones miſceamus, aliud quam mortem non meditemur, vnam mortem ſpiremus, ſpectemus, atque in eam totam omnia ſtudia dirigamus. Deinde cōcede, ô dulcis animarum ſponſe, memoria mortis ita permoueamur, vt ſeculi vanitatibus valedicentes, peccata fugientes, humilitatem ſpiritus adipiſcentes, ita in hac vita mori diſcamus, vt in altera te conducente ſempiternum viuere poſſimus, æterna beatitudine perfruentes: ad quam conducente nos Patre, & Filio, & Spiritu S. nos peruenturos ſperamus. Amen.

FERIA

Digitized by Google

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM I. ADVENTVS.

QVID SIT MORS.

Partitio.

I. *Quid mors ſit horrifica.*
II. *De eius quidditate.*
III. *Proprietate.*
IV. *Effectibus.*
V. *Quod mortis conditor non ſit Deus.*

Memorare nouiſſima tua, & præſertim quid ipſa mors ſit, & in æternum non peccabis. Eccleſ. 7.

FIGVRA.

Dan. 2. DANIEL Propheta cum Suſis, quæ totius Perſiæ metropolis eſt, ageret, prodigioſum quendam arietem, duobus inſtructum cornibus, ac per quatuor mundi plagas curſitantem, & omnibus quæ in orbe erant animalibus inſultantem vidit. In petulco hoc ariete mortis mihi imaginem videor intueri, quæ duobus minitans cornibus, fato inquam violento & naturali, toti omnino orbi imperans, inſultans ac dominans, omnes quos in mundo reperit homines, animalia inquam rationalia, ad terram deiicit & proſternit. O monſtrum horrendum, informe, ingens! ô pernicioſe & ſternax aries! ô bellua rabie ac furore percita! Hanc vobis hodierna die pluribus deſcribere ac natiuis coloribus depingere decreui. Sed prius ſanctiſſimi Spiritus opem, idque glorioſæ Virginis interceſſione, imploremus, quamobrem Gabrielis eam Paranymphi verbis ſalutemus.

3. Ethicor. Mors horribilis eſt.

AVE MARIA.

Peripateticorum Princeps Ariſtoteles, cum mortem deſcriberet, deque eius violentia loqueretur, nam omnium terribilium terribiliſſimum & teterrimum, appellare non dubitauit. Et non ſine ratione, triſti hoc & ferali ſchemate horrendam, ac ſæuam hanc Parcam produxit, ſicut enim nihil vita eſt carius aut iucundius, ita quoque nihil morte terrius aut horribilius. Et ſane ſi ea fugere ſolemus quę noxia ſunt, mortem imprimis, quæ noxia eſt vt quæ maxime, fugere & abhorrere par eſt, cum illa parentes, amicos, bona, facultates, vitam deniq; ipſam violenter auferat, & inuitis quodammodo extorqueat. Tanta quoque eiuſdem feritas eſt ac truculentia, vt vniuerſa eam natura rerum perhorreſcat, ac nullum etiam, vel exiguum, reperiatur animalculum, quod nō occulto Dei naturæque inſtinctu mortem horreat, & omni ſe ratione aduerſus hanc bellatricem tueatur, omnia nimirum naturę arma adhibendo, vt vitam ab iniuria ac periculo propulſet.

Braſidas Lacedæmoniorum dux, referente Chæronenſi Plutarcho, quodam tempore caryeas comedens, murem inter eaſdem reperit, qui cum digitum eius præmordiſſet, fugit: Braſidas autem ad ſuos conuerſus dicere cœpit: Ecce, quid non faciat mortis timor, videre vt etiam puſillis animalculis ſtimulum & audaciam ſuggerat, vt ſe etiam aduerſus homines defendant. Vt paucis concludere merito poſſim, morte nihil eſſe horribilius, terribilius aut formidabilius, eamq; monſtrum quoddam informe eſſe, ac crudelem animarum carnificem. *In Apophth.*

Ipſa namque eſt tartarea illa Proſerpina, quæ ferales illas ſorores, vitæ humanæ penſa trahentes, ſemper occupatas habet, at nunquam vacare ſinit. Ipſa eſt barbara illa ac ſæua leæna, quæ à tot iam retro annis & ſæculis, per huius mundi agros diſcurrens, ſine vlla miſericordia aut clementia, quidquid vitam nactū eſt, occidit, interimit, trucidat. Ipſa eſt crudelis illa megæra, veterana illa ac verſuta venefica, quę iam à quinque annorū millibus, ſine omni vita viuit, ſine regno dominatur, mille latrociniis, homicidiis, incendiis & parricidiis nobilis. Eſt denique fera illa ac peſtilens bellua, quæ ſtatim vt in or-

Digitized by Google

in orbem terrarum ingreſſa eſt, eundem tabo & contagio miſerum in modum infecit ac perdidit. Ita namque locutus eſt Paulus: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.* Rom.6.

Baſiliſcus vt Phyſici, & S. Bernardus ſermone in Pſalmum, *Qui habitat in adiutorio,* tradunt, ſerpentis genus eſt quoddam adeo virulentum & peſtilens, vt ſolo etiam intuitu intuentes enecet, ac mori cogat. Huius naturam ipſa imitatur mors, quæ etiam longe venenoſior eſt: nā ſtatim vt infelici peccati aluo egreſſa eſt, infelicem & incautum Adamum peſtifero ſui intuitu infecit, ac mori coegit, ictuque quodam inexſpectato omnem eius poſteritatem in Paradiſo terreſtri vulnerauit. An non creditis? ſed ſcriptum eſt, *In quo omnes peccauerunt.* O venenum, ô luem, ô ſtragem! in hodiernum vſque diem vulneris illius cicatrices ac notas geſtamus. Rom.5.

Mendaciorum concinnatores Poetæ, Pandoram quandam finxerunt, quę miſeris & calamitatibus, quas quotidie nimis, heu! frequenter experimur, ianuam reſerarit, ac mille ærumnarum, malorum morborumque plauſtra in orbem inuexerit. Hoc quidem fabuloſum & commentitium, certum tamen & indubitatum eſt, mortem, peccato genitam, veram quandam pandoram eſſe quæ quoddam malorum diluuium & iliadem in hunc mundum inuexit, interq; homines, & rabiem, paſſiones, cædem, ignem, ac ferrum, infelici, proh! ſemine ſeminauit. Ad hæc priora adiungo, ipſam, veterem illam Amazona & efferam bellatricem eſſe, quæ tot præliis interfuerit, tot expeditiones confecerit, quæque ſemper victrix euaſerit; Quod pluribus iam demonſtrabo.

Mortis victoriæ.

Diluuii tempore licet inuſitata quadam magnitudine & coloſſea ſtatura viri hinc inde orbem incolerent, vniuerſum nihilominus orbem expugnare ac peſſundare non dubitauit. Et de facto quadraginta dierum ſpacio tanta eundem vehementia aggreſſa eſt, vt ipſum & vniuerſos ipſius incolas à maximo vſque ad minimum, ſine vllo pietatis intuitu, octo tantum animabus arcæ præſidio ſeruatis, internecione deleuerit. Gen.7.

Multis deinde poſt annis nauale quoddam prælium adornans, Ægyptiorum copias tāto furore inuaſit, vt omnes vna cum Rege Pharaone, rubro mari, veluti naufragi, ſubmerſi miſerrime interierint, vt qui cladis nuntius foret, nullus ereptus ſit. Vt interim hic taceam, quod multis ante annis integram prouinciam & quinque florentiſſimas ciuitates primo impetu expugnarit, inque cineres redegerit, omnibus incendio, præter Loth cum ſuis ab Angelo eductum, conſumptis Vultis plura? Videte quæſo, vt illa furiis & minis accincta, Dauidis regnum ſtricto ferro ingrediatur, vt vnico momento ſeptuaginta hominum millia peſte & cōtagione exſtinguat. Inde mecum in Sennacherib Regis Aſſyriorum caſtra properate, atque ibi videbitis, vt nocte vna centum octoginta quinque bellatorum millia ad orcum mittat. Exod.14. Gen.19. 2.Reg.24. 4.Reg.18. Iſai.38. 2.Par.32.

An non hæ terribiles quædam victoriæ ſunt? an non ipſa furibunda & truculenta bellatrix? Modo quidem non niſi velitatur, ac leuia quædam prælia conſerit, quamuis ſemper victrix abſcedat, ſed in mundi fine tam cruentum mouebit prælium, vt omnia ſit euerſura & vnico momento deſtructura: nam, *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem?* O crudelitatem & tyrannidem inauditam! quā horrenda ipſa mors eſt! tanta namque eius immanitas & rabies, vt ſapiens dicere non ſit veritus; vnicam eius recordationem ſufficere, ad homines à peccatis retrahendos, *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Quæ verba vt melius & accuratius vobis exponā, quid ipſa mors ſit, pluribus demonſtrabo, ac deinde quænā eius potentia & robur. Veſtris materia hæc digna futura eſt auribus, modo benignas mihi eas accommodetis. Pſal.88. Eccl.7.

II. Quid ſit mors.

Principiò igitur, ipſa mors, vt ad viuum eam delineam, ac ſuis coloribus depingam, vitæ eſt inimica & penitus contraria, mera quædam priuatio, merum nihil, & chimera quædam mentis imaginatione concepta.

Digitized by Google

Eſt furia quędam infernalis, crudelis, immitis, variis venenis imbuta, à primo ortus ſui tempore ſanguini & ſtragi aſſueta. Eſt ſatanæ filia, ſed per eius inuidiam cõcepta: nam
Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in mundum.* Infelix profecto filia, multis infelicitatibus ac malis ſtipata, doloribus & ærumnis inſtructa, morbis accincta, ac non niſi cladem & perniciem ſpirans, eſt crudelis illa carnifex, quæ ſtatim vt infelix ac funeſta illa ſententia aduerſus primum præuaricatorem in paradiſo lata eſt, nunquam non cruces erexit ad illaqueandum, nunquam non rotas compegit, ad crurifragium, ſemper arma cudit ad occidendum, ſemper & vbique theatra conſtruxit ad ſontes & inſontes capite truncandos; numquam denique non varia ſupplicia excogitauit, ac tormenta adinuenit, ad miſeros mortales torquendos & cruciandos.

Mors quoque eſt crudelis illa grando & communis mundi calamitas, quæ ægros eiulatu, domos luctu, cœmiteria complet oſſibus, & cineribus, quæ colonis rura, vrbes ciuibus viduat, vt dicere liceat, *Nunc cinis eſt vbi Troia fuit.* Eſt etiã inhumana illa & barbara bellatrix, pacis inimica, quæ inimicitias cauſatur, & lites fouet, quæ diuortia ſeminat, quæ ſacra illa connubia, quibus anima corpori ſociata eſt, violat ac diſſoluit; vinculum illud indiſſolubile violenter abrumpens, corpus quidem hic in terra retinens, in altero vero mundo animam innumeris periculis exponens.

Adhæc, vt melius philoſophemur, mors eſt inexorabilis & implacabilis illa Parca, quæ poſtquam variis nos in lecto doloris infirmitatibus afflixit, & tantum non confecit, lento nos quodammodo igne excoquens, tandem penitus enecat ac miſerum in modum ſuffocat, nudos denique in altero ſiſtit mundo.

Docuit me hoc Eccleſiaſticus, *Sicut egreſ-*
Eccl. 5. *ſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur nil auferet ſecum de labore ſuo.* Et expoſtulationem hanc tandem concludens ait, *Miſerabilis prorſus infirmitas, quomodo venit, ſic reuertetur.* Miſerandi huius caſus acerbiorem nimium quantum etiam deplorauit Iob, dicens, *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Iob. 1.

III. Nondum intellexiſtis, Auditores, quid ipſa mors ſit? dicam apertius, ipſa eſt nobilis illa prædatrix quæ nos diſpoliat, denudat, ac facultates noſtras deprædatur, quæ poſtquam mille nobis plagas, & quidem lethales inflixit, ferali tandem capulo nos includit.

Et ſane eſt famoſa illa prædatrix quæ præter aurum, vitam quoque mortalibus eripit, ac nudos omnino mediis in calamitatibus deſtituit, quod ex Amos Propheta hauſimus, dum ait, *Nudus fugiet illa die,* id eſt, lugubri illa ac tragica die miſerum hocce corpus nudum omnino fugam capeſſet. Amos 2. Michæas vero funeſtum hunc caſum animo voluens, huic ſe prædatrici in prædam ſeruari, ab eaque deſpoliandum ingemiſcit, *Vadam ſpoliatus & nudus,* quaſi diceret, Mich. 1. Quid? tantane tua futura eſt feritas & truculentia, ô prędatrix, vt me deſpolies, ac nudum demittas? adeone crudelis & effera exiſtes, me vt inſtar militis exarmati in alterius mundi regionem audeas inopem remittere? ſed deſine lamentari, Michæa, & audi vt ſententiæ tuæ accedat & Iob, *Diues cum dormierit nil ſecum auferet:* bene dicit *Nihil,* Iob. 27. quia nec aurum, nec argentum, nec gemmas non diuitias, ſed nihil penitus: non robur, non venuſtatem, non honores, non dignitates, nec quidquam omnino præter vilem panniculum.

Hic, hic repetendum eſt, quod olim miſer ille ac nudus Iob ærumnis exſaturatus ſæpius repetebat, *Ego ille quondam opulentus;* Iob. 16. *repente contritus ſum, tenuit ceruicem meam; confregit me, poſuit me ſibi quaſi in ſignum.* Vnica ſcilicet mors hanc mihi calamitatẽ ſuperinduxit, vita ſimul, deliciis me priuauit, meque vnum ſibi videtur delegiſſe, in quem omnia furoris ſui iacula detorqueret. O crudelitatem, ô tyrannidem, ô prædas! At nondum hic finis.

Mors, vt ad viuum magis adhuc exprimatur, eſt voluptatum omnium finis, delicia-

Digitized by Google

liciarum terminus, ac mundi valedictio: mors eſt geminorum illorum, animæ videlicet & corporis, à ſe inuicem ſeparatio, eſt microcoſmi huius ruina, naturæ euerſio, carnis huius tenellæ corruptio ac deſtructio.

1. Phyſ. 1. Dixit quidem olim Ariſtoteles, materiam omnis corruptionis eſſe principium, at ſi hoc ipſum de morte dixiſſet, melius profecto mea quidem opinione, veritatis ſcopum attigiſſet, ipſa namq; velut quidam fons eſt & origo omnis corruptionis naturalis, quid enim eſt in mundo quod illa non deſtruat, corrumpat ac denique euertat? Ipſa eſt quæ membra motu, vi ſenſitiua ſenſus, capillis caput, calore vegetatiuo hepar, calore vultum, ac linguam loquendi facultate priuat. Vnde de ſe apud Poetam gloriatur:

Priuauiq; manus ſceptru, diademate crines,
Os verbis, & luce oculos, membra omnia motu.

Ipſa eſt, per quam & propter quam omnes dignitates, & beneficia opulenta finem accipiunt, in qua diuitiæ atque adeo quidquid poſſidemus terminatur, in qua denique vita eſſe deſinit. Mors adhæc, ô iudices qui iudicatis orbem, eſt omnium controuerſiarum finis, omnium cauſarum vltimum, ipſa eſt duorum illorum decretorum, quæ vere ſanguinea ſunt, & amara, aduerſus Adami poſteritatem latronum, & in Geneſim, velut in regiſtrum relatorum, executio: quorum primum eſt, *In quacunq; die comederis, morte morieris.* Alterum vero, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Executio, inquam, cui nullus omnino refragari queat, decreta, in quibus nulla erroris commiſſi fiat mentio, & in quibus iuridice agere non liceat.

Gen. 2.

Gen. 3.

Ipſa eſt, ô Iureconſulti, vltimum litium tribunal, quæ diſceptationibus veſtris ſilentium imponet, in qua vos certum eſt cauſa caſuros, ita vt ne hiſcere quidem contra auſuri ſitis, & debitum naturaliter vobis annexum perſoluturi. Ipſa eſt, ô cauſidici, forenſeſque rabulæ, praxeos veſtræ euerſio, omnium vitiligationum veſtrarum terminus, vbi nimirum cauſidico non erit opus, ſed ſuas quiſque partes agere, ac tueri debet. Ipſa eſt, ô mercatores, omnium mercium proſcriptio, omnium officinarum direptio ac præda, ipſa eſt honorum ceſſio, ac mera diuitiarum vorago & naufragium. Ipſa eſt venuſtatis veſtræ ô mulieres defloratio, vanitatum & ineptiarum deprædatio, omnis mundi ablegatio, atque vniuerſæ ſtultitiæ dementiæque concluſio.

Præterea, ô anima mea, ipſum mori, eſt palatiis ac ſuperbiis & inſanis ſtructuris valedicere; diuitias ac facultates omnes deſerere; liberos cariſſimos & iucundiſſimos relinquere, deliciis voluptatibuſque ſpoliari, ſocietatibus ac contuberniis ſodalium, etiam maxime neceſſariorum, in æternum priuari.

Hinc ad Heliodorum Hieronymus, *O mors quæ fratres diuidis & amore ſociatos crudelis ac dura diſſocias.*

Pergamus, mori etiam, cogites anima, eſt ſe ad iacendum ſub duro ſaxo componere, idque in æternum, & perpetuo, nam *Sepulchra eorum in æternum.* Psal. 48. Mori etiam, eſt ex hoc mundo, ſine vlla amplius huc redeundi ſpe diſcedere. Dicitur enim, *Spiritus vadens & non rediens*, eſt vermibus epulum parare, bufonibus menſam inſtruere, ac noſtra hac carne tetros paſcere ſerpentes. Psal. 77.

Mori adhæc, eſt in longinquam regionem ſecedere, incognita adire loca, loca, inquam, quæ nunquam prius anima adiit, adeo vt ignoret; apud quos ei ſit diuertendum, vtrum apud ſuperos, an apud inferos ei manendum. Hinc animam ſuam alloquens Bernardus, ingemiſcit, *O anima mea, quis erit ille pauor cum dimiſſis omnibus ſola ingredieris ignotam tibi penitus regionem, vbi occurrentia cateruatim teterrima monſtra videbis?* An non egregiæ vobis & luculentæ rei adeo deformis deſcriptiones videntur? luculentiores adhuc magiſque eius naturam exprimentes, depromam.

Pictores, vt ſacrilegam & veteranam hanc veneficam ſuam depingerent coloribus, non melius ſeſe illam effingere poſſe putabant, quam ſi eam anatomice ſpectandam

Mors vtà pictoribus depingatur.

Digitized by Google

ctandam proponerent, & in forma ſceleti, & cadaueris alicuius exſucci & exanguis, vndiq; difformati, auribus & naribus truncati, cui lumen ademptum, falce deniq; armati, eam efformarent. Ad viuum hæc delineatio eſt, & quæ eiuſdem naturam & agendi rationem exprimat quam perfectiſſime. Nuda quidem eſt, vt doceat, nudis nobis hinc eſſe diſcedendum, vt quales nos vita excepit, tales quoque mors hinc auferat. Naribus trunca eſt, forſitan vt exoticos & peregrinos ſe odores, ac Sabæos ſuffitus contemnere oſtendat. Sed cur caſſa eſt in lumine? Tria in omnes cæca deſcribuntur: Amor nimirum, Mors, & Iuſtitia. Amor quidem, quod omnes promiſcue ſine vllo intuitu feriat. Iuſtitia, quod omnes ſine reſpectu, aut perſonarum acceptione diiudicet. Mors vero, quod omnia ſine intuitu perſtringat, & obuia quæque demetat: eodem nempe pede pauperum pulſat tabernas, Regumque turres, ac ſuperba Principum palatia. Vnde verſiculus ille triuialis:

Eſt commune mori, mors nulli parcit honori,
Diues & fortis veniunt ad funera mortis.

Cur denique caret auribus? vt ſurdam ſe doceat & inexorabilem, immitem: quæ ſine vlla pietate quoslibet interimat, ſine vlla exceptione trucidet, denique quæ crudelis ſit & truculenta, vtpote quæ clamoribus non flectatur, lachrymis non moueatur, & ad preces noſtras velut rupes obſurdeſcat.

Atque hinc factum puto, cur nulli vnquam populi, licet idololatria excæcati, mortem vt deam coluerint, aut aliqua ei libamina vel ſacrificia obtulerint: quamuis aliqui eo dementiæ venerint, vt etiam rebus inſenſibilibus, vt Soli, Lunæ, & Stellis, imo & brutis animalibus, & iis etiam vilibus, diuinos honores attribuerint, ſacrificia, ſacerdotes ac feſta inſtituerint, ſciebant nimirum eam eſſe inexorabilem, nec centenis etiam hecatombis placabilẽ. Hinc à Pericle Athenienſium duce & oratore *Atrophos inexorabilis* appellata eſt, & à Poetarum principe Virgilio, *Inexorabile fatum.* Neque enim precibus flectitur, nec mortalium vota exaudit:

Nec ſi trecentis quotquot eum dies,
Amice places illacrymabilem
Plutona tauris.

Vnde, quod de tyranno quodam Babylonio apud Prophetam legimus: *Non flectitur,* Hier. 13.
neque parcet, neque miſereſcitur. Quid obſtat, cur non de morte, quæ plena feritatis eſt ac truculentiæ, quæ nullis vel lachrymis vel precibus expugnari poteſt, dici queat; quamobrem non inſcite auribus trunca deſcribitur.

Aſpis ne voce incantantis ac pſylli mo- Mors aſpidi
ueatur, cauda alteram aurium obturare cõ- cõparatur.
ſueuit, & alteram deinde terræ affigere. Mors profecto viperæ non vſque adeo abſimilis eſt, ſed venenoſa eſt, ac tanta malitia tumens, vt ne clamorib. euinci, aut lachrymis flecti poſſet, auribus carere voluit. Huc nimirum reſpexit regius Vates, cum ait: *Furor* Pſal. 57.
illi ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non audiet vocem inimici.

Quid porro per falcem hanc, qua feralis hæc Megæra accincta eſt, denotari putatis? cur hæcce arma vibrat? id vero myſterio non vacat; ſed hinc edocemur, omnia eam promiſcue ſine vlla perſonarum acceptione ſecare, reſcindere, ac demetere. Ioannes in Apocalypſi vidiſſe ſe ait Angelum nubi inſidentem, acutiſſima falce armatum: *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſeden-* Cap. 14.
tem ſimili filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream & in manu ſua falcem acutã. Cur illum falce inſtructum putamus? an non magis ex decoro fuiſſet enſis? minime gentium, gerebat quippe ille imaginem iudicis, qui vniuerſum aliquando orbem iudicaturus eſt; & falx illa denotabat, magnates eum ac gregarios, ſummos & imos, Reges ac pauperes, æquali ſorte & pari reſpectu demeſſurum, iudicaturum & condemnaturum. Hinc fortaſſe mors, quæ Iudicis huius iuſtitiam exequitur, iiſdem armis inſtructa eſt vt doceat, ſe ima ſummis æquare, & pari conditione purpu-

Digitized by Google

ratos ſimul & pannoſos, Imperatores ſimul & mendicos, ſapientes ſimul & idiotas, nobiles ſimul & colonos, mortis legibus ſubiicere.

Simile. Mund' prato florifero comparatur.

Quam varia florum genera æſtiuo tempore in pratis viridantibus comparent: quanta colorum & odorum varietas, quanta in magnitudine & virore inæqualitas? ſed quam primum vt meſſor falcem iniecit, floreſque & herbæ ad terram deiectæ ſunt, nullum amplius diſcrimen apparet, ſed omnes eandem ſortem, magnæ ſimul & paruæ, pulchræ non ſecus ac contemptibiles, ſubierũt. Mundus, mihi credite, inſtar prati cuiuſdam aut viridarii eſt, in quo homines florum vice funguntur, (nam *Sicut flos agri ſic efflorebit*) *Pſal.* 102. ſed magnitudine hi omnes inter ſe diſcrepant, honoribus & fortunis ſunt impares, ſed vbi atra mors falcem immiſit, omnes ſubito pares & æquales fiunt. Vnde Poeta:

Omnia mors æquat.

Lib. de natura & grat. Egregiam porro ſuper hoc meditationem inſtituit Auguſtinus: *Reſpice, inquit, ſepulchra & diſcerne ſi potes, Irum à Rege, fortem à debili, pulchrum à difformi*, quaſi dicere voluiſſet: Perpende tecum, vbinam modo ſint regum ſceptra, Cardinalium galeri, tricoronides Pontificum infulæ? ipſa mors æquat omnia: vbinam iam ſint Samſones, Gedeones, vbinam Hercules & Achilles: diſcerne mendicum à diuite, ſeruum à domino, dic quinam fuerint Craſſi, Mydæ, Crœſi, & Salomones.

Mundus ingenti ſiluæ cõparatur.

Et ſicut in vaſta & denſa ſilua, quamdiu viret, diuerſa arborum genera videmus, frõdoſas quercus, vmbroſas fagos, nodoſas iuniperos, ſpinoſa aquifolia, ſublime natantes populos, ac ſemper virides pinos, aliaſque arbores & numero infinitas, & colore varias, quarum hæ per terram ſerpunt, illæ caput & comas intra nubila condunt, quarum illæ è floribus, hæ è frondibus, aliæ vero è fructibus dignoſcuntur: quarum hæ viles ſunt, & abiectæ, illæ vero nobiliores, & nobilium vſui ac deliciis deſtinatæ: ſed quamprimum vt ſecuris in illas impacta eſt, & illæ in ignem coniectæ, inque cinerem redactæ; quis, obſecro, cedrum è rubo, myrtum è geniſta, ſacras lauros è ſilueſtri erica queat diſcernere? Quis neget mundum ita quoque ſiluam dici poſſe, homines vero arbores? & ſane ſilua hæc quamdiu viret, variis coloribus diſtincta eſt. Hos namque è verborum frondibus diſcernere eſt. Quidam enim ignari ſunt & bardi, quidam vero facundi & diſerti, aliqui etiam Philoſophi, illos autem è floribus. Hi etenim formoſi, illi deformes ſunt, atque non eadem eſt omnium florendi ratio. Alios denique cognoſcere datur ex fructibus, id eſt, operibus & factis vere heroicis, quoſdam enim videmus ſtrenuos & generoſos, alios diuites, alios vero pauidos, meticuloſos, ac nihil præ inopia aggredi audentes. Sed ſtatim vt mors inciſionem fecit, omneſque in cineres & putredinem redegit, nullum amplius diſcrimen apparet, pari omnes gaudent ſorte, nullaque tum differentię fit mentio, in quam rem peregregiam Plutarchus hiſtoriam ſubminiſtrat.

Diogenes ille Cynicus, quem ridentem verum dixiſſe, atq; optime rerum humanarum conditionem expoſuiſſe conſtat, cum quodam tempore buſtuaria obambularet, ſepulchraque curioſius inſpiceret, Alexandrum Macedonem obuium habuit: cumq; ille peteret, quid inter mortuos ageret viuus, aut quidnam quæreret, reſpondit: A tanto iam tempore in hoc buſtuario, vaſto hoc oſſium aceruo, in tot caluariarum congerie, patris tui Philippi, qui toties olim Græciæ terror fuit, caluariam & oſſa quærito, ſed à cæteris eo nequeo dignoſcere. *In Apopht.* Docere voluit Satyricus ille Philoſophus, in mundi huius palatio, magnam quidem eſſe hominum differentiam, ſed in futura mortis aula omnes eadem ſorte gaudere, ſibique eſſe quam ſimilliſmos, ac Reges & pauperes, nobiles & colonos nihil penitus inter ſe differre. Hoc eſt ſchema, atqui hi ſunt colores, quibus pictores mortem depingere ſolent, ſed aliam haud dubie veſtem Prophetæ noſtri eidem circumdant. Iſaias namque regem Ezechiam loquentem inducens, leoni eam ferociſſimo comparauit: *Quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea*; *Cap.* 38.

Digitized by Google

variis me morbis excrucias, & cruciatibus diuexans. Item Amos: *Leo rugiet, quis non timebit?* *Amos 3.*

Dan.17. Daniel vero arietis ei formam attribuit, vt heri memini dixiſſe, quãmuis non omnia vſquequaque ad vnguem expreſſerim: Reſtabat namque oſtendere, duobus arietem hunc cornibus inſtructum fuiſſe, quorum vnum minus, alterum maius. Vt diſcamus, ſtemma nulla adeo nobile aut nullam originem adeo plebeiam & humilem reperiri, quã non alterutro horum cornuum feriat. Cornu namq; maiori tangit Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, & ſanguine illuſtres, minori vero mechanicos, colonos & triuiales, vilemque plebeculam. Curſitabat hic aries, ad Orientem & Occidentem, ad Aquilonem & Auſtrum, & ad quatuor mũdi plagas, idque magno impetu & furore, vt hinc manifeſtũ fieret, mortem ſine vllo annorum ætatiſue intuitu promiſcue quoslibet inuadere. Ad Orientem tendit, cum tenellos infantulos vixdum viuere incipientes abripit; ad Occidentẽ, cum decoctos & decrepitos ſenes hinc aufert: In Meridiem vero, cum iuueneſcentes, & ætatis in flore cõſtitutos, in quibus & calor & humor cõſpicitur, inuadit: ad Septentrionem vero, cum frigeſcentes, & emorientes, inque ſenium vergentes proſternit. O crudelem arietem! ô belluam ſæuam nimis!

Mors latroni & furi cõparatur. Sacræ nobis litteræ eam, vt furem, & quidem nocturnum deſcribunt, vnde in libro Iob: *Mane primo conſurget homicida, interficit egenum, & pauperem per noctem vero erit quaſi fur.* Et Paulus in Epiſtolis: *Sicut fur in nocte, ita veniet.* O raptricem, & furibundam præliatricem! illa namque diripit, aufert & prædatur omnia, ac potentiſſimos Monarchas deſpoliatos nudos hinc demittit. Vnde Pſalmographus: *Non timeas cum diues factus fuerit homo & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniã cũ interierit, non ſumet omnia, nec deſcendet cum eo gloria eius:* & Iob de ſeipſo loquens: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc:* mors quippe diripiet omnia, ſenſus, opes, ac vitam denique meam: quod egregie fatuo illi diuiti in Euangelio in mentem reuocatur: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem paraſti cuius erunt?* an non enim ipſa deprædatur omnia, ac nobis etiam inuitis aufert? an non ipſa portus eſt, in quo omnes noſtræ naues exonerantur. *Iob.14.* *1.Theſſ.5.* *Pſal.48.* *Iob.1.* *Luc.7.*

Ser de vit. S. Bernardus autem eam, vt carnificem depingit, quæ cruci affigat, membra cõſtringat, torqueat, homines denique variis tormentis excruciet. Audite verba: *Mors ipſa eſt crux horribilis, ad quam quotidie feſtinas, & non attendis? vide quomodo te mors crucifigit, crura diſtenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, ceruix languescit, labia ſpumant, oculi ſtupeſcunt, vultus nigreſcunt, facies exuitur, & morte fracta palleſcit.* O nefariam carnificem! O comparationem maxime propriam!

Mors tortori comparatur.

Item Duci caſtrenſi. Equidem ampliori & digniori eam titulo condecorabo, & Imperatori caſtrenſi comparabo. Hic enim cum arcem aliquã expugnare contendit, numeroſo eam prius cingit milite, deinde peropportuno tormenta ac machinas diſponit loco, hodie hanc turrim, cras illud vallum, deinde poſt aliquot dies aliq; propugnaculum arietat, & quatit; poſtremo vbi omnia deiecta atque ad terram proſtrata ſunt, adeo vt vi via facta ſit, locum ingreſſus, ferro & flamma in omnes ſine vllo ſæuit diſcrimine. Idipſum & mortem cum corpore noſtro, quod inſtar arcis cuiuſdam eſt, agere videmus: partes arcis noſtræ præcipuæ ipſi ſunt ſenſus, propugnacula eminentiora ipſi humeri, oculi excubant, brachia velut valla & alæ exteriores ſunt, venter receptaculum militum, renes velut mœnia, caput vero inſtar armamentarii eſt: ipſa autem mors dux eſt, qui arcem hanc obſidione cingit, modo extremitates & velut promontoria violenter inuadere geſtit, pedes nimirum podagricis doloribus excrucians; modo pes latera conatur irrumpere, pleuritidem immittens, mox inuadit capitolium, & locum arcis principem, capiti hemicraniam, lethargum, ſenſuum ſtupiditatem, ac caducum morbum creando: manus deinde & brachia paralyſi torquet; ipſam tandem arcem vniuerſam ita concutiet, vt violenter ſibi aditu patefacto,

BIBLIOTECA NAZ. PARMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

omnia direptura ac vaſtatura ſit. Sed iam ſatis ſuperque comparationibus his immorati ſumus, & nimis iam diu monſtri huius inuenuſtatem, ac turpitudinem ob oculos poſuimus: tempus eſt, vt de fortitudine, ac viribus eius nonnihil loquamur.

IV. Tanta porro eiuſdem vis eſt & potentia, nihil vt in mundo reperiri queat, quod ſub armis eius non contremiſcat, eiuſque imperium non reformidet. Et ſane non poſſum quin demirer tres illos Perſicos purpuratos, qui coram Dario Rege tam ſapienter de fortitudine diſceptabant: adeo vt cum vinum, regem, ac fœminam omnium eſſe rerum fortiſſima iudicarent, nullus omnino mortis meminerit: quod qui feciſſet, næ ille veritatis ſcopum attigiſſet. Ipſa namque eſt omnium rerum fortiſſima, vtpote quæ mulieres debellet, Regibus imperet, & crapula ſepultos ac vino obrutos ad inferna demergat.

Mortis potentia quãta ſit. *Eſdr.3.*

Melius autem, meo quidem calculo, ſcopum tetigit Paulus, cum in rerum potentiũ enumeratione, quæ ab amore & dilectione Dei quenquam auocare poſſent, primo eam loco nominat; eum loquentem audiamus:
Rom.8. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à caritate Dei.* O propoſitum vere heroicum! ô generoſi militis animum! Mortis ecce potentiam virtutibus, Angelis, diabolis, omnique adeo creaturarum potentiæ anteponit.

Sponſa illa in Canticis, amoris, quo dilectus erga dilectam afficiebatur, vim & vehemẽtiam exprimere conata, eandem morti comparat, quaſi nihil ea reperiri queat fortius aut validius:
Cant.8. *Fortis eſt vt mors dilectio.* Perinde ac ſi diceret, Amor tuus mi dilecte, non eſt tranſitorius aut inanis, non eſt dilectio quædam futilis aut leuis, ſed affectus quidam ardentior, & amor vehementior, & cum omnium rerum fortiſſima morte comparandus. Adeo vt nihil in vniuerſa rerum natura fortius haberi queat.

Hinc ſacræ eam litteræ reginæ nomine compellant. Quod Paulus teſtatur dicens: *Vnius delicto mors regnauit*: id eſt, regina facta eſt, mundique regnum inuaſit. Prô quale imperium, quale regnum! *In omnes homines mors pertranſijt.* Omnes ei vectigales ſunt, & tributum perſoluunt. Quando vero regnum eius inchoatum eſt? *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem, etiam in eos qui non peccauerunt.* Quam longa eſt hæc annorum ſeries! hem quæ maieſtas! quam potens regnum! ô reginam potentiſſimam!

Mors regina appellatur. *Rom.5.* *Ibid.* *Rom.6.*

Amici Tobiæ longe adhuc ſublimius extulerunt, dum eam Imperatricem vocitarunt: *Vix effugiſti mortis imperium, & adhuc ſepelis mortuos?* Idipſum & Paulus ad Hebræos teſtatum facit: *Qui habebat mortis imperium.* Habet igitur mors imperium, & quidem ampliſſimum, cui nullum par ſit aut ſecundum: vterque polus regni eius limes eſt, ad quatuor mundi angulos extenditur, atque vniuerſus terrarum orbis ſceptris eius paret. Imperat in Africa, dominatur in America, regnat in Aſia, in Europa denique omnes nutum illius perhorreſcunt. Hem quænam princeps, quænam imperatrix, proh quanta potentia regni eſt mors a-ira tui!

Imperatrix dicitur. *Tob.2.* *Heb.2.*

In ipſo mundi primordio exigua & paruarum virium erat inermis quodammodo, & robore deſtituta; homines è contra potius eidem inſultabant, cum vitam ad multas annorum centurias extenderent, & ad millenarium numerum quam proxime accederent: hic enim ad octingentos, ille ad nongentos, & quot excurrit annos vitam trahebat: adeo vt nihil in eos iuris aut potentiæ habere videretur; neu homines, niſi naturali quodam mortis genere, deficiente nimirum humore radicali, & naturæ calore, poſſent mori, ſed tantam deinde potentiam, truculentiam, & crudelitatem induit, vt iam ſine vlla violentia, deliberate, ex inſidiis, occulte, ac quacunque etiam ratione ac vi, omnes inuadat, obruat, & trucidet; adeo vt nihil omnino in rerum natura ſit, quod illa ad hominem expugnandum, corporiſque huius muros deiiciendos, quibus

bus anima libere exire queat, non armet, vel adhibeat.

Dan. 2. Nabuchodonoſor Babyloniorum Rex ingentem in ſomnis ſtatuam vidit, cuius caput aureum, brachia argentea, pectus æneum, & cuius pedes lutei: *Et ecce ſtatua grandis & ſublimis ſtabat coram te*, cumque Rex ingentem hunc coloſſum attentius contemplaretur, ſceleratus quidam laterculus, ſublimi monte delapſus, ac pedibus huius ſtatuæ aduolutus, eam deiecit & in cineres redegit, quod cum factum eſſet, paruus ille lapillus in rupem ingentem excreuit, mundumque vniuerſum repleuit magnitudine. terribile profecto emblema: ſed audite eius expoſitionem. Vaſta illa ſtatua humanæ naturæ imaginem referebat, caput illud aureum iuſtitia originaria eſt, lutei pedes fragilitas mortalium, lapillus ipſa mors, mons ingens peccatum, è quo lapillus ille noxius delapſus, magniq; huius corporis pedibus aduolutus, omnia in cineres ac putredinem redegit, vnde dictum eſt, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. At mox exiguus ille laterculus, poſt ingentem hanc concuſſionem, in tantam magnitudinem excreuit; mors inquam quæ adeo exigua initio erat, adeo potens reddita eſt, tamque amplum imperium conſecuta, vt totum terrarum orbem nominis ſui potentia compleat & percellat, nihilq; omnino reperiatur, quod ei ad hominum ruinam deſtructionemque non ſeruiat.

Figura. — *Gen. 3.*

Omnia morti ſeruiunt, vt homines torqueat.

Et profecto ſic ſe res habet; hic tibi, ô crudelis bellatrix, mundus inſtar armamentarii cuiuſdam eſt, omnia elementa inſtar telorum & armorum, quæ in hominum damnum ac perniciem adhibeas. Ignem quippe adhibes, quo nos exurat; aerem, vt ſpiritum neget, terram; quæ nos deglutiendo deuoret, mare vero, quod vndis vorticibuſque ſuis inuoluat. Sodomitæ imbre ſulphureo & fulmine exſtincti ſunt: Ægyptii in aquis ſepulti, Core, Dathan, & Abiron, viui à terra abſorpti, vna cum tabernaculis; Abſalom & Achitopel ſuſpenſi Spiritus defectu interiere.

Gen. 19. Exod. 14. Num. 16. 2. Reg. 17. 18.

Vnde merito illud Poetæ hic vſurpare liceat, *Mors, tibi non vna mille: mille nocendi artes.*

Apoc. 12. In Apocalypſi ingentem quendam draconem intueor, ſeptem inſtructum capitibus, ac decem munitum cornibus, qui mulierem proſequebatur, caudaque tertiam ſtellarum partem ſecum trahebat. *Et ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptem & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem.* Omiſſis variis huiuſce monſtri expoſitionibus, dico hic feralem hanc Parcam deſignari, quidni? an non enim mors draco quidam eſt, quo nullus in rerum natura truculentior & atrocior, qui fœminam, id eſt, humanam naturam, acriter inſequitur, de quo dicitur, *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Draco inquam ſeptem capitibus communitus, ſeptem ſcilicet peccatis mortalibus. Vnde ſcriptum eſt, *Confregiſti capita draconum in aquis*, id eſt, peccatis; quorum filia mors eſt, nam *Per peccatum mors*: ſingula porro hæc capita diadema geſtant, eo quod ſeptem peccata mortalia totum omnino orbem ſibi ſubiecerunt. Vel ideo, ſi malitis, draco hic ſeptem coronas geſtat, quod ſeptem qui coronis inſigniti ſunt imperio ſuo coerceat: dominatur namque Pontificibus, Imperatores mori cogit, Regibus vitam eripit, Principibus dominatur, Duces è medio aufert, Marchiones ſubiugat, Comites deniq; trucidat, qui omnes coronas geſtat. Poſtremo draco hic decem cornibus minatur; vbi numerus finitus pro infinito poſitus eſt, ad demonſtrandum mille morti technas mille artes, mille media ſuppetere ad vitam hominibus eripiendam.

Mors draconi confertur. — *Pſal. 103.* — *Pſal. 73.* — *Rom. 5.*

Hem quantus hic ſeſe mihi campus aperit, quot artes & morbos hic detego, quibus in noſtram illa perniciem viſa eſt coniuraſſe, ſed veſtra mihi hic venia liceat medicum agere, atque omnium morborum ægritudinumque catalogum texere. Modo namque inuadit caput, & apoplexiam gignit: modo petit oculos, & per ophthalmiam nos proſternit; modo aures, & parotide nos enecat; guttur interdum ſubintrat & angina nos ſuffocat, hodie manus chiragra; cras pedes podagra diſcruciat, alias latus premit, & pleuritidem mortalem procreat. Vt hic interim taceam quam multi bello inteſtino, occultus-

Mille morti media ſuppetunt, vt nos in interitũ rapiat.

prodi-

qui monte delapſus vaſtam illam ſtatuam comminuit, ſine vllo hominum adminiculo, nec humanis impulſus manib. decidit; Dan. 2. *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.* Denotabat hoc, mortis lapidem peccati Caucaſo delapſum, & humanæ naturæ ſtatuam in cineres redigentem, non Dei impulſu auxiliove deſcendiſſe, nec manuū eius opus exiſtere. Vnde Ioannes, vnus de numero eorum, qui fidei noſtræ myſteria ſcriptis tradidere, hanc Danielis figuram, & ſapientis Salomonis ſententiam, auctoritate ſua confirmans, ait, Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, id eſt, mors, quæ nimirum vitæ ipſius aduerſaria eſt, atque omnis Eſſe priuatio. Non multum erraſſe mihi videmini, ô ſacri Scriptores, cum docetis, Deum infernalis huius Megæræ conditorem vel auctorem non eſſe, mihi quoq; prægnantes & euidentes rationes ad manum ſunt, quibus quidquid è contra obiici poteſt, refellam. Ecce primam.

Rationes q. bus demōſtratur Deū auctorem mortis non eſſe.

Quidquid ſummus ille & omnipotens Deus condidit, bonum eſt, & ab omni malo alieniſſimum. Teſtem huiuſce ſententiæ habeo Moyſen, qui omnia & ſingula, quæ Deus admirabili illo creationis die condidit recenſens, ait eidem bona & quidem optima fuiſſe, Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona*, at mors nihilomnino boni in ſe complectitur, cum non habeat Eſſe. Eſſe enim, & bonum, à ſe mutuo ſeiungi nequeunt, & ad ſe inuicem ſunt reciproca; vnde Ioan. 1. bene Metaphyſicorum axioma ait, (*Ens & bonum conuertuntur.*) Deus igitur mortem non condidit, & bene dixit Euangeliſta, *Sine ipſo factum eſt nihil.*

Secunda ſit. Quidquid etiam ſummus ille rerum conditor in hoc mundo produxit & condidit, id iuxta ideas & formas illas æternas, quæ ab omni æternitate in profundis diuinæ eiuſdem eſſentiæ abyſſis reconditæ erant, productum eſt: adeo vt omnia quæ effinxit, prius in ipſo, idque propter formas illas æternas, viuerent, vnde idem qui ſupra Ibid. Ioannes, *Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Quapropter ſi Deus mortem condidit, neceſſe fuit, prius eiuſdem ideam in diuina eſſentia habitaſſe: ſed hoc penitus abſurdum eſt dicere, ipſe enim vera vita eſt, & quidquid in ipſo eſt, vita eſt, & viuit; teſtatur enim de ſeipſo; *Ego ſum via, veritas & vita.* Ioan. 14 Deus igitur informem hanc chimæram non creauit, nec mortem progenuit. Sed quoniam hæc ſecunda ratio paulo ſubtilior eſt, & ſupra communem hominum captum, aliam faciliorem, & rudiorum ingenio accommodatiorem producam. Tertia igitur hæc ſit.

Mors, ſi Philoſophicis terminis agere velimus, quid eſt aliud quam mera priuatio, atque ipſius nihil mater & genetrix? Priuatio autem nihil eſt: ipſum vero nihil à Deo factum non eſt, nec in eius erat poteſtate id effingere; non quod ideo minor aut ſaltem imminuta eius videatur potentia; ſed quia reuera fieri minime poterat; non eſt enim effectus, ſed defectus, atque, i.e. quod Euangeliſta aperte confitetur, *Sine ipſo factum eſt nihil.* Deus igitur mortis auctor non eſt, nec mortem condidit. Vnde igitur venit? quas dicendus pater tam infelicis abortiui? quis hac filia gloriabitur? Audite attente, paucis dicam, in craſtinam concionem cætera reſeruaturus.

Peccatum mortis cauſa. Rom. 5.

Peccatum mortem in mundum inuexit: ipſum eſt quod infelicem hanc filiam progenuit, teſtatur id Apoſtolus, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors.* Abſque peccato enim fuiſſet, nulla cœmiteriorum, ſepulchrorum, funerum, tumulorum fieret mentio; fuiſſemus prorſus immortales ac mori neſcii. Hoc nāque priuilegio initio creationis donatus fuit generis noſtri auctor Adam, vt nempe à morte immunis foret, ni peccaret: Corpus hoc noſtrum, è quatuor ſibi mutuo contrariis conſtans partibus, vt modo eſt, ab illo quidem tempore natura ſua corruptibile & mortale fuit; ſed per ſingularem Dei gratiam mortis immunitate gaudebat, adeo vt niſi voluiſſet, mori non valuiſſet. At quamprimum vt laxatis habenis peccatum orbem intrauit, cruenta illa furia etiam prodiit, & cum illa omnis malorum ilias & ærumnarum ſeminarium.

Figura. Gen. 45. 46. 47. Exod. 1. 2. 3.

Digitized by Google

Hebræi, quamdiu in Ægypto Ioſeph viuebat, pace ſub Pharaone & ſumma quiete fruebantur, ſed ſtatim vt Ioſeph ad patres appoſitus eſt, & alius quidam Pharao regnū adiit, miſerum in modum afflicti fuere, & laboribus quodammodo exhauſti. Inſignis profecto allegoria, cuius ſenſus & expoſitio hæc eſt: in ſtatu innocentiæ & prima mundi ætate, quamdiu iuſtitia originalis, cuius figuram gerebat Patriarcha Ioſeph, in terris regnabat; omnis ille populus, facultates inferiores intelligo, ſumma in pace viuebat, appetitu ſcil. rationi, ratione animæ, anima autē Deo obtemperāte. At confeſtim vt Ioſeph exſpirauit, gratia ablata eſt, ac iuſtitia perdita, alius quidam Pharao imperio ſucceſſit, nouus inquam appetitus, qui ad inſtar crudelis tyranni totum interius ſtatum deuaſtabat, omneſque facultates animæ profligabat. Expertus id erat gentiū Apoſtolus Paulus, dum exclamat, *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Has itaque turbas, motus, hocce bellum, & hæc diuortia peccatum concitauit, itaque vetus illa venifica in mundum deſcendit.

Rom. 7.

Sed iam nimis diu de morte locuti ſumus ſatius n. foret eiuſdem meminiſſe, quam longos de eadem ſermones texere. Quapropter mementote Auditores, & eiuſdem recordamini, ſæpius de eadem cogitate, ac vobis in mentem reducite, quid mors ſit, eius potentiam, vires, robur agnoſcite, & in æternum, teſte Salomone, non peccabitis.

Tu vero, ô Deus, immortalis, qui præter ſolam mortem creaſti omnia, eius animæ laminę memoriam firmiter ſemel, obſecro, inſculpito: ac deinde mentibus noſtris, q̄ horribile hoc monſtrum ſit, quamque cruenta hæc bellua, infigito. Fac vt perfecte ſemel quid ipſa ſit ſciamus, ſciamus inquam, ipſam eſſe omnium rerum vltimum, nobilitatis deſpoliationem, diuitiarum prædatricem, deliciarum finem, atque omnium mundi honorum terminum; ipſum vero mori eſſe, egredi ſuperbis illis palatiis, & quidē pedibus animam & vitam ratione quadam inſolita amittere, tumulum cœno & ſordibus ſcatentem ingredi, ac deniq; ex omnibus mūdi diuitiis nihil præter ſemilacerum induſium ſecum ferre. O rem amaram & vere luctuoſam! ô funeſtum nuntium! Deinde diſcamus Domine, quænam eius vis ſit tyrannis potentia, vt nimirum ſit regina quæ Regib. imperet, Princeps quæ Monarchas depellet dominatrix quæ totum terrarū orbem crudeli imperio flectat: vt illa ſit, quæ nullum robur metuat, nullas vires reformidet, quæ Cæſares, Annibales, Hercules, Alexandros ſubegerit; vt illa ſit, quæ omnibus artibus & ſcientiis dominetur, quæ omnes Academias contuderit, & euerterit, quæ Platones, Socrates, Ariſtoteles, Senecas, atque adeo omnē Philoſophorum ſcholam obmuteſcere coegerit: vt illa, quæ Crœſos, Cyros, Aſſueros, & Craſſos Romanos pellumdederit, ac ſubiecerit. Hęc igitur Domine, cogitatio animas occupet, vt crudelis huius ſanguiſugæ naturam perſpectam habentes, eamdem timeamus, timentes de eadem cogitemus, cogitantes ad eam nos diſponamus, quo bene in Domino mori, & deinde æternam vitam nanciſci valeamus; illam inquam vitam quæ nos in ſempiterna beatitudine manet, ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus S. conducat. Amen.

FERIA TERTIA.

DE CAVSA MORTIS.

Partitio.

I. *An mors hominis ſit naturalis.*
II. *De ſtatu innocentiæ infeliciter deperdito.*
III. *De hominis inexterminabilitate.*
IV. *De ſimilitudine hominis cum Deo.*
V. *De miſeriis ſtatus lapſi.*

Memorare nouiſſima tua, & præſertim vt mors in orbem intrauerit, & in æternum non peccabis. Eccleſ. 7.

FIGVRA.

PRIMVS Iſraelitarum Rex Saul, ſingulari Dei priuilegio ad regnum Iuda euectus, 1. Reg. 10.

ctus, quod ad paſtores eius continua ſerie in ſempiternum deuolueretur, cum tanto ſe beneficio ingratum oſtenderet, Deique leges ac voluntatem negligeret, & tantũ non conculcaret, regno miſere excidit, totamq; poſteritatem & nepotes vſque ad vltimam generationem eodem quoque priuauit: qui deinde vna cum filiis atque omni Hebræorum nobilitate, in montibus Gelboe, à Philiſthiim fugatus occubuit. Lugubris hic caſus, & varia hæc fortunæ viciſſitudo, fuit vmbra ac velut prima delineatio eius infortunii, quod à multis iam retro ſæculis miſerum humanum genus incurrerat. Adam enim qui primus inter homines principatum obtinuit, à Deo conditus cum eſſet, vt in omnia animalia dominaretur, & mori non poſſet, vtque vniuerſi orbis imperium tam ipſe quam poſteri eiuſdem moderarentur; tam eximio ſeſe priuilegio indignum exhibens, creatoriſque ſui iuſſis neutiquam obtemperans, immortalitatis coronam, magno ſuo infortunio & malo, cum tota poſteritate, adeoque omnibus hominibus, ad mortem, ſepulchrum, & cineres, in montibus Paradiſi terreſtris, idque diaboli inuidia & aſtu, condemnatis, perdidit. O hiſtoriam fatalem! ô diem lugubrem! ô caſum deplorandum! Quid è contra opponas? neceſſe eſt, fieri debet, à peccato hoc deſcendit: natalis ille mortis eſt, & ipſa, quam vobis aperire propoſui, materia. Sed prius ſanctiſſimi Spiritus opem, qui intellectus tenebras diſcutiat, & glorioſæ Deiparæ matris ſuffragia poſtulemus, quam Angelicis verbis ſalutantes, in partem concionemque vocemus, dicendo:

1. Reg. 31.

AVE MARIA.

I. Plurimi credidere mortem eſſe homini agnatam.

Multi tum doctina tum ingenio præſtantes, & in Sacris quin etiam ac Theologicis ſcientiis apprime verſati, ſollicite inueſtigando quid mors foret, & vndenam profecta in hunc mundum veniſſet, homini eam naturalem ac quodammodo ingenitam eſſe putauerunt; opinati eam occultam quandam priuationem eſſe, quæ ab ipſis iam inde incunabulis, in eiuſdem eſſentia naturaque ſenſim foueretur, quæque eundem paulatim, nihil minus exſpectantem, ad ſepulchrum tandem cogeret. Duabus potiſſimum rationibus; primo quidem intuitu veriſimilibus atq; apparentibus, opinionem hanc ſtabiliebant, quarum hæc prima eſt. Certum eſt, homini mortem præter naturæ & ſubſtantiæ conſtitutionem non accidere, in quantum materia & forma & contrariis, quæ ſemper ſe mutuo oppugnant, conſtant; atque ideo eorum deſtructionem quæ per mortem contingit, oportere eſſe naturalem. Quidquid enim componitur ex contrariis, eſt natura corruptibile. Altera vero hæc eſt: Mortalem eſſe & mori poſſe, homini à natura ingenitum eſt, ac proinde ipſe moriendi actus, id eſt, ipſa mors, eidem naturalis ſit oportet, cum actus & potentia, iuxta Philoſophos, eiuſdem ſint ordines.

Alii vero huic priori opinioni non vſque adeo repugnantes, vt tanto eam veriſimiliorem redderent, & quæ eidem officere viderentur, refellerent, dicere non ſunt veriti: mortem, quam Adamo Deus ante peccatum interminatus erat, dicens: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: de animæ morte intelligendam eſſe, quæ per peccatum à Deo ſe ſeparat, eiuſque gratia deſtituitur, cui tamen omne eiuſdem Eſſe ædificium ac moles inhæret: non autem de morte corporali, quæ duas illas partes iam ab vtero & primo inſtanti, ſibi inuicem indiſſolubili vinculo cohærentes, & in humano corpore arctiſſime connexas, ſeparat ac disiungit. Primus opinionis huius aſſertor, ac velut Corypheus exſtitit Philo, ingenio ac doctrina ſingulari, atque eloquentia propemodum diuina (quippe qui propter eandem Plato Iudæus a veteribus fuerit nuncupatus:) eundem ſecutus eſt Eucherius Lugdunenſis Comment. in Geneſim, & Eugubinus in Pentateuchum, qui omnes ac ſola ratione, velut fundamento firmiſſimo, nitebantur. Chriſtus omnia mala quæ Adæ peccatum homini inuexit, deſtruxit; mortem autem, quæ quotidie adhuc graſſatur, non abſtulit aut aboleuit; ac proinde peccatum eandem non pepe-

Gen. 2.

Lib. 1. de alleg. le. Moſai.

rit, ſequitur igitur eam homini naturalem & congenitam eſſe. Sed ne quid nimis: ex ipſo enim Euangelio errorem veſtrum confutare poterimus; nam in Ioan.& 1.ad Corinth. Epiſt. cap.15. ſcriptum eſt, vtrumque à Chriſto Saluatore noſtro deſtructum eſſe, peccatum quidem, primo ſuo in orbem aduentu; mortem vero, ſecundo aduentu, extremi ſcilicet iudicii die, penitus deſtructum iri.

S. Gregori⁹ Papa credidit mortem nobis eſſe naturalem.

Pontifex Gregorius, magnus ille Eccleſiæ Doctor & columen, eiuſdem etiam opinionis fuit, & eaſdem partes ſecutus publice eandem ſcriptis propugnauit. Scribens quippe ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum eandem aſſeruit. Ecce verba Epiſtolæ: *Si Ada, qui primus peccauit, anima in peccato mortua non eſt, quomodo de ligno vetito ei dictum eſt: In quacunque die comederis, morte morieris? & tamen comedit Adam & Eua de ligno vetito, tamen in carne ſua vltra nongentos annos poſtmodum vixerunt: conſtat itaque, quia in carne non eſt mortuus.* Sed opinio hæc, ignoſcant mihi ſanctiſſimi Viri manes, non eſt vſque adeo probabilis neque in verbis diuinorum teſtimoniorum fundata; quin & iniuriam facit ſancto illi innocentiæ ſtatui, cum eum funeri, morti & exequiis obnoxium ſtatuit.

In regiſt. lib. 6. ca.195. & epiſt.31.

Gen.2.

Dicendum igitur eſt, relictis ſequioribus hiſce opinionibus ac ſanctorum Patrum, prioribus illis longe numero ſuperiorum, veſtigiis inſiſtendo, idque iuxta ſacrarum literarum ſenſum, & ex communi Catholicæ Eccleſiæ credendi modo, mortem è ſolo peccato progenitam ac procreatam eſſe veramque delicti in Deum commiſſi filiam exiſtere: nequaquam autem nobis congenitam aut ingenitam eſſe. Celebris huius opinionis aſſertor atque acerrimus propugnator, ipſe eſt Auguſtinus, cuius vnius auctoritas omnium inſtar eſſe debet; qui verba illa Geneſeos: *In quacunque die comederis, morte morieris*, tam de morte corporali quam animæ intelligi poſſe putat. Et ſane, poſtquam Deus omnipotens minas illas Adamo intentaſſet, & inobedientiæ crimen iam commiſſum eſſet, quo decretum firmum & irreuocabile redderet, verbiſque ſuis pondus ineſſe oſtenderet, infelicem illum reum, Paradiſo terreſtri, ne fortaſſe admirabilem illum vitæ fructum guſtaret, eumque guſtando à morte ſibi deſtinata immunis foret, exulare coegit: qui etiamſi quamprimum poſt expulſionem, mortem non ſubierit, eandem tamen poſt plurima annorum curricula ac varios in huius vitæ ſtadio decurſos labores expertus eſt.

Nam quemadmodum cruentus ille ſiluarum incola aper cum venantium telo ſauciatus eſt, in loco non manet, ſed per montes & plana, per deſerta & inuia, aſſidue curſitat, donec exhauſtis iam viribus, veniſque ſanguine deſtitutis, procul à loco in quo vulnus accepit exſpirat. Ad eundem modum & Adam, qui licet aper non fuerit, à beſtiarum tamen agendi modo parum abſuit, (*comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis*,) cum enim à Satana peccati olim iaculis confixus eſſet, itaque lethale vulnus accepiſſet; non in ipſo in quo læſus eſt loco exſpirauit: ſed per terram euagatus, perque varias mundi plagas curſitans, deficientibus paulatim viribus, longo poſt tempore, nongentos videlicet annos animam efflauit, ac tum primum ex vulnere, quod longo ante tempore in Paradiſo terreſtri acceperat, mori cœpit. Simile.

Pſal.48.

Videmus etiam quotidie arbores, ramos quaquauerſum diffundentes, & vmbroſis comis luxuriantes, cum ſemel fulmine ictæ fuerint, licet ſtatim non emoriantur, ſemperque alios ex ſe ramuſculos progignant, atque aliquis ſemper in iis viror permaneat, tandem tamen exſiccari, triſculum illud fulminis telum, quo dudum ante percuſſa ſunt, tum demum, cum minime creditur, vires exercere. Adam prima illa arbor, truncus, inquam, & origo totius humani generis, infelici peccati fulmine percuſſa, (cuius arboris omnes nos rami quidem exiſtimus) eadem licet hora mortua non ſit, poſt longum tamen temporis ſpatium vulneris grauitatem experta eſt, quod eandem medulla ac virore ſpoliauit, atque omnem ei vitam abſtu- Simile.

Digitized by Google

abſtulit. O ictum fatalem & nimis ah infelicem!

Peccatum igitur morti ianuam reſerauit, non vero naturæ humanæ inhæret; quod Pauli teſtimonio euidens ac manifeſtum fiet: *Stipendium peccati mors.* Et Apoſtolus Iacobus: *Peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Peccatum itaque an non infelix ac nefarius quidam pater eſt? vix enim deliberata voluntate conſummatum erat, quin ſtatim infelicem illam ſobolem; mortem, inquam, & interitum produxerit. Adeo vt certum & indubitatum ſit, crudelem illam Parcam è peccati, non vero naturæ vtero prodire & eam ipſam ab eo velut quoddam vulnus & plagam infligi, non vero à natura nobis adhæreſcere. Mentem meam vt explicem, dico hominem duobus reſpectibus conſiderari poſſe; primo, in puris naturalibus & iuxta conditionem naturalem, ab omnibus donis ſupernaturalibus, & omni gratiæ munere ſegregatum, in quo ſtatu dicendum eſt, homini mortem, non ſecus ac reliquis animalibus naturalem fuiſſe. Secundo vero, in ſtatu innocentiæ, ea nimirum perfectione & modo, quo à Deo Optimo Maximo conditus eſt, in ſumma, inquam, naturæ perfectione, ſcilicet rectiſſimus, ſcientiſſimus, innocentiſſimus, variis gratiis cumulatus, priuilegiis diuerſis ornatus, impaſſibilis, ab omni morbo & ægritudine alienus, immortalis, vitalis, & in æternum victurus, modo ſe à peccando continuiſſet: atque hic dici non poteſt, mortem illi naturalem & congenitam fuiſſe, ſed crucem potius ac ſupplicium, & tormentum grauiſſimum.

Rom.6.

Iac.1.

Dupliciter homo conſiderari poteſt.

Figuræ. 1.Reg.11.

Saul Iſraelitarum Rex æquanimiter ferebat ſe ad regiam dignitatem euectum non eſſe, regnoque carere, antequam idipſum adeptus eſſet; ſed ad ſolium iam ſublimatus & ex tanta hominum multitudine regno digniſſimus iudicatus & poſtquam iam aliquo tempore diadema geſtando regias delicias deguſtaſſet, ægerrime ferebat ſe ſolio deturbatū, regnumq; ad inimiciſſimum ſuum deuolutum eſſe, adeo vt ſuam non raro conditionem deploraret.

Heli Pontifici non graue erat, antequam Pontificium, quo nulla apud Iudæos in Sacris dignitas erat ſublimior, obtinuiſſet, ampliſſimo hoc munere priuatum viuere. Sed, poſtquam idipſum iam aliquot annis geſſiſſet, & infulam Pontificiam geſtaſſet, eadem ſubito priuari, magnam ei proculdubio moleſtiam peperit, magnique doloris cauſa extitit. Idem omnino de homine dicere quidni liceat? cum enim hunc in originali nuditate contemplor, ac proinde natura morti obnoxium, non exiſtimo graue ei fuiſſe, immortalitatis corona priuatum, ac tot gratiis deſtitutum viuere. Sed ſi eum conſideres, vt qui iam dudum priuilegiis gauiſus ſit, & iiſdem vnico momento excidat; quanto eum dolore confectum, qua animi amaritudine excruciatum putabis, & cum eo ſimul vniuerſam humani generis poſteritatem? Et ſane dolor hic adeo extremus ac vehemens eſt, vt Deum, ſi aliquoties mortis, quæ tantum hoc malum inuexit, noſque ſemper comitatur, vel tantum meminiſſemus, eamque ante oculos haberemus, in æternum non offenderemus. Hoc namque ſuadet Salomon dicens, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Atque hoc ipſum mihi iam thema delegi, de quo hodiernam concionem inſtituam, quam in duas partes diſpertiar. Primo de ſtatu illo loquar, in quo homo antequam peccando Deum offenderet, viuebat: ac deinde de illo, in quem poſt admiſſum peccatum incidit. Hinc porro facile eliciemus, ecquæ mortis & interitus cauſa exſtiterit, & quodnam eius tyrannidis crudelitatiſque principium: vos benignas tantum aures dicenti accommodate, & ipſe ad primam me partem proponendam accingam.

Eccl.7.

Quanta aurei illius ſeculi felicitas ac beati illius innocentiæ ſtatus dignitas (in quo maiores noſtri, nimis heu! breui tempore vixerunt, ſed in quo, ni per peccatum ſtetiſſet, tam ipſi quam omnes ipſorum nepotes permanſiſſent) dignitas fuerit, cum ex iis, quæ Sacræ nobis litteræ tradunt, tum vero ex miſeriis, in quas tam ſplendido & felici ſtatu priuati decidimus, perſpici abunde poteſt. Quàm vero præclara, quam rara, quamque mirabilia in Geneſi nobis propo-

II. Felicitas ſtatus innocentiæ.

nuntur? Quid enim excellentius, iucundius, aut quid admirabilius dici vel cogitari poſſet iis quæ de Adamo & Eua primis mũdi incolis refert Moyſes? Gen. 2. *Erat vterque nudus, & non erubeſcebant.* E quibus verbis duplicem eſt felicitatem colligere, inprimis ſanctam quandam innocentiam, & admirabilem in vtroque ſimplicitatem, cum nullus pudoris ſermo eſſet, ipſaque corporis nuditas neutrum offenderet, nec dedeceret: deinde vero impaſſibilitatem nunquam auditam vel viſam, corpus namque hoc, quod ex parte iam glorioſum erat, licet nudum & inerme foret, omnis corruptionis, quoad exteriora incommoda, quæ ingruere poterant, expers erat, nullis paſſionibus obnoxium, & ab infirmitate omnique morborum genere immune. Non enim metuebat calorem, frigore non adurebatur, in optimo ſemper ſtatu ac temperie erat, nihilque omnino reperiebatur, quod expugnare vel oppugnare idipſum poſſet. Non erat tunc opus veſtibus, deerant ſartores, tinctores deerant & officinæ.

Salomon vero longius adhuc procedit, aliaque de innocentiæ ſtatu encomia depromit: Eccl. 7. *Fecit Deus hominem rectum, ipſe ſe infinitis miſcuit diſputationibus*; ait, *Rectum*, forſitan vt inſinuaret, hominẽ non eſſe à Deo conditum, vt per terram ſerpat, aut, vt more beſtiarum, ad eandem oculos conuertat, ſed ſublime à Deo illi os datum eſſe, ac cœlum intueri iuſſum, & Angelorum inſtar in altum oculos & vultum efferre. Deinde, quis ſcit, num demonſtrare voluerit, in beato illo & feliciſſimo ſtatu rectiſſima omnia in homine futura, voluntatem nimirum rectam diuinæq; quam maxime conformem, partes inferiores etiam rectiſſimas, eaſque ad rationis ſuperioris perpendiculum quam optime directas? ſed poſtquam peccatum ſuperuenit, omnia incuruata, concuſſa ac deſtructa ſunt, *Ipſe ſe infinitis miſcuit diſputationibus*.

Refert in Polyhiſtore Solinus, Lacedæmonios, qui nulli in vniuerſa Græcia ciuitati tum morum honeſtate, tum optima reipubl. adminiſtratione concedebant, Delphos oraculi conſulendi ergo viros miſiſſe, qui ſciſcitarentur, num eorum reſpubl. diuturna foret: reſpondiſſe vero Deum, tamdiu eam in flore & vigore futuram, quamdiu rex eorum incederet rectus, ſed tum demum eam peſſum ituram, cum claudicans ad gubernacula ſederet. Nec caruit oraculum euentu. Ageſilao enim, qui deformiter claudicabat, ad regnum euecto, vniuerſa reſpublica corruit, ac prior illa maieſtas, quam diuturno temporis ſpatio illibatam cuſtodierant, paulatim conſenuit atque decoxit. At multo id oraculum videtur futurum diuinius, ſi humanæ naturæ ſtatui adaptetur: diuinis quippe oraculis iam ab ipſo mundi principio prænuntiatum erat, humanum genus, quamdiu Adam omnium hominum ſummus, ac dominus in ea rectitudine, in qua eum Omnipotens creauerat, perſiſteret; feliciter & proſpere acturum: ſed ſtatim vt claudicaret, idque in illam partem ad quam peccatum vergebat, omnia peſſum itura, & in exitium properatura. Oraculum porro hoc eſt, *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. Vnicum autem peccatum claudum eum reddidit, vnicum quoque peccatum humeris eius impoſitum dorſum eius incuruauit, nec ſolum illius, verum & omnium noſtrum. Hinc ingemiſcens ad Dominum Regius Propheta exclamat: *Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Pſal. 50. Quaſi diceret, Redde mihi Domine ſpiritum illum rectum, valentem, ſpiritum nouum, quem non modo habeo, peccatum nimis heu! graue, ad terram propemodum incuruauit, adeo vt prima rectitudine exciderit. Sed pergamus in ſtatus innocentiæ aureæque ætatis perfectionibus recenſendis.

Hominis felicitas quã in innocentiæ ſtatu habebat, facile poteſt è malisquib. nũc ſubiect' eſt, intelligi.

Deinde ex ipſa malorum, quæ hæreditaria ſucceſſione in nos, quamprimum vt nati ſumus, deuoluuntur, iliade, prioris ſæculi ſtatuſq; innocentiæ felicitas facile colligi poteſt; adeo vt calamitates, & ærumnas, ſi quis intueatur, facile videre valeat, quanta beatitudine ob vnicum peccatum exciderimus. Cogitet, inquam, inprimis acerbiſſimum illud decretum, quod aduerſus primam peccatricem Euam, idque in delicti expiationem, promulgatum fuit.

Mul-

Gen.3. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos, &c.* Dicere vult: Felix, ô nimium Eua, tua ſi bona nouiſſes, ſi voluntati meæ obſecuta in præceptis ambulaſſes; ſed iam, quoniam, neſcio quo ſuaſu, tui ipſius oblita, mea iuſſa conculcaſti, ærumnas indies augebo, filios tuos cum horrore concipies, cum dolore & cruciatu extremo paries, vita ſcatebit malis ac mille anxietates mors includet. Quid, tantæne animis cœleſtibus iræ? Igitur in ſtatu illo primæuo, ni peccatum in mundum veniſſet, nulla fuiſſet in prolis conceptione infelicitas, nullus in patiendo dolor, coniugalis actus nullam turpitudinem habuiſſet, ſed perfecta & abſoluta omnium rerum felicitas, atque aurea quædam ſæcula regnaſſent. Maledictio porro Adami maiora & grauiora adhuc mala includit; Ibid. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Quaſi diceret: Ni peccaſſes, terra ſponte, nec aratro proſciſſa, ſegetes, fruges, atque omnia fructuum genera, & quidquid ad vitam neceſſarium foret, protuliſſet, nulloq; vos veſtro diſpendio, gratis & quidem liberaliter ac laute, velut naturales ſuos & domeſticos, educaſſet: nam ipſa tellus.

Omnia liberius nullo poſcente ferebat,
------nulli ſubigebant arua coloni,
Nec renouatus ager grauibus canebat ariſtis.
Mella dabant folia, tum flumina nectaris ibant.

In illa ſcilicet ætate quidquid erat, hominum voluptati ſeruiebat, mille deliciæ erant in orbe, ac nullum omnino malum metuebatur. Vnde Auguſtinus: Lib.4. de ciuit.c.10. *Tam felix ſtatus, vt nullum bonum abeſſet homini, quod recta voluntas optare poſſet, nullumque malum adeſſet, quod hominis feliciter viuentis carnem vel animum offenderet.* O ſtatum vere felicem, ac mille votis exoptandum! Profecto ſi breuis hæc vita, vita hæc fragilis, fugax, grauis, laborioſa, ærumnoſa, mille caſibus & infortuniis expoſita, vobis, ô coſmophili, tantopere arrideat, ſi tanto eam amore complectamini, ſi ita illam foueatis, ſi quacunque illam ratione protegere, ac mortem remis veliſque fugere conemini: quam iucundam obſecro & gratam vitam illam fuiſſe putandum eſt, quæ mortem non metuebat, ærumnis carebat, pœnarum expers erat ſed iucundiſſima, atque omni felicitate erat cumulata?

Dauid vates cum hinc felicem illum ſtatum, illinc vero calamitatem in quam genus humanum peccando delapſum erat, in mentem reuocaret, exclamat: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal.48. Ecce quęnam infelicitas. Inſenſatus Adam ad ſummos honores, & gloriam euectus cum eſſet, totius orbis Dominus ac princeps, atque adeo omnium creaturarum caput conſtitutus, & ſimul Doctor, non dico in vtroque iure, ſed in omni ſcientiarum genere, immortalitatiſque priuilegio donatus; felicitatem ſuam demens non agnouit, ſed comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: primo quod regio illo loco, paradiſo inquā voluptatis, eiectus ſit, quod morti & variis calamitatibus obnoxius redditus, quod per terram deſertam inſtar iumenti ſine Domino euagari, atque inter animalia viuere coactus.

Deinde, quoniam voluptatibus inſtar beſtiæ, quam natura ventri obedientem finxit, indulſit, ideo quoque beſtiæ inſtar ad mortem tam animæ quam corporis, fuit condemnatus: poſtremo, quod, cum eſſet immortalis, in loco vitæ conſtitutus, & ad inſtar Angeli viueret, in peccatum ex gratiæ ſtatu delapſus, beſtiarum more mortem ſentiat iiſdem omnino paſſionibus obnoxius. An non igitur ſimilis factus eſt illis? quis eheu! talia fando temperet à lachrymis? Sed figuras in hanc rem producamus:

Magnus ille Babyloniorum Monarcha 1.Reg.25.
Nabuchodonoſor, ille, inquam, qui ſan- 2.Paral.24.
ctiſſimum ſimul & ampliſſimum Hieroſo- 27.29.
lymorum templum diripuit, ſacra vaſa & Ierem.39.
omnem ſacram ſupellectilem ſacrilega ma- Dan.1.2.3.
nu profanauit, vniuerſam Iſraelitarum no- 4.
bilitatem ferro & catenis grauatam captiuam in Babylonem abduxit, cum ſeſe victoriis ac triumphis turgidus gereret inſolentius, deque prouinciis ac regnis imperio acqui-

acquiſitis ſuperbiret, & ad inſtar numinis alicuius coli vellet & adorari, occulto Dei iudicio regno & ſceptro fuit priuatus, ſolio deturbatus, in deſertum compulſus, & ſeptem annorum ſpatio feræ inſtar per ſolitudinem errando herbas comedere coactus. O vere admirabilem rerum mutationem, ô ſubitam metamorphoſim, ô viciſſitudinem nunquam auditam vel viſam! quis legit vnquam aut vidit, regem potentiſſimum in animal brutum commutatum? Fuit hoc verum oſtentum, vel ipſa potius figura caſus illius quem protoplaſtus Adam incurrit; hic enim à Deo totius vniuerſi rex conſtitutus, & quidem rex in ſempiternum, ſimulq; vitam immortalem nactus, cum felicitate accepta gratiaque data inſoleſceret, & vix ſeipſum noſceret, diuinos quin etiam honores ambiret, ad mortem fuit condemnatus, honoribus priuatus, paradiſo expulſus, inque deſertam terram, in qua cum beſtiis & inter beſtias ageret, relegatus, *Comparatus eſt* itaque *iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis*. *Pſal.48.*

III. Salomon omnium mortalium ſapientiſſimus, ac regum Iuda facile rex, ſtatus huius fœlicitatem perfectionemque exaggerans, ait, *Deus creauit hominem inexterminabilem*, id eſt, impaſſibilem, qui mori non poſſet, & cui nihil noceret, *Et ad imaginem ſimilitudinis ſuæ, inuidia autem Diaboli mors intrauit in mundum*. O ſceleratam inuidiam! ô mortem ah nimis infœlicem! notent, obſecro Adæ poſteri, creatum à Deo hominem inexterminabilem, id eſt immortalem; adeo vt ſi primus generis noſtri parens Adam non peccaſſet, omnes immortales fuiſſemus. Erat quippe immortalitas præcipuum, ac maximum ſtatus innocentiæ priuilegium, ac velut gemma, quæ eum præ ceteris condecorabat. Sed Theologice hic demonſtrabo, quonam hoc ipſum modo debeat intelligi, idque breuiter, & quam poſſum compendioſiſſime. *Sap.2.* *Ibid.*

Condidit reuera hominem Deus immortalem, pati neſcium: ſi enim in primæua innocentia perſtitiſſet, mori non potuiſſet, & ab omni paſſione prorſus fuiſſet immunis, nec mortem quam ſenſit deguſtaſſet, nec in calamitates, in quas delapſus eſt, incidiſſet. Hęc quidem immortalitas ipſius naturę debita non erat, neue ei propria: nam ſi materiam è qua compoſitus eſt, & temperiem qua conſtat, conſideremus; mortalis erat ac verum prauarum affectionum mancipium. Sed Altiſſimus, in cuius ille protectione commorabatur, quippe eius ſingularem quandam rationem habebat, omnipotenti ſua prouidentia & ſcuto eum ſuo protexerat, nullum vt carnificis huius telum illi nocere potuiſſet, atque vndequaque ſua eum tutela velut armis communierat, variaque antipharmaca dederat, quibus aduerſus omnes vitæ ſuæ inſidiantes vteretur, & profligaret ea, quæ ſibi inimica atq; aduerſantia cognoſceret. Quanam ratione homo côditus immortalis.

An non enim certum eſt, ac quotidiana confirmatum experientia, nonniſi duabus mortem aut naturalem corruptionem viis, homini poſſe accidere, interna ſcilicet via, & intrinſecus operantibus iis, quæ intra eſſentiæ eius mœnia incluſa ſunt, vt ſunt, defectus caloris naturalis, item humoris radicalis, vel prædominans quædã & effrænis paſſio, quæ ita nimirum eum in tranſuerſum abripiat & perturbet, vt ſpiritum intercludens, mortem acceleret. Altera intrinſeca, quæ vt plurimum per côtraria & repugnantia prouenit, vt cibi, naturæ eius contrarii, temporis & aeris intemperies, fortunæ impetus, aliaque quæ homini exterius accidere ſolent. Porro homo, quem cælum ſingulari quadam ratione (quandoquidem tum in protectione Dei verſabatur) fouebat, nullo hæc omnia negotio peruiciſſet, & vt nihilum contempſiſſet ab omni periculo tutus & immunis.

Præditus erat ad hæc abſoluta quadam cognitione & iudicio, quod inſtar facis luciſſimæ in animæ eius penetralibus ſemper collucebat, quod omnia & ſingula, quæ vel prodeſſe vel obeſſe poſſent, ei amplectenda vel fugienda dictaret. Habebat quin etiam ante oculos lignum illud vitæ, quod in medio paradiſi iucundiſſimo ſemper virore vernabat: cuius fructus adeo efficaces & potentes erant, ac quodammodo medici, vt quicunque eoſdem deguſtaſſet

ſtaſſet, ſi fortaſſe naturalis in eo calor decoquere incepiſſet, redintegrato ardore, ac reſumpto honore radicali, & veluti reſtauratis viribus, viuidus mox ac vegetus, cum certa immortalitatis ſpe, appareret. Erat illic & continua pax, & mutua inter homines amicitia, ipſa quoque animalia hominibus obediebant, creaturæ etiam illis non aduerſabantur, nec dæmones prælium mouebant. Adeo vt niſi peccatis Deum ad iracundiam prouocaſſent, mori omnino non potuiſſent.

In Iob. c. 6. Teſtatur idipſum Papa Gregorius: *Ad hoc homo in paradiſo poſitus fuerat, vt ſi ſe ad conditoris ſui obedientiam vinculis charitatis coniungeret, ad cœleſtem angelorum patriam quandoque ſine carnis morte tranſiret: ſic enim eſt immortalis conditus, vt tamen ſi peccaret, & mori poſſet, & ſic mortalis eſt conditus, vt ſi non peccaret, etiam non mori poſſet.* Penitius adhuc in materiæ huius adyta penetremus.

1. p. q. 93. a. 1. Aquinas ille Thomas, Sorbonæ noſtræ ſurculus, omnium Scholaſticorum facile princeps de corporis humani agens immortalitate, in qua primi generis noſtri auctores à Deo conditi erant, ait, corpus Adæ incorruptibile fuiſſe, non naturali quodam vigore immortalitatis, ſed quod haberet neſcio quod ſupernaturale robur in anima, datum diuinitus quod corpus ab omni corruptione præſtabat immune, quamdiu ſcilicet diuinam voluntatem ſequeretur, eiuſque præceptis obtemperaret.

Incorruptibile quid dicitur tribus modis.

Quod vt planius faceret, diſtinctione vtitur, ait enim quid incorruptibile, tribus modis dici poſſe. Primo propter materiam: vel quod materia careat, vti Angeli, vel, ſi habeat, quod ad alias id formas, præter eam quam ſemel accepit, non vergat aut inclinet, vt in cœlis rebuſque cœleſtibus fieri videmus & vocatur hoc incorruptibile ſecundum naturam: atque hoc modo omnia corpora cœleſtia, & ipſi Angeli natura incorruptibiles ſunt. Secundo dici quid poteſt incorruptibile propter formam: cum nimirum rei alicui eſſentia ſua incorruptibili ſuperior aliqua, & excellentior diſpoſitio annexa eſt, quæ eam ab omni prorſus corruptione conſeruet: & dicitur hoc incorruptibile ſecundum gloriam, atque hoc modo incorruptibilia fore poſt generalẽ mortuorum omnium reſurrectionem, putamus ipſa glorioſa Sanctorum corpora. Vnde olim Auguſtinus: *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo ſanitatis & incorruptionis vigor.* *Epiſt. 56. ad Dioſcorum.*

Tertio, vocamus quid immortale & corruptibile propter cauſam efficientem: & ſic immortalis & incorruptibilis fuiſſet homo in ſtatu innocentiæ, idq; ſingulari Dei dono & beneficio, qui cauſa eius efficiens eſt: qui nimirum, quamprimum vt ei dedit Eſſe, dedit ſimul & immortalitatis donum. Vnde idem qui ſupra Auguſtin. *Deus, inquit, hominem fecit, qui, quamdiu non peccaret, immortalitate videret, vt ſibi auctor eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem.* *Lib. de q. noui & vet. teſtam q. 19.*

Scotus, qui Thomæ in omnibus pene aduerſatur, in hac quoque ſententia cum eo non conuenit, neſcit enim qui fieri poſſet, vt virtus quædam aut qualitas animæ inſita, corpus quod natura corruptioni obnoxium eſt, immortale poſſit & efficere & penitus incorruptibile: atque è contra, hominem in primæuo illo innocentiæ ſtatu, mori potuiſſe, ſed tamen non fuiſſe moriturum, quamuis alioquin mortalis eſſet, actu nimirum moriendi ad poſſibilitatem non accedente, Deoque moriendi tempus præueniente. Deus enim viſo vires eius iam paulatim imminuere, calorem naturalem euaneſcere & humorem radicalem ſenſim exſiccari antequam mors adueniret, in cœlum eum tranſtuliſſet, vitam hanc animalem, & terreſtrem in ſpiritualem, ac vere cœleſtem commutando. Bene quidem, ſed fuiſſet nihilominus immortalis, & Salomonis vera manet ſententia, *Deus creauit hominem inexterminabilẽ.* *Sap. 8.* Quid amplius? *Et ad imaginem ſimilitudinis ſuæ.* *Ibid.* Sed iam poſtliminio vnde digreſſi ſumus reuertamur, & ſtatus innocentiæ fœlicitatem, gloriam, voluptatemque magis adhuc dilatemus.

Sapiens igitur excellentiam huiuſce aureæ ætatis deſcribens, ait hominem inexterminabilem, immortalem, inexpugnabilem, & ad diuinæ ſimilitudinis imaginem conditum

ditum eſſe: porro Paraphraſtes per *inexterminabilem*, intelligit inæſtimabilem: quaſi diceret hominem illo ſtatu creatum, excellens quid & pretii infiniti atque ineſtimabilis extitiſſe. Atque hinc factum exiſtimo, cur non niſi poſt omnes creaturas à Deo cõditus ſit, vel quod in ordine creationis rerum, perfectiſſima & abſolutiſſima poſtrema eſſe ſoleant, vel quod mundi prius palatium exſtrui oportuerit, variaque ipſum ſupellectile, id eſt, animalibus, herbis, arboribus inſtrui, quam inquilinus eius homo, idipſum ingrederetur; vel fortaſſe quod omnium dominus ac velut finis eſſet. Vnde Ariſtoteles, *Nos omnium rerum quaſi finis ſumus*: at potiſſimam cauſam exiſtimo, vt demonſtraret poſteroſque edoceret; hominem, vti Sapiens dixit, eſſe quid inæſtimabile, ac pretii infiniti.

Cur homo vltimo à Deo creatus ſit.

2. Phyſ. text. 24.

Et ſane ipſa hominis creatio inæſtimabilis extitit, quod ipſe Moyſes diuinorum arcanorum interpres ſatis oſtendit: omnium enim rerum creationem poſtquam deſcripſiſſet, ſingulare quid in hominis creatione viſus eſt inſinuaſſe. Nam, ſi fortaſſe obſeruaſtis, tradit Deum omnia condidiſſe, vel abſoluta quadam voluntate (nam de creatione cœli & terræ loquens ait, *In principio creauit Deus cælum & terram*,) vel nuda & abſoluta iuſſione, *Fiat lux, & facta eſt lux*.

SS. Trinitas in hominis creatione cooperata eſt.

Gen. 1.

At quando homo creandus erat, homo inquam, quo nihil conditum eſt aut admirabilius, aut excellentius, conſultandum Deus putauit, & S. S. Trinitatis concilium quodammodo cogendum, vt quomodo eum effingat mature deliberet: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram*. Hic obſtupeſcit Tertullianus, hic miratur Baſilius, atque ambo confitentur, vere inæſtimabilem hominem à Deo conditum eſſe: qui illi à Salomone, Salomon autem à Moyſe didicere. Sed audite quid aliud.

Gen. 1.

Lib. 2. aduer. Marcionem. Baſ. hom. in hexam.

Aduerto præterea, cum creaturarum omnium efformationem mecum perpendo, terram & aquam omnium plantarum, herbarum, dumorum, fruticum, radicum, arborum, auium, piſcium, beſtiarum, animaliumque velut parentes, ac genetrices exiſtere omniaque quæ quatuor hiſce elementis continentur, ex his duabus originem ſumpſiſſe. De aquis teſtatur in Hymno Eccleſia,

Deus ipſe hominẽ creauit, cætera omnia vel è terra vel aqua prodire.

> *Qui ex aquis ortum genus,*
> *Partim remittis gurgiti,*
> *Partim leuas in aera.*

De terra audiamus Moyſem, *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum.* Et deinde: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia, & beſtias terræ.* Hominem vero, velut diuinum quid & penitus admirabile, ipſe Deus condidit, ſuis cum manibus componens, atq; omnia corporis & ſenſuum organa diuino artificio dirigens, diſponens, & formãm quandam penitus ſpiritualem in eodem effingens. An non igitur bene ait Sapiens, *Creauit Deus hominem inæſtimabilem?* Cur autem addit, *Et ad imaginem ſimilitudinis ſuæ*: an vt nobis vernantem illum innocentiæ ſtatum magis adaperiret, felicitatemque hominis euidentius exponeret? fieri quidem poſſit, ſed ſunt & aliæ rationes numero infinitæ & auctoritate prægnantes, quarum aliquas huc adducam.

Sap. 22.

IV. Cur Deus hominẽ ad imaginẽ ſuã crearit.

Omnipotens ille rerum conditor Deus, ideo potiſſimum hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condere voluit, præter cætera quibus eum donauit priuilegia & gratias, vt diſcrimen, quod inter diuinam bonitatem, & humanam eſt malitiam melius patefaceret: homo enim natura ita procax, & meritis ſuis ita arrogans eſt, vt parem pati, vel ſocium tolerare neſciat. Dei vero bonitas adeo immenſa eſt, atque infinita, vt ea quibus excellit, homini cupiat eſſe communia, ſuaque cum illo priuilegia communicare: vult eum ſcilicet immortalem, ſcientem, felicem ac beatum eſſe; vt nimirum ipſe immortalis, beatus atque omniſcius eſt. Vere igitur hominem ad ſimilitudinẽ ſuam creauit. Altera eſt, Deus, ſumma inquam illa bonitas, & amoris in hominem infiniti ad imaginem eum ſuam ideo condere voluit, vt omnes eam creaturæ colerent, ſuſciperent, & venerarentur, tanquam eum qui regis ſui ac Dei exterius ꝑ ſe ferret inſignia.

Vnde

Digitized by Google

Gen. 9. Vnde ad Noe Deus: *Terror veſter & tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli.* Ne nimirū cœleſtes orbes motum, aſtra lumen, Angeli promptum miniſterium denegarent, & ne dæmones in eius perniciem & interitum conſpirarent, neue beſtiæ atque omnia fera animalia in eum inſurgerent, eique exitium minarentur. Et quemadmodum Ægyptii Ioſephum Patri- Gen. 41. archam, Perſæ & Medi Mardochæum ſu- Eſth. 6. ſpiciebant, venerabundi, quod regiis ambos inſignibus indutos conſpicerent: ita quoque omnes omnino creaturæ hominem velut diuinum, Deo dilectum, diuiniſque inſignibus circumdatum venerarentur. Ideo ſcilicet eum ad imaginem ſimilitudinis ſuæ creauit.

Tertia ſit: Omnia dederat homini Deus, ſed eum voluit eſſe ſuum, & ad ſe pertinere: vtq; hoc manifeſtum foret, eumq; vt talem cæteræ creaturæ ſuſpicerent, regio quodam ſigno, imagine, inquam, ſua, eum notare voluit, tamque profunde diuinæ eſſentiæ ſuæ ceræ inſculpere, nulla vt ratione eradi poſſet niſi ſimul & ſua, diuina ſcilicet, natura eraderetur. Nobilis ille ſculptor Phidias, cuius opera ſemper admirata eſt antiquitas, tanto artificio Mineruæ clypeo ſuam effigiem inſculpſit, nulla vt arte, niſi cum inſigni operis deformitate, potuerit eradi. Melius hoc mea ſententia, de ſummo illo vniuerſi ſculptore dici poteſt, qui hominem ſculpendo, naturę illius æri tanto artificio imaginem ſuam indidit, vt quicunque eam tollere contenderet, diuinam quoque non mediocriter læderet eſſentiam. Benè igitur olim dixit Sa- Sap. 2. piens: *Deus creauit hominem ad imaginem ſimilitudinis ſuæ.*

Quartam audiamus: Inter omnes omnino creaturas corporeas, quæ è nihilo productæ ſunt, nulla reperiebatur quæ vel Dei imaginem referret, vel cum qua ille familiariter ageret, & erga quam ſuum affectum declararet: quapropter ſummo illi Numini viſum fuit hominem creare, eumque ad ſimilitudinem ſuam efformare, vt eum diligeret, ipſe quoque viciſſim ab illo diligeretur, atque familiariter cum illo ageret, quippe qui in ſe illius referret imaginem. Ita nimirum ipſe teſtatus eſt, dicens: Prou. 8. *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum*: ait, *Cum filiis hominum*, non vero cum beſtiis, cœleſtibus orbibus, ſideribus, Angelis, at cum ſolis hominibus, ſoli namque homines ad eius ſimilitudinem efformati ſunt. Exclamat hic Iob, & immenſam Altiſſimi bonitatem demiratur, Iob. 7. *Quid eſt homo quia magnificas eum, aut cur apponis erga eum cor tuum? viſitas eum diluculo.*

Annon hic magnus amor eſt, & immenſa dilectio, quæ nimirum è diuinæ eſſentiæ ſimilitudine ortū habet? Merito ergo ſcripſit Sapiens, *Deus creauit hominem ad imaginem ſimilitudinis ſuæ.*

Quintam ſtatuo hanc: Quemadmodum Rex cum vrbem exſtruxit, aut arcem quandam communiuit; loco aliquo celebri inſignia ſua figere ſolet, marmori aut æri inſcripta, vt apud poſteros perpetua eius rei vigeat memoria, quique ſequentibus victuri ſunt temporibus, quis loci illius fundator exſtiterit, ſciant. Ad eundem etiam modum ſummus ille Deus qui natura totius vniuerſi Dominus eſt ac rex, poſtquam magnā hanc totius orbis remp. condidiſſet, hominis vultui (qui eſt totius ędificii velut locus primus & qui inter omnes omnino creaturas principem locum obtinet) inſignia ſua, ſuæque imaginis ſimilitudinem voluit inſculpere, vt quicunque hunc intuerentur, in fronte illius velut in frontiſpicio ſimul legerent, quis tam amplæ in mundo hoc inferiori vrbis cōditor & fundator exſtiterit.

Cic. 1. offic. Plin. lib. 35. c. 10. Nobilis ille pictor Apelles cum opus quoddam inchoatum morte præuentus abſoluere non potuiſſet, nullus omnino repertus eſt, qui vltimam manum addere, aut tanti pictoris opus perficere auſus fuerit. Oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem auferebat. Haud aliter quoque Deus optimus maximus, admirabilis ille naturæ huius pictor & effictor, cum ſuam homini imaginem, ſed eam imperfectam, nec penitus abſolutā in creatione, inſculpſiſſet; nulla vnquam creatura exſtitit, nec vllo vnq tempore, etiam inter Angelos exſtabit, quæ

eandem perficere præſumat. Solus namque Deus eandem in eius creatione incepit, in iuſtificatione quotidie magis & magis expolit, & tandem in glorificatione perficiet, & penitus abſolutam reddet. Tantane igitur tua in poſterum futura eſt impudentia, ô homo, vt Dei tui imaginem & inſignia per terram velut neglecta trahere, ac vitiorum tuorum cœno ac ſordibus coinquinare præſumas? foret hoc crimen grauiſſimis dignum ſuppliciis, & ſingularis Dei tui contemptus indicium, quod ne fieret, impedire conatus eſt Sapiens, cum creationis tibi tuæ excellentiam in mentem reuocauit, dicens: *Deus creauit hominem inexterminabilem & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ.* Sap. 2. O rationes egregiæ! ô felicitas incomparabilis! ô vita omnium votis exoptanda, niſi Satanæ inſidiis fuiſſet interrupta! Sed quid? *Inuidia diaboli mors intrauit in mundum* Ibid. O inuidiam ſceleſtiſſimam! ô rabiem nimium crudelem! ô mortem ah nimis infelicem! mortem, inquam, cuius memoria nunquam animo noſtro deberet excidere & ad cuius perpetuam recordationem nos Salomon adhortatur, verbis illis quæ toties iam produximus: *Memorare nouiſſima tua, & in æternũ non peccabis.* Nam mortis meminiſſe, ac præſertim vnde profecta ſit, & quanam ratione in mundum venerit, eſt, amiſſionis illius iucundiſſimæ immortalitatis, iuſtitiæ originalis deprædationis, priuilegiorum illorum ſingularium abolitionis, recordari; hęc porro omnia ſingularis efficaciæ ſunt, ac nimium quantum ſufficiunt ad inſolentiam comprimendam, & præcipitem noſtrum in omnia vitia impetum retardandum. Veſtrûm igitur erit, eiuſdem perpetuo recordari, meum vero ad alterum concionis membrum delabi, vobiſque ad oculum, quanta mala Satanæ inuidia poſt innocentiæ & immortalitatis amiſſionē in orbem inuecta ſint, oſtendere. Erat hoc nimirum ſecundum quod explicandum ſuſceperamus, quod quam poterimus breuiſſime expediemus.

V. Diabolus, nefarius ille ſpiritus, videns hominem tanto in honore conſtitutum, tãta felicitate abundantem, tam ingenti gloria cumulatum, eiuſdem felicitati inuidit, & aduerſus eandem conſpirans, peccatum in orbem inducens, portaſque morti adaperiens, ei perniciem machinatus eſt, primamque illius felicitatem impedire conatus, atque innocentiam primæuam euertere ſatagens, eandem perdidit; atque in illo variis nos omnes malis & calamitatibus inuoluit. Sceleratus ille Achitopel Abſolomo, qui patri in regno proxime debebat ſuccedere, nefarium conſilium dedit, vt in eum inſurgeret, arma aduerſus eum geſtaret, regnumque ſibi violenter pareret; 2. Reg. 15. ideo illum copioſa militum manu inſtruxit, inſtructumque in aciem produxit, in qua fuſus fugatuſque vitam ſimul ac regni ſpem miſero ſane exemplo perdidit. Ecce in quæ mala peſſimus ille conſultor adoleſcentem regium non compulerit. Satan vero Achitopheli perfidia & nequitia non cedens, Adamo, ad gloriam & immortalitatis coronam deſtinato, perſuaſit, vt aduerſus Deum, patrem ſuum ſimul & principem inſurgeret, in eum arma caperet; quem cum variis armis, & inprimis ambitionis, inſtruxiſſet, totius eius ruinæ, perniciei ac mortis denique cauſa extitit. Hinc bene Scriptura: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* O inuidiam vere deteſtandam!

C. Caligula Imperator tanto in populum Romanum odio fuit, vt ſæpius diceret: *Vtinam hic populus vnicam ceruicem haberet*; vt nimirum eandem præſcindens, populum ſimul vniuerſum ita extingueret. Odium Caligulæ aduerſus Romanos. Satanas hominum inimicus immortalis atq; hoſtis iratiſſimus; vetus, inquam, ille Tartari Imperator, odium pluſquam Vatinianum aduerſus homines ſub pectore fouens, & idipſum foras producere conatus, Adamum qui totius naturæ caput erat & princeps, occidit, & cum eo totum humanum genus capite truncauit. Teſtem hic habeo Apoſtolum Paulum: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors:* Rom. 5. adeo vt capite extincto, totum ſimul corpus diſcrimen adierit.

Sampſon, quo vindictam de Philiſthæis Iud 16. hoſti-

hoſtibus iratiſſimis ſumeret, columnas quibus cœnaculum in quo epulabantur, innitebatur, collidens, eoſdem ruina inuoluit. Satan idipſum omnino cum hominibus, hoſtibus ſuis mortalibus, egit. Illos enim perdere & euertere ſatagens, Paradiſum terreſtrem ingreſſus, in quo omnes ſimul homines interpretatiue continebantur, Adamum & Euam, qui velut baſes totius humani generis erant, aggreſſus, eoſdem ſubuertit: quibus proſtratis, tota mox ædificii moles velut columnis deſtituta, corruit, omneſque poſteri ac nepotes ſub eadem ruina miſere oppreſſi interiere. Mors igitur per vnum hominem intrauit in mundum. Audite figuras.

Eſth.5.6.7. Purpuratus ille Perſa Aman, inuidia & ſuperbia tumens quam qui maxime, cum diuturnum aduerſus miſerum Mardochæum odium fouiſſet; tandem ſanguinolentũ & atrox à Rege decretum obtinuit, quo ei, & Mardochæũ patibulo affigendi, & totius Iudæorũ populi exſcindendi, ac ferro flammaque delendi licentia dabatur. Diabolus antiquus ille Infernorũ dominator & princeps, omniumque ſuperborum caput & dux, immortales cum homine gerens inimicitias, tantum in Paradiſo effecit, vt eum peccato inuoluens, cruentum de eo morte tollendo decretum obtinuerit, nec ſolum de eo, verum & de omni eius poſteritate, quæ ad finem vſque ſæculi, continua ſerie, poſt eum eſſet ventura; *Gen.3.* *Omnes igitur in eo peccauerunt*, at decretum ipſum, hoc eſt, quod ſacris Scripturæ libris legitur inſertum: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Naaman Syrus, diuitiis & nobilitate pollens, ſed lepra turpiſſima infectus, in Iudæam veniens, in cauſa fuit, cur Giezi Eliſæi Prophetæ puer, qui ambitione tumebat, occulto Dei iudicio, lepra fuerit percuſſus, atque omnes eius longa ſucceſſione poſteri: *4.Reg.5.* *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Satan Inferorum princeps, ſed lepra ſcatens, laxatis habenis in mundum ingreſſus, cauſa exſtitit, cur, non dico Giezi, ſed Adam, natura ſua Dei puer ac ſeruus, peccati lepra infectus fuerit, atque vniuerſa eius poſteritas, *in quo omnes peccauerunt*: ecce lepra generalis. *Rom.5.* *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum*: *Sap.2.* ecce diabolum in cauſa. Deſuntne igitur nobis in Sacris literis figuræ, quibus id probemus? ſed parabolas etiam aliquas proferamus. *Matth.13.*

Parabolæ inſignes. Pater quidam familias, cum bonum ſemen in agro ſeminaſſet, venit inimicus homo, cum altum dormirent homines, & nox eſſet, & ſuperſeminauit zizania, omnemque eius laborem deſtruxit. Hoc, fateor, non niſi parabola eſt, ſed denotat, Deum magnum illum patremfamilias, naturæ humanæ agrum gratia, virtutibus, ſcientia, iuſtitia, aliiſque bonis ſeminibus repleuiſſe; diabolum vero, qui verus hominis inimicus exiſtit, omnem eius laborem perdendo, peccati, mortis, laborum, miſeriarum, infirmitatumque zizania & ſpinas ſuperſeminaſſe. Ecquæ Deus bone zizania! Audite & aliam magis luctuoſam, quam nobis Lucas deſcribit: Homo quidam deſcendebat de Ieruſalem in Iericho, (quæ idololatris infamis erat) & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. *Luc.10.* Homo infelix, cuius quæſo, geris figuram, niſi infelicis iſtius Adam, qui neſcio quo inductus conſilio deſcendens Ieroſolymis in Iericho, è gratiæ, inquam, ſtatu, in voraginem peccati, & in latrones & ſicarios atrociſſimos incidit, mortem, diabolum & peccatum? O ſceleratos prædones, qui præterquam quod gratias & priuilegia, dona ſupernaturalia, iuſtitiam originalem, immortalitatem, Dei cognitionem, aliaque plurima illi abſtulerint; cruenta quoque vulnera, eaque horrenda infixerunt, ſcilicet ingentem ſpiritus excæcationem, magnam in intellectu corruptionem, in parte concupiſcibili rebellionem, eumque ſemiuiuum, ſolis naturalibus relictis, deſeruerunt. O caſum deplorandum! ſed audite alia.

Hominis miſeria poſt ad- Cum itaque iam omnes homo facultates amiſiſſet, ac vita quinetiam ipſius venalis eſſet, ecce è veſtigio mille calamitates

 fata-

Digitized by Google

miſſum peccatum. fatales, & cruces variæ in eum irruerunt, calidum, inquam, & frigus, fames, morbi, innumeræque aliæ ærumnæ quæ illi intrinſecæ ſunt, & cognitæ. Eheu! peccatum ecce omnia miſeriarũ genera in orbem inuexit. Ab eo tum tempore inualuit crapula, tabernæ erigi cœpere, fumare culinæ, ventriſque ingluuies dominari: tum gula & ebrietas laxatis habenis in mundum venere; tum ciborum deliciæ linguæque irritamenta nata ſunt.

Ante peccatum admiſſum nemo comederat carnes.

Non erat ante lapſum vſus carnis, nemo eandem guſtauerat, laniones nulli reperiebantur, quid torrere & frigere foret nullus nouerat: nam non niſi herbis & pomis primi parentes veſcebantur. Quod ex ipſis Dei verbis vitæque ratione, quam iiſdem præſcripſerat, manifeſtum efficitur: ait enim: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam.* (Gen. 1.) Nulla ecce carnis ferinæ, animalium, aut alterius cibi fit mentio. Et ſane bis mille annis, ad ipſum vſque diluuium, veriſimile eſt hanc à primis mortalibus diætam ſeruatam. Et profecto hæc vitæ ratio in ſtatu innocentiæ, & aureo ſæculo etiam fuiſſet, vel quod ea quæ terra progigneret, naturaliter tum parari poterant, minorique cura & anxietate, ſine foco, culina, nulloque adſcititio condimento; vel quod herbæ & arborum fructus iucundiori tunc ſapore pollerent, vti accidiſſe conſtat Hebræis, dum quadraginta annorũ ſpatio, manna per deſertum Sinai reficerentur, quod omne in ſe ciborum delectamentũ complectebatur.

Abſq; peccato nõ fuiſſet vini vſus

Præter varia illa gulæ irritamenta, ſaporumque varietates, vini quoque & bacchanalium vſum, quæ priori ætate ignota erant, peccatum exortum fecit exoriri. Ante enim, quam innocentia exciderent parentes noſtri, nonniſi aqua bibebatur, nec ea quidem factitia aut condita, ſed naturalis, qualem eam fontes & flumina propinabant: quin & omnes quotquot tum erant ad vſq; diluuium, aquam biberunt; ſed maiori haud dubie voluptate & guſtu, quam modo vina falerna aut Campana, habebat enim tunc aqua ſaporem quemdam ſuauiſſimum, ac guſtum longe iucundiſſimum, cui melicraton, vinum myrrhinum, defrutum, ſicera, & nectar Cannarium ſi compararentur, putiſcere, & diluta quodammodo eſſe videantur. Crediderim quidem vites terram protuliſſe, ſed ſolis vuis contentos mortales ſuccum inebriantem non expreſſiſſe, atque hac ratione ad ipſius vſque diluuii tempora vixiſſe. Quod per Noachi ebrietatem euidenter oſtendi poteſt: hic enim cum vires à diluuio quodammodo fractas & debilitatas ſentiret, ac naturę robur nonnihil decoxiſſe, vites quas diluuium perdiderat, cœpit excolere, liquoreque expreſſo guſtato inebriatus eſt. Ignorabat ſcilicet, vt eum ſacra Scriptura excuſat, vini potentiam, neſciebat fumoſis illis exhalationibus, quas vinũ continet, capitis vertiginem induci. Quamobrem ſi ante diluuium vini vſus fuiſſet, Noe profecto, qui ſexcentis ante id annis vixerat, vini vſum & vires non ignoraſſet. Dicendũ eſt igitur, eius vſum tunc incognitum fuiſſe, & ſola frigida illius æui homines ſitim reſtinguere ſolitos. At vbi peccatum intrauit, omnia ſurſum deorſumque mutata ſunt ac fugata abſtinentia, victuſque temperiæ, ingluuies, menſæ lautiores atque Epicureus viuendi modus innundarũt. Quin & maiora.

Peccatum etiam ſtupidos nos & ignaros reddidit, & qui prius omnium rerum cognitione enituiſſemus, nos bardos effecit. Primi quippe parentes diuina quadam ſcientia ac doctrina ſingulari prædíti à Deo conditi erant. Vnde Eccleſiaſticus, *Diſciplina intellectus repleuit illos, creauit illis ſcientiam ſpiritus, mala & bona oſtendit illis:* (Eccl. 17.) quin & eorum poſteri eiuſdem ſcientiæ ex aſſe hæredes fuiſſent; ſed omnia hæc per peccatum deſtructa ſunt, quod, ablata ſcientia, meras tenebras, & denſam ignorantiæ nubem, ne dicam noctem, animis noſtris offudit. Abſq; peccato fuiſſet, non oportuiſſet litteris incumbere, non fuiſſet opus ſibi præceptores adſciſcere, de bibliothecis & libris, nullus fuiſſet ſermo, ſcholas nõ fuiſſet neceſſe viſitare,

Digitized by Google

ſare, totus quippe mundus in omni ſcientiarum genere apprime fuiſſet verſatus, at mera modo vbique ignorantia & mentium caligo regnat, ô rerum vices deplorandas! & metamorphoſim nimis ab diuerſam! quam procul à priore illa felicitate receſſimus! Sed quid? peccatum eſt, Auditores, peccatum eſt, vnicum inquam peccatum, quod in has nos miſerias coniecit: ipſum quod nos omni fœlicitate, iucunditate, vita, deliciis ac voluptate ſpoliatos & nudatos, in ſtatum infœlicitatis, calamitatis, mortis, miſeriarũ, & ærumnarum coniecit. Ipſum inquam eſt, quod nobis infœlici profectò partu mortem edidit, quam vos, velim, ſemper ob oculos gerere, ac nullo non loco recordari: & ita fiet, vt in æternum nunquam peccaturi ſitis.

Atque hoc vnum eſt, quod hodie omnes quam enixiſſime à te poſtulamus Domine, vt nobis ſcilicet gratiam concedas; qua nunquam eiuſdem obliuiſcamur; ſed quoad viuimus, eius nobiſcum viuat memoria, & inprimis, vt interdum in mentem reuocemus, fœlicitatem, voluptatem ac delicias aurei illius innocentiæ ſtatus, vt nimirum homo conditus ſit à Deo immortalis, ſemper vegetus, lætus, procul ab omni triſtitia remotus, benedictionibus abundans, afflictionibus carens, ab omni prauo affectu liber atque aduerſus omnes morbos ſingulariter præmunitus: vt nimirum omnia nouerit, nihil ignorauerit, omnia dilexerit, nihil deſpexerit, omnia gubernarit, nihil formidarit, omni denique fœlicitatis genere fuerit cumulatus.

Ac deinde mentis oculos in aliam partem deflectentes, peccati horrorem inſpiciamus, ſimulque meminerimus, ipſam eſſe nefariũ illum prædonem, qui omnibus nos priuilegiis, donis, facultatibus ſpoliauit, ac nudos penitus deſeruit: vt deinde nunquam obliuiſcamur, ipſum eſſe patrem tam infandæ ac nefariæ filiæ, mortis inquam, quæ omnes omnino homines premit.

Quæ omnia cum in mentem reuocauerimus, fac Domine, vt fructum hinc aliquem percipiamus, vt nimirum viſa eiuſdem virulentia illud remis, veliſque fugiamus, & ab eo velut à facie colubri, vt Sapiens monet, declinemus; ſimulque ad te recurramus, vt qua nos ipſum priuat, beatitudinem ſempiternam recuperare valeamus: ad hanc porro nos dirigant Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA QVARTA.

DE MORTIS NECESSITATE.

Partitio.

I. Quod omnis homo eſt mortalis.
II. De certitudine neceſſitatis moriendi.
III. De facilitate euertendi robuſtiſſima quæq;.
IV. De vniuerſali mortis ſtatuto.
V. An Enoch & Elias ſint mortui.

Memorare nouiſſima tua, & inprimis eſſe neceſſe omnes nos mori, & in æternum non peccabis. Eccleſ. 7.

FIGVRA.

CVM filii Iob, in domo fratris primogeniti, iucundiſſime epularentur; ecce ventus & turbo quidam vehementior, è deſerto prorumpens, quatuor domus angulos concutiens, eandem ad terram miſerabili ſane caſu proſtrauit, atque omnes conuiuas triſti ruina inuolutos oppreſſit. O caſum deplorandũ! Sed fuit illa oppreſſio figura mortis vniuerſalis, & interitus omnium filiorum hominum præſagium. Omnes enim filii Dei, qui verus noſter Iob eſt, in Adami, qui omnium hominum primogenitus erat, voluntate velut in domo quadam, ſimul comprehenſi, iucundiſſime in paradiſo deliciarum inter ſe cum epularentur; vehemens ille peccati turbo exſurgens domumque concutiens, omnes omnino mortales miſere oppreſſit, ac vniuerſum humanum genus variis calamitatibus inuoluit. Atque ita factum Iob. 1.

Digitized by Google

ctum eſt, vt Adamo ad terram proſtrato, omnis eius poſteritas eodem caſu ad terram ceciderit, duce quippe ſauciato ac tantum non mortuo, omnes illius milites morti adiudicati ſunt: adeo vt nullus ex toto hactenus agmine fuerit, qui ab eadem tutus euaſerit. Semel itaq; omnibus moriendum eſt, idque fatali quadam neceſſitate à Deo conſtitutum: quod latius vobis deducere hodierna concione decreui. Illumina tu modo intellectum ſanctiſſime Spiritus, & ingenii nebulas lumine tuæ claritatis illuſtra; tu vero glorioſa Dei genitrix precibus me tuis adiuua, vt fœliciter ad exitum cœpta proſequar: atque ideo te cum Angelo compello, & cum omnibus hic præſentibus, Aue tibi impertior.

Plutar. in Apophth. eg. Alexandri Magni dictum.

Chæronenſis Plutarchus refert, Alexandrum Macedonem, multis victoriis ac trophæis nobilem, cum quodam tempore vulnere in prælio accepto, ſanguine perfuſus maderet, ad ſuos duces, qui diuinis eum honoribus afficiebant, ac velut heroem quendam & ſemideum adorabant, conuerſum dixiſſe? Videtis hæc vulnera, cariſſimi? an hæc ſigna ſunt immortalitatis? hoccine deorum eſt? itane Deos hominum mucronibus impeti, aut morti eſſe obnoxios? deſinite igitur me Deum appellare, à quo humanum nihil, imo ne mortem quidem, alienum cernitis.

Deſignare voluit generoſus & modeſtus princeps, mortem omnibus hominibus cõmunem eſſe, ac neceſſario vnicuique noſtrũ euenire, tamq; regibus ſceptra, quam colonis ligones è manibus excutere. Sed hiſtoriam hanc propoſito meo adaptabo.

Caro, mundus, ac diaboli, qui à longo iam tempore Plutonis aulam incoluere, ac mortalibus adulari quam qui maxime conſueuere, nullo non tempore nobis miſellis perſuadere conantur; eſſe nos in hoc mundo velut deos quoſdam immortales, mortis imperio exemptos ac ſemper victuros: quotidieque nobis occinunt, quod ſerpens olim maioribus noſtris, generiſque humani auctoribus in paradiſo ingeminauit, *Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dii.* Sed noſtrum eſt, Auditores, ſtatim vt vitæ huius moleſtias experimur, calamitatumq; impetus perſentiſcimus, cum Alexando è contra obiicere: Anne tibi, ô inſenſate munde, omnes hæ quas patimur ærumnæ, morbi quos ſuſtinemus, fortunæ varietates quibus ſubiecti ſumus, certiſſima immortalitatis indicia videntur? an non vero potius inſinuant, mortales nos eſſe, fato obnoxios, & ad finem vitæ paulatim deflectere? Quid ais Satan? locus ille corruptionis in quo viuimus, terra maledictionis quam incolimus, mortalium nomen quo nominamur, ærumnæ, calamitates, labores, ac rerum viciſſitudines, quas quotidie nimis ah! frequenter experimur, an non aperte nos inſinuant mortales eſſe, ac morte terminandos?

Ita porro haſce technas & adulantium præſtigias à ſe remouit ſanctus ille vates ac rex Dauid, qui ex humili ad regiam dignitatem euectus eſt: *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes: Vos autẽ ſicut homines moriemini,* *Pſal. 81.* eſtis, fateor, homines, veluti dii quidam terreni: patratis enim miracula, peccata remittitis, ægros ſanitati priſtinæ reſtituitis, mortuos ad vitam reuocatis: quid reſtat quam nouos mundos condere? ſed interea velim vos meminiſſe, eſſe vos mortales & vt homines morituros: *Sicut homines moriemini,* *Supra.* non moriemini, inquam, ſicut plantæ, quæ poſtquam vitam vegetatiuam vixerint, emoriuntur, & tum omnia in illis Eſſe deſinunt, nõ moriemini ſicut beſtiæ, quæ vitam habent ſenſitiuam, quam vbi perdiderint, omnia ſimul perdita ſunt: ſed moriemini ſicut homines, qui cum natura quadam excellentiori præditi ſunt animaque rationali donati, quamuis corpora moriantur, & in putredinem ac cineres conuertantur, ipſa tamen anima ſemper viuunt & nunquam morituri ſunt. Mors itaque omnibus hominibus communis eſt.

Nabuchodonoſor à Deo humiliatur, quod

Nabuchodonoſor, potens ille Aſſyriorum monarcha, neſcio qua ductus ambitione, immortalem ſe eſſe credebat, diuinoſq; honores ambiebat; at Deus, qui ſuperbis reſiſtit, eoſque humiliat; illum coarguit, atque

Digitized by Google

atque fatuam illam & ſtolidam ambitionem portentoſis quibuſdam & ænigmaticis viſionibus retudit, vt veram laudem animi humilitatem reſipiſcens coactus fuerit induere. Prima viſione vidit ſtatuam, cuius caput aureum & pedes lutei, quæ à ſcelerato quodam laterculo ad terram deiecta in fruſta comminuebatur: quam viſionem Daniel interpretatus ait: *Tu es ô Rex caput aureum*, qui pedes habes fictiles, & cuius naturæ baſes non niſi lutum ſunt & terra, quemque vnicus mortis impetus in cineres & putredinem rediget. Altera vidit arborem proceram & opacam, quæ nubes cacumine tangeret, ramorumque comis totum quaqua patet orbem repleret: ſed mox vocem audiuit, qua arbor hæc excidit, rami præcidi, folia auelli, fructuſque per terram ſpargi iubebantur. Hanc quoque viſionem exponens Daniel regi, dixit, *Arborem quam vidiſti ſublimem atque robuſtum, cuius altitudo pertingit ad cœlum, tu es Rex qui magnificatus es*: tu es inquam arbor, quæ tempore ſuo excindetur, & virore ſpoliabitur, quamque mors falce ſua demetet & ad terram proſternet. Et nunc reges intelligite: conſiderate inquam, vos eſſe ſtatuas illas ingentes, coronis aureis redimitas; ſed à mortis lapillo nequaquam immunes: cogitate vos eſſe arbores illas ſublimes, quorum caput ad cœlum pertingat, & quorum gloria nubes tranſcendat, ſed nullum inter vos eſſe, qui non mortis cuneo exſcindatur, vnde Poeta.

Dan. 2. *Dan. 4.*

Sub tua purpurei veniunt veſtigia reges,

& alius:

Mors æquo pede pulſat pauperum tabernas
Regumque turres.

Nulla enim datur exceptio, nullus aliquo gaudet priuilegio, nullus morti eripitur, ſed omnibus illa communis eſt ac neceſſaria, nemini parcens: vnde Socrates ad mortem condemnatus cum eſſet, ac iudicum in eum prolata ſententia hilaris reſpondit: hos qui me nunc morti addixerunt, longo ante tempore natura eidem addixit, innuere volebat, omnes nos natura mortales eſſe, ac mortis ſententiam, iam à primis vitæ incunabulis, nobiſcum ferre. Quod & deſignauit dudum

Dictum Socratis.

Tom. 4. Beſſ. Aduent.

ante Pſaltes, dum ait: *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem?* putat ecce vates, fieri non poſſe, quemquam vitam à natura mutuo accipere, & eandem non reddere. Sed quemadmodum omnis motus duob. in terminis finitur: à quo incipit, & in quem deſinit: ita quoque eſſe noſtrum, verus quidam motus eſt, quem duos neceſſe eſt habere terminos, vitam inquam, à qua incipit, & mortem in quam reſoluitur, & exſpirat: *Quis eſt homo qui viuet?* ecce terminus à quo: *& non videbit mortem?* ecce terminus ad quem & motus finem. Quocirca hoc certum indubitatumq; ſtatuendum eſt, nullum eſſe, qui vitam acceperit, qui non eadem tandem aliquando ſerius aut citius priuandus ſit.

Pſal. 88. *Supra.*

Pulchrum & ſcitum in hanc rem apophthegma producam. Conſtantinus Imperator cum Regis Perſarum legatum per Romam ciuitatem circumduceret, eique eiuſdem ſplendorem elegantiam, nitorem, opes ac dignitatem oſtenderet, peteretque quid ei de Vrbe Romana videretur, reſpondit Perſa, Etiam Romæ ſicut & alijs in locis, homines ſibi videri mortales. Bene quidem & modeſte.

Fulg. lib. 7. Perſæ cuiuſdam Apoph.

Deſignare nimirum volebat, mortem vbiq; terrarum imperium exercere, atque omnes omnino homines illius ſceptris parere, nullamque rationem, vel occultam, vel rectam, ad eius tyrannidem declinandam dari poſſe. Egregium hocce quidem eſt apophthegma: ſed figuram propemodum ſimilem è ſacris voluminibus depromam.

Vidit olim Ezechiel campum oſſibus mortuorum plenum: & ecce, dum inſolito hoc ſpectaculo perculſus obſtupeſcit, audijt vocem, quæ diceret, *Oſſa hæc vniuerſa domus Iſrael eſt.* O myſterium ſublime ac profundum! equidem illius vobis futurus ſum interpres. Ingens ille campus mortuorum oſſibus repletus denotat mundum, qui quot tumulos, tot velut ſulcos continet, ac plurimis cranijs, eorum nimirum qui iam à quinque annorum millibus exſtincti ſunt, repletus eſt. Domus autem Iſrael, velut pars pro toto, vniuerſum humanum genus deſignat, quod eidem fato obnoxium eſt; morti

Ezech. 37.

inquam

inquam, ſepulchro, & cineribus deſtinatum. E quibus omnibus efficitur, mortem euitari non poſſe, at omnes ſine vlla exceptione manere.

Illa ſiquidem eſt teſſera, quam natura hominibus, dum in luminis auras educuntur, tradit: quamque ipſemet DEVS Adamo
Gen. 1. poſt admiſſum peccatum tradidit, *Puluis es & in puluerem reuerteris*: quæ verba Eccleſia, de ſalute noſtra ſollicita, quotannis nobis in mentem reuocat dicens, *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris*. Egregium porro hinc conceptum eliciam. Cum dux aliquis agmen foras producit, militibus quo ſe mutuo agnoſcant & ab hoſte dignoſcant teſſeram tradere conſueuit. Natura, quæ magna quædam dux eſt, cum milites ſuos,
Iob. 7. id eſt homines, in mundum, qui velut locus caſtrenſis eſt ac militaris (*militia quippe eſt vita hominis ſuper terram:*) producit, hanc illis mox teſſeram conſignat, *Puluis es & in puluerem reuerteris*, è puluere agnoſcere poſſumus hominem, eſtque hæc teſſera quam nullus non in natiuitate audiit. Interrogemus Reges, & Patriarchas veteris teſtamenti, atque omnes ita ſe rem habere declarabunt.

Quis tu es, Abraham? dic audacter, quis
Gen. 18. es, ede teſſeram. *Loquar ad Dominum, cum ſim terra & cinis*, ecce ipſiſſima teſſeræ verba.
Pſal. 12. Quis tu, heus Dauid? quem te putas? *Ego ſum vermis & non homo.* Dic apertius, non
Pſal. 21. enim ſunt hæc ipſiſſima verba: *Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum: recordatus eſt, quoniam puluis ſumus.* Verum hoc eſt ſymbolum. Tu autem quid ais Salomon: quis
Eccl. 10. tu? *Quid ſuperbis terra & cinis?* Quam bene hiſce naturæ humanæ militibus teſſera hæc inhæſit? quid mirum, ſemper namque eam ob oculos habebat. Quod idem ſapiens nobis ſuadet, dicens, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*: recordare inquam mortis, quæ in cineres & puluerem te redactura eſt, & cogita illius te iuſſis, etiam inuitum & reluctantem, obſequi debere. Hac de re hodiernam concionem inſtituam, quam bifariam diſtribuam: primo oſtendam omnes homines, quotquot ſunt, vel ſequentibus temporibus futuri ſunt, neceſſario debere mori: deinde vero omnibus & ſingulis ſine vlla exceptione moriendum eſſe, vt hinc euidens fiat, neceſſario eſſe mortem obeundam, & quidem omnib. & ſingulis. Arrigite aures, rem aggrediar.

Nihil eſt certius, Auditores, aut quotidiano vſu & experientia confirmatius, quam ipſa mors, nec quidquam de quo minus dubitare liceat, aut de quo certiores eſſe poſſimus. II. Mortis neceſſitas. Si enim ſcientia, iuxta Philoſophos, habitus quidam eſt è veris, neceſſariis atque euidentibus propoſitionibus promanans, ipſa mortis hominibus neceſſario impendentis cognitio eſſe debet quam certiſſima ac veriſſima, cum propoſitioni, qua nihil certius, verius ac manifeſtius, eſt nempe: *Homo eſt mortalis*, innitatur. Iob. 13. Teſtem huiuſce rei habeo Prophetam Iob, qui cum Deo loquẽs ait, *Scio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti*. Scio inquam, non ſophiſmate aliquo, ſed veriſſimo argumento, & ſyllogiſmo demonſtratiuo inductus, ſcio demonſtratione à priori, & poſteriori, ſcio concluſione in *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, & in omnibus Figuris & Modis. O Philoſophum verſatiſſimum!

Eſt hoc axioma quoddam certiſſimum, & maxime generale, quod in Chriſtianorum Philoſophia neceſſario præſupponendum eſt, nec vlla opus habet demonſtratione. Eſt quoque decretum euidens & irreuocabile, quod tribus demonſtrationibus certiſſimis, & irrefragabilibus innititur: primo ſacri voluminis verbis: *Ipſi peribunt, tu autem permanens, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent*, Pſal. 101. deinde rationi certiſſimæ: nam quidquid componitur ex contrarijs, eſt corruptibile: poſtremo autem quotidianæ experientiæ, *Omnes* enim *morimur, & velut aqua dilabimur in terram*.

I nunc, & longa tibi vitæ ſpatia, annoſque pollicere Neſtoreos: 2. Reg. 14. ecce ſacræ te litteræ, id eſt Deus ipſe, rationes euidentiſſimæ, & experientia quotidiana mortalem te eſſe docent, tres maximæ quæ in mundo reperiri poſſunt, faces in hoc tibi prælucent, ac veritatem detegunt, mortem tibi eſſe neceſſario ſubeundam: faces, inquam lucidiſſimæ,

Digitized by Google

Sacræ literæ, ratio & experientia docent, mortem neceſſariam eſſe.

mæ, quæ illuminant omnem hominem in hoc mundo commorantem: vna quidem quæ humano ingenio reuelat ea, quæ communem naturæ ordinem excedunt, atque hæc fidem animis ingenerat, ſacra videlicet Scriptura: altera vero ea, quæ naturæ inſita ſunt, ſenſuum tamen & ingenij captum antecellunt, & hæc ſcientiam hominum mentibus indere conſueuit, rationes ſcilicet euidentiſſimæ: vltima vero, ipſa eſt rerum magiſtra experientia, quæ ſapientes ſimul & inſipientes erudire ſolet, quæ ea quæ rationem humanumque ingenium ſuperant nos docet: omnes hæ etiam vel maxime cæco ad oculum patefaciunt, mortem nulla arte aut verſutia poſſe euitari.

Mors certiſſima eſt.

Quidquid eſt in homine, de futuris eſt contingentibus, quod nimirum fieri & non fieri æque poſſit, nihilque eſt de quo certo quidquam liceat affirmare, ſed de ſingulis dicendum eſt dubitando forte: ſi quis enim de infante in cunis quæreret, an futurus ſit Achilles, an vero Therſites, quid reſpondere haberes aliud, quam, fortaſſis hic, fortaſſis ille. Si ab eodem iam adoleſcentiam ingreſſo iterum peteretur. Illene adoleſcens futurus eſt ingenio Ariſtoteles, an ſtupore bardus? Reſpondebis haud dubie, forſitan bardus, forſitan Ariſtoteles. Procedamus deinde ad virilem ætatem, & petamus. Ille idem, Iruſne pauper futurus eſt, an vero Crœſus diues & opulentus? ſemper, ſcio, diues, fortaſſis diues, fortaſſis pauper. Sed ſi petiero: Aliquandone morietur? dices, Ita profecto: ſine dubio, & quidem neceſſario, nec hic, fortaſſe, locum habebit.

Vertat in omnes ſeſe partes homo, faciat quidquid voluerit vel potuerit, varia aduerſus mortem ſumat antidota & amuleta, nunquam tamen ſe ab hac fatali neceſſitate immunem poterit præſtare: dormiat quotidie in molli pluma, in lectis gauſapinis, includatur arcæ etiam arctiſſime, vt vel à nemine videatur, ſemper tamen aditum mors inueniet. Galenus, Hippocrates, alijque medici præſtantiſſimi mille remedia aduerſus morbos, milleque ſanitatis tuendæ rationes excogitarunt, verum ad mortem euitandam nullus omnino Aphoriſmus conſcriptus: ſed omnes confeſſi ſunt, *Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis.* Mors igitur neceſſario ſubeunda eſt.

Priuilegiũ nullum eſt aduerſus mortem.

Et profecto! quis fuit vnquam à morte exemptus? quis hoc priuilegium habuit? Seruos quidem ſuos magnis Deus & ſingularibus, ac naturam excedentibus priuilegiis ornauit: hos ab igne tutatus eſt, hos ſine potu ciboque longo tempore viuere permiſit, illos aquis inambulare fecit: at nullum vnquam à morte exemit: Moyſi dedit virtutem aquas in vnum conglobandi, Ioſue ſolem ſiſtendi, Ezechiæ eundem retroagendi, at nemini potentiam qua mortem ſiſteret, aut quo minus veniret, impediret. Vnde exclamat Pſalmographus: *Quis eſt homo qui viuet & non videbit mortem?* (*Pſal. 88.*) quis eſt, inquam, Princeps aut Rex, qui ſe à morte immunem eſſe glorietur?

Omnes quippe homines mortem neceſſario ſubire oportet: & hac lege vitæ huius ſtadium ingredimur, poſtquam aliquot hic annis commorati ſumus, iterum deinde, ſerius aut citius, eodem egrediamur. Dixit olim Dauid rex vni è principibus ſuis nomine Ethai: *Heri veniſti, hodie compelleris nobiſcum egredi.* (*2. Reg. 15*) Quam hoc nos melius de hominum conditione dicere poſſumus? Heri in hanc vitam ingreſſi ſumus, & hodie forſitan mors eadem exire compellet. Hinc apud Sapientem ipſi impij vitæ breuitatem deplorantes conqueruntur: *nati continuo deſiuimus eſſe*, (*Sap. 5.*) heri nati ſumus, & hodie miſere iugulamur. Statim namque vt per vnam ianuam in vitæ huius diuerſorium ingredimur, per aliam eodem, ad mortem properando, egredimur. Bene igitur magnus Auguſtinus mortem curſum quendam & ſtadium nuncupauit, (*Lib. 13. de ciuit. c. 9.*) in quo quotidie citatis greſſibus ad mortem properamus, & in carminibus ſuis Gregorius cognomento Theologus, torrentem eam nominauit.

Idque ipſum eſt quod viuo, velut rapidiſſimus amnis,
Qui ſurſum exoriens ſemper ad ima fluit.

F 2 Nam

Nam quamprimum vt incunabulis egreſſi ſumus, ſemper & continuo mouemur, nec prius datur quieſcere quam mortem inuenerimus, quæ eodem omnes fato perdit & deſtruit: nec eam quis ſubterfugere poterit, quia penitus neceſſaria eſt, & à tumulo tumulum petimus, vt idem Gregorius ait.

Sacra Scriptura, vt hanc fatalem mortis neceſſitatem nobis inſinuaret, varijs eam rationibus & vijs oſtendere conatur. Quare namque putatis eam toties vaſa fictilia & lutea appellaſſe? *habemus theſaurum in vaſis fictilibus,* animam ſcilicet corpori fragili & caduco incluſam. Non ait, vaſis ferreis, aheneis, aut marmoreis, ſed fictilibus, & fragilibus, vt vitæ huius breuitatem, ac ſimul fragilitatem declararet. Quam luculentos porro hinc excludere licet conceptus! Primus hic eſt. 2.Cor.4.

Inſignis hic Philoſophus, & profundus Theologus conatur oſtendere, Deum, præter communem naturæ ordinem (quæ materias perfectiſſimas nobiliorib. formis vt plurimum inſignire conſueuit) animam rationalem, qua nulla forma dignior & perfectior, natura immortalis, corpori corruptibili incluſiſſe & aſſociaſſe, tam pretioſam ſcilicet gemmam plumbo aut ferro inſerendo: forſitan, quod ea quæ maximi & infiniti pretij ſunt canabinis aut viliorib. ſaccis includi ſoleant. Hinc Ioſeph Patriarcha ſcyphum Pharaonis aureum ſacco Beniamin fratris iunioris inſeruit. Ita quoque Deus Optimus Maximus pretioſum illum animæ theſaurũ, vili corporis noſtri ſacco indidit, & gemmã illam magni æſtimatam fictili vaſi incluſit. Habemus igitur theſaurum, in vaſis fictilib. Secundus. Gen.44.

Sunt in officina figuli, ſi forſitan aliquando obſeruaſtis, omnis generis vaſa, parua ſcilicet & magna, alia in honorem, & alia in contumeliam, hæc pulchra, illa vero abiecta, ſed qualia demum ea ſint, omnia ad minimum impetum & caſum fragilia ſunt. Ita quoque iuxta ſententiam Apoſtoli, mundus hic eſt velut officina figuli, ſed figuli illius cœleſtis, varijs vaſis inſtructa iisque fictilibus, ſed quæ omnia fragilia ſunt, & caſui obnoxia, ſunt Magnates, Principes, Reges, Monarchæ, ſed & plebei, ſerui, pauperes, triuiales: alij ſunt nobiles, glorioſi, magnifici, ſplendidi, alij vero humiles, mendici, obſcuri, barbari. Has autem antitheſes adhibet & Apoſtolus: vaſa alia in honorem, alia in contumeliam: *vos nobiles, nos autem ignobiles*, ſed qualeſcumque ij ſunt, caſui ſunt ſubiecti, & natura fragiles. Iob Propheta, vt propoſitum proſequamur, ex eadem ſe materia compoſitum agnoſcit, ſeque velut vas luteum a Deo conditum ait: *Memento Domine quod ſicut lutum feceris me, & plaſmaueris me totum in circuitu.* Idipſum Pſalmographus de impijs: *Tanquam vas figuli confringens eos.* ac poſt eos Ioannes in Apocalypſi: *Tanquam vas figuli confringentur.* Et inprimis Propheta Ieremias: *Deſcende in domum figuli*, alijque ſacri auctores infiniti, quorum omniũ hæc ſententia eſt: hominem, quandoquidem non niſi vas fictile eſt, & fragilis, corruptioniq; obnoxius, morti, quæ omniũ corrumpentium prima eſt, neceſſario ſubiectum eſſe. Mundus officinæ figuli comparatur. 1.Cor.4. Iob.10. Pſal.2. Apoc.2. Ierem.18.

III. Quare age, ſuperbe & inſolens, agnoſce obſecro, originis tuæ vilitatem, agnoſce te non niſi lutum & terram eſſe, agnoſce fragilitatem, & pone ante oculos neceſſario tibi mortem deguſtandam. Vna hæc ſufficiat cogitatio ad inſolentiam reprimendam, & audaces conceptus retundendos. Mulus quidam Lydus, vt Plutarchus refert, cum aliquando vmbram ſuam conſpicatus, corporis bene compacti toroſitatem, capitis elegantiam, crurum ſubtilitatem, & aures cum decoro pendulas eſſet demiratus, inſoleſcere, ſubſultare, furere, ſternere ſeſſorem & obuios calcibus petere cœpit, nulla vt arte vel moderatione compeſci potuerit: verũ cum ſe patre aſino progenitum cogitaret, inſoleſcere deſijt, moderatius ſeſe gerere, & mulionis ferulæ ſe ſubdere.

O homines, *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Alta capitis, inſoleſcitis, Reges aut Principes vos eſſe exiſtimatis, per vrbem laudato pauone ſuperiores inceditis, cum nimirum oculos in digni- Pſal.31.

gnitatum veſtratum, bonorum, diuitiarumque vmbras conijcitis: at ſi cogitaretis, patrem vos habuiſſe figulum, ſi cogitaretis, inquam, eſſe vos lutum fragile, & terram fictilem, omnem profecto ſuperbiam & arrogantiam quamprimum exueretis. Quomodo Sapiens homines ad moderationem reuocare conatus eſt: *Quid ſuperbis terra & cinis?* Vnde efficitur, mortem eſſe in primus neceſſariam. *Eccl. 10.*

Nemroth gigantea illa moles, cum ſe à morte tueri vellet, ac diluuij ſecundi rabiem euitare, turrim excelſam cœpit exſtruere, ſed eã minime potuit perficere. Deus enim poſt infinitos ſumptus impenſos, opus impediuit, opificumq; omnium linguas confudit. Quoties tu, ô homo, gigantem hunc in vita imitaris? quoties neſcio quod ſimile opus moliris? conaris te à morte immunem præſtare, eiuſque impetus ſubterfugere, mille arces, palatia, turres extruis, mille tibi gaudia, fortunæ ardentis flabra tibi ſomnias: ſed cogites velim, poſt mille exhauſtos labores, deguſtatas ærumnas, opere etiam imperfecto, mortem tibi inſtare, atq; omnia in fumos ruitura, & ex cunctis conceptibus, præter infamem cõfuſionem, nihil reliquum fore. Dauid Propheta huc alluſit, dicens: *Tange montes, & fumigabunt*, ſublimes elude conatus, & in fumũ abibunt. *Gen. 1.* *Pſal. 34.*

2. Reg. 17. Secundus ille Briarius Goliadas, ſpurius ille Philiſthijm, à ſummo capite ad imum vſque pedis armatus, omnibus Iſraelitis exprobrans inſultabat, armis ſuis & robore fretus ſeſe inexpugnabilem credebat: & ecce, lapis quidam torrentis, præpotentia excuſſus dextra, vitam ſimul eripuit & victoriam, & coloſſum illum carneum ad terram magna cum infamia ac dedecore dejecit. Mille, ô homo ſuperbe & arrogans, ſuperbiæ & inſoleſcentiæ ſpecies ede, omnibus inſulta, atque altum quid & ſublime de te ſentiens, inexpugnabilem & inuincibilem te crede: minimus tamen lapillus, morbum intelligo, cum te inuaſerit, ad terram proſternet, loculoque incluſum ad ima vſque terræ viſcera dimittet.

2. Mach. 6. Erat in exercitu Regis Antiochi qui aduerſus Iudæos bellum gerebat, elephas, ingens tergo propugnaculum & turres cum vallo geſtans, qui magnum Iudæis terrorem incutiebat: ſed gregarius quidam miles, cui nomen Eleazar, mucrone ventri inſerto, eundem ad terram dejecit, & caſtra tergo imminentia confracta diſſipauit. Homo, qui nonniſi muſca eſt, elephantem ſe facit, & turribus armatum, honoribus, inquam, diuitijs, vanitatibus & quiſquilijs; mundo ſe oſtentat, & quodammodo terrorem incutit. Sed videat, ne mors, velut generoſus quidam Eleazarus, propugnacula ſubrimetur, videat, inquam, ne letalem plagam infligat, quæ omnes eius ambitiones deſtruens, miſero ſane caſu ad terram eum deijciet.

Adamas, vt gemmarij tradunt, tanta duritie eſt, vt nulla arte poſſe frangi videatur, at quamprimum vt aliquod fragmen auulſum eſt, in varias mox partes frangitur, ac velut in puluerem redigitur. Homo gemma quædam infiniti eſt pretij, qui nulla ratione videatur comminui aut emolliri poſſe, ſed quamprimum vt labaſcere cœpit, & mors eundem depaſcere, omnia in cineres abeunt & fumum inanem. Atque hoc eſt, quod à quinque annorum millibus primis noſtris parentibus occinuit in Paradiſo Deus conditor, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Semper autem hinc efficitur, verum eſſe, quod initio propoſuimus, mortem eſſe neceſſario ſubeundam. *Homo cõparatur adamanti.* *Gen. 1.*

Hinc Sacræ litteræ, dum humanam nobis fragilitatem ob oculos ponunt, ſimulque mortis neceſſitatem oſtendunt, hominem flori qui in agro floreat ſæpenumero ſimilem eſſe dixerunt: *Homo ſicut fœnum dies eius, quaſi flos agri ſic efflorebit.* Flos, inquam, qui mane floreat, veſpere autem langueat: dicitur *agri*, & non horti, eo quod roſæ, lilia, violæ, & narciſſi ad aliquot ſaltem dies florentes permaneant, vt horti cultor & dominus gratum eorum aſpectum velut laborum ſuorum ac ſudoris mercedem habeat: at flores, qui in agris creſcunt varijs periculis ſunt expoſiti, vel enim à prætereuntibus carpuntur, vel pedibus proteruntur, vel denique à beſtiis *Comparatur itẽ flori.* *Pſal. 102.*

Digitized by Google

beſtijs depaſcuntur. Non aliter quoque agitur cum homine; vt Propheta Iob merito dixiſſe viſus ſit, *Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet* Quę verba Magnus Gregorius interpretatus ait: *Quid ſunt nati homines in mundo, niſi quidam flores in campo?* Porro ex omnibus qui in hortis vel agis flores virent, & creſcũt, nullus eſt, qui duas ſuſtineat brumas, aut bis niuoſum gelu patiatur. Rident quidem in vere, calices explicant, venuſtatem oſtentant, odorem ſpirãt ſuauiſſimum & pulchritudine ſua inſpicientes delectant. Sed quamprimum vt acris hyems ingruit, & bruma rigere incipit, ceruices dimittunt, colorem & pulchritudinem amittunt & ſenſim penitus emoriuntur. Idem omnino de hominibus dicendum eſt. Quis enim inter tot hominum millia, duo poſt diluuium vixit ſæcula, quis ad ducentos annos peruenit? Quis eſt qui non ſit mortuus? & quis denique non morietur? nullus omnino id euitabit, nam firmiſſimo id & irreuocabili decreto ſtatutum eſt, & mors neceſſario toleranda.

Iob. 14.

Lib. 11. Moral. c. 17.

Nam quemadmodum prodigij loco habẽdum foret, ſi in cœleſti domicilio, in loco beatitudinis quis mortalis reperiretur, nempe æternæ illi felicitati penitus repugnans: ita quoque non minus admirandum foret, ſi hoc in mundo quemquam à morte tutum & immortalem videremus: neque enim ſimul conſiſtere poſſunt & humana fragilitas & perpetua immortalitas, nec ſe mutuo tolerant. Hancce meam opinionem confirmat regius Vates, qui beatorum habitacula & ſanctorum commorationem, terram viuentium appellat. Vnde efficitur, mundum hunc miſeriis refertum terram morientium, ac velut quoddam defunctorum cœmiterium vere poſſe appellari. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Idipſum, & Chriſtus adoleſcenti petenti quid ad ſalutem neceſſarium foret, propoſuit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata* Quamobrem, Domine, cum ſacro id ore tuo confirmaueris, ſemper mihi proponam ac credam cœlum terram viuentium, mundum vero, terram morientium eſſe, & omnia hic, mortalia & caduca dici, ac neceſſe eſſe mortem ſuſtinere.

Pſal. 26.

Matth. 19.

Vnde vero fatalis hæc moriendi neceſſitas ortum habet? vnde in mundum tyrannica hæc coactio venit? multæ quidem eiuſce rei dari poſſunt rationes, ſed quæ luculentæ ſunt & prægnantes. Prima è Philoſophiæ arcanis deprompta eſt. Quidquid enim contrarijs conſtat, corrumpi tandem debet, & in nihilum conuerti. Nam quoniam contraria & oppoſita ſimul in eodem ſubjecto nequeunt conſiſtere, ſeſeque inuicem ſemper oppugnant: hinc fit vt ſubjectum cui inhærent, tandem deſtruant, ac perdant. At nos corpus habemus, quod è quatuor contrariis compoſitum eſt humoribus & qualitatibus, quod ab hiſce, velut à quatuor prædonibus ſemper impeditur & impugnatur, quod proinde penitus ſuccumbat neceſſe eſt, morteque exſtinguatur. Altera ratio hæc eſt.

Vnde moriendi neceſſitas venerit.

Materia prima, è qua omnia naturalia cõpoſita ſunt, cum ſatiari non poſſit, nouaſque ſemper formas velut inſatiabilis pellex deſideret, viciſſitudinis & varietatis ſtudioſiſſima: tandem omnia quibus inhæret ſubiecta deſtruit ac perdit, atq; inde Philoſophorum illud axioma originem ſumpſit: *Materia prima eſt principium omnis corruptionis.* Corpus porro hoc noſtrum, in quo viuimus & quod circumferimus, ex hac corruptionis maſſa compactum eſt: neceſſario igitur corrumpi debet. Tertia ſit.

Cum humor radicalis, quo vita hæc noſtra fouetur & ſuſtentatur, ad naturalem ſuam perfectionem jam venit, ſenſim deficit, & minuitur, vitaleſque illi ſpiritus in nobis paulatim conſeneſcunt: ſanguis quoque, quo natura hæc noſtra enutritur, & qui vitam conſeruat, concreſcit & congelatur, adeò vt ruinis reparandis vix amplius ſufficiat: & quamuis cibo quotidiano vitam confirmare ac ſuſtentare ſatagamus, ac ruinas & damna temporis deuaſtantis reſtaurare, quidquid tamen è contra opponimus, diſpendia reſarcire non valemus, nec vlla ratione detrimento accepto ſatisfacere. Quare quo-

Digitized by Google

re quotidie aliquid ex vitali hoc humore, vero vitæ ſuſtentaculo, amittendo, nihilq; addendo, vitam tandem collabaſcere, ac penitus deficere neceſſe eſt.

Vltima ratio eſt: omnia in ea reſolui ſolent ex quibus componuntur: quod experientia manifeſtum fieri poteſt: cum enim lignum flamma conſumitur, lignum dico, quod è quatuor compoſitum eſt elementis, in eadem hæc cum deficere incipit, reſoluitur aqua: inprimis vtrinque egreditur, aer ſurſum euaporat, & in fumum euaneſcit, cineres vero terra manent. Ita quoque, homo, qui è quatuor hiſce compoſitus eſt, & potiſſimum è cineribus in eoſdem quoque tandem reſoluendus eſt. Hoc ſacræ nobis litteræ innuunt, dicentes, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, & melius adhuc vates regius: *Auferſ ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* O rationes efficaciſſimas quibus efficitur, mortem eſſe neceſſario ſubeundam, atque eius memoriam nunquam animo deponendam! Recordemini igitur nouiſſima veſtra & mortem ante omnia, & inprimis illam eſſe neceſſariam, certiſſimam, ineuitabilem, & ſine dubio euenturam, eam deinde eſſe vniuerſalem, ac toti mundo omnibuſq; hominibus communem. Eſt hoc ſecundum concionis punctum, quod jam aggredimur.

Gen 3.

Pſal. 105.

IV. Mors omnibus æque communis eſt.

Ipſa mors, Auditores, obligatio quædam generalis eſt, quam omnes præſtare oportet, tributum vniuerſale, quod omnibus ſoluendum reſtat, iter denique commune, ac ſemita publica, omnibus calcanda. Hinc bene, mea quidem ſententia, mulier illa Thecuitis coram Dauide Rege ait, *Omnes morimur, & velut aqua dilabimur in terrã*, dicere vult: Cogites tecum velim, magnanime, ac generoſe princeps, quod quemadmodum torrentes ac flumina, cum varios agros rigarunt, ac variis anfractibus per varias prouincias defluxerũt, in mare tandem delabuntur: non ſecus etiam homines, poſtquam dudum in vitæ huius ſtadio euagati ſunt, in terram delabuntur, & in ſepulchrum velut in Oceanum deſcendunt, in quod cum ſemel eos deſcendiſſe contigerit, nunquam amplius egredientur, niſi cum extremo iudicii die ad tubæ ſonitum omnes omnino mortui ſepulchris reſurgendo prodibunt. Omnes igitur ſenſim morimur, & velut aquæ ad oceanum delabentes, in terram, vnde formati ſumus, delabimur.

2 Reg. 14.

Cur porro dicis *omnes*. An non excipis reges? diuites non eximis? nymphas formoſas huic ne legi ſubijcis? quid ni? nam, dicendo *omnes*, communem omnibus ſortem ſignificat. Dic mihi obſecro, quis modo in Chaldæa regnet de ſtirpe Nabuchodonoſor? quis ſupereſt modo in Perſia de proſapia Cyri? quis in Media de familia Darij? quis in Græcia de ſtemmate Alexandri Macedonis? quis Romæ è domo Cæſaris ſceptra tenet? quis Carthagine ex Annibalis poſteris, vel Athenis è Codri nepotibus dominatur? Vbinam modo ſunt ſuperba illa imperia, & monarchię orbis? Vbinam tot reſpublicæ florentiſſimæ? vbi modo Troia, Numantia? quæ memoria reſtat Athenarum? quid Lacedæmone modo agitur, vel Carthagine? *Omnes morimur.* Omnium harum memoriam mors abſtulit. Egregiam hac ſuper re olim D. Auguſtin. meditationem inſtituit: cum enim Romæ verſaretur, & ſuperba Impp. veterum monumenta admiraretur, & inprimis Cæſaris opera obſtupeſceret, ſortem eius deplorare cœpit ac dicere: *Vbinam eſt Cæſaris corpus præclarum? vbi magnitudo diuitiarum? vbi apparatus deliciarum? vbi multitudo dominorum? vbi caterua virorum? vbi acies militum? vbi thronus regalis? vbi ſunt quæſo hæc omnia? quo receſſit tua magnificentia Cæſar?* Hæc omnia tu deſtruis & euertis, ô fera mors, nemini ignoſcis aut parcis, ſed omnes mori cogis. Omnia autem hæc Propheta Iob concludit dicens, *Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.* E quibus omnib. manifeſtum & euidens fiet, mortem omnibus hominibus communem & vniuerſalem eſſe. Iob. 34.

Paulus ad Hebræos, fratres ſuos ſecundum carnem, ſcribens, mortemque ijs in mentem reuocans, hortatur vt cogitarent eam eſſe ineuitabilem eiuſque decretum

inuio-

Digitized by Google

Heb. 9. inuiolabile, quod omnibus commune ſit, & *omnibus hominibus ſtatutum eſſe ſemel mori*: ſtatutum ſcilicet non capitulare aut politicum ſed generale, in ipſo cœlo promulgatum, quo omnibus hominibus mortis via calcanda decernitur. Ex hoc autem ſtatuto egregium conceptum elicio. Sunt in rebuspublicis & in regnis legitime conſtitutis præter jus ciuile commune, decreta quædam particularia, & leges quæ ceteras prouincias & ciuitates non obligant. Porro in vniuerſo hoc orbe tria ſunt regna & imperia, regnum cœleſte, inferorum, & terreſtre, & hiſce tribus priuatæ quædam leges ſunt, & ſtatuta ſingulis propria.

In cœleſti regno lex quædam inualuit, qua omnes eius incolæ à morte præſeruantur, & mori neſciunt, *A modo iam dicit ſpiritus,* Apoc 14. *vt requieſcant à laboribus ſuis*. Et, *Præcipitauit* Eſai. 25. *mortem in ſempiternum*. Regnum inferorum legem habet, qua omnes morti perpetuę ſubijciuntur, *Mors depaſcet eos.* Terreſtre vero de- Pſal. 48. cretum habet, quo ſemel mortē guſtare jubentur: *Statutum eſt omnibus ſemel mori.* O ſta- Heb. 9. tutum inuiolabile, quod à nemine euitari, & declinari poteſt, ſemperque hactenus obſeruatum eſt! ô legem exactiſſime ab omnibus cuſtoditam, conſtitutionem quæ nunquam deprauata eſt! non qualem Aſſuetus rex tulit, quæ populum quidem vniuerſum aſtringebat, reginam vero eximebat: *Quid habes E-* Eſth. 15. *ſther? noli metuere, non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hac lex conſtituta eſt.* Sed legem diuinam, quæ omnes condemnet, nullique parcat. Sed quare in textu legis ſcriptum eſt, *Semel?* iterum nouus hic ſe prodit conceptus.

Pythagorçi animę trāſmigrationē docebant. Credebant Pythagoræi, animas hominum, poſt mortem vnius corporis, in aliud deinde tranſire, eamque tranſmigrationem metempſychoſin vocitabant: ſed ſi opinionem hanc penitus inſpiciamus, videbimus eam abſurdiſſimam eſſe, & multas ſecum ineptias trahere, hinc namque ſequeretur, homines ſæpius mortem ſuſtinere. At Apoſtolus, vt opinionem hanc refelleret atque eradicaret, ait, *Statutum eſt omnibus ho-* Heb. 9. *minibus ſemel mori.* Quid ſi & aliud quippiam in verbo *ſemel* lateat myſterium: forſitan indicare vult, eſſe nobis mortem ſerio meditandam, quippe quæ magni momenti, & nonniſi ſemel ſubeunda ſit, ac proinde dandam eſſe operam, vt bene moriamur.

Lamachus Athenienſium Dux dicere Apophth. Lamachi ducis. ſolebat, ſemel tantum in prælio errorem eſſe committendum, eſſe namq; vel victoriam referendam, vel in loco moriendum. Idem de extremo illo conflictu, qui tempore mortis ſubeundus ſit, dicendum videtur: cum nonniſi ſemel ſit moriendum: ex hoc namque omnis noſtra ſalus aut ruina, damnatio vel beatitudo, dependet. *O ſemel,* quam bene perpendi, notari, atque animo volui debes *Semel*, cuius nobis memoria nunquam deberet excidere! Sed additur etiam in lege, *omnibus*, vt nullam dari exceptionem appareat, ſed ad eam omnes omnino obligari.

Varij Dialecticorum ſunt termini, & Mundus dialecticæ cōparatur. vocabula artis: alia nomina dixerunt æquiuoca, alia analoga, & alia ſynonyma: æquiuoca ſunt, quorum quidem nomen commune ſit, ſed res penitus diuerſa: ſynonyma vero, quorum & nomen, & res communis ſit, & vtrique reſpondeat. Porro mundus, quidni dialectica quædam appellari queat, in quo diuerſimode argumentandi traditur ſcientia? omnia hic plena ſunt æquiuocis, & analogicis, vt ſunt honores, diuitiæ, dignitates, quæ omnibus non æqualiter communicata ſunt, at mors ſynonyma eſt, omnibus communis & prorſus vniuerſalis, quæ prædicatur ſynonymice de omnibus.

Hanc autem propoſitionem confirmat Apoſtolus dicens, *Statutum eſt omnibus homini-* Heb. 9. *bus ſemel mori.* Sed audi Paule, *Omnibus* dicis: noui tamen aliquos, qui mortui non ſint, ſed adhuc ſuperſtites exiſtant, & numquam fortaſſe morientur. Quid enim de Enoch, quid de Elia dicis? de Ioanne Euangeliſta quid aſſeris? eoſne mortuos putas, aut aliquando morituros? Quęſtio hęc quidem perplexa eſt ac difficilis, eadem egredi tamen oportet, ac difficultates illius expedire.

Multi

Digitized by Google

Vtrum Enoch & Elias mortui ſint.

Multi auctores, atque ij non inter poſtremos dicere & docere aggreſſi ſunt, Enoch vltimum filiorum Cain, & Eliam Thesbitem vere mortuos eſſe, & ipſum debitum omnibus mortalibus neceſſario perſoluendum, perſoluiſſe. Aben Eſra atque alij veteres Hebræorum Rabini fuere primi huius ſententiæ verbis innixi: *Et facti ſunt omnes dies Enoch trecenti ſexaginta quinque anni*: (Gen. 5.) ſi hi ſint omnes dies eius, non ergo diutius, inquiũt, viuere potuit: ſi enim adhuc ſuperſtes foret, longius ei hauddubie vitæ ſpatium Moyſes dediſſet, quod ita cõfirmant. Quando diluuij hiſtoria in ſacris litteris deſcribitur, atque ij qui diluuio erepti ſunt, recenſentur, octo tantum animæ ſeruatæ traduntur. (Gen. 7. 1. Pet. 5.) At ſi Enoch nondum mortuus eſſet, qui nimirum diu ante diluuium vixit, plures neceſſario diluuio ſuperſtites enumerandi forent: Credendum igitur, eum mortuum eſſe, fuiſſet alioquin nona anima, quæ à diluuio immunis fuerat. At parum firmæ hæ rationes ſunt, quibus opinio adeo exotica innitatur. Nam præter antiquam Eccleſiæ traditionem, generalem omnium Chriſtianorum perſuaſionem, communem omnium Patrum conſenſum, & vnanimem omnium Theologorum ſententiam, ipſa nos ſcriptura contrarium edocet, aperteque confitetur, Enoch & Eliam adhuc eſſe ſuperſtites & vſque ad conſummationem mundi fore. Apoſtolus Paulus in ſcenam prodeat, qui Rabinos illos mendacij coarguat, & ambos in viuis eſſe aſſerat: (Heb. 11.) *Fide Enoch translatus eſt, vt non videret mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit eum Deus*, atque ante eum Eccleſiaſticus, (Eccl. 44.) *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* E quibus verbis efficitur, nondum eum mortuum eſſe, ſed ad finem mundi iterum compariturum, vt eos, quos præſtigiis Antichriſtus dementauit, in viam ſalutis reuocet, à fide deflectentes reducat, atque ad pœnitentiam vocet.

Oſtenditur Enoch adhuc eſſe ſuperſtitem.

Raptus eſt autem anno ab orbe condito pene milleſimo, ſexcentis ſexaginta nouem annis ante diluuium. Verba autem hæc prægnanti etiam ratione fulciri poſſunt.

Moyſes enim cum catalogum texeret eorum qui tam ante Enoch, quam poſt eum vixerunt, vſque ad tempora diluuij, ſingulis hoc velut corollarium addidit, *& mortuus eſt*, ſed cum ad Enoch veniſſet, mutata phraſi ait, (Gen. 5.) *& non apparuit, quia tulit eum Deus.* Vnde apparet nondum eum mortuum eſſe, cum hiſtoriam ſuam Moyſes conderet, neque etiam modo. Confirmat hoc veluti rem certiſſimam Hieronymus ſcribens ad Pammachium; *Enoch tranſlatus eſt in carne, Elias carneus raptus eſt in cœlum; necdum mortui, & paradiſi iam coloni, habent membra in quibus rapti ſunt atque translati.* Bene quidẽ. Sed vbinam modo ſunt? in quo mundi cardine aut polo verſantur? aut quo tranſlati ſunt?

Vbinam modo ſit Enoch.

In hoc totius difficultatis cardo vertitur, hic nodus eſt, hic labyrinthus. Conſtat enim quoad Enoch, eum in arca cum Noe non fuiſſe, nec vndis diluuij ſubmerſum perijſſe, neceſſe eſt itaque, eum in alio quopiam mundi climate commoratum eſſe. Multi è veteribus Patribus docuerunt & crediderunt, vtrumque in paradiſum terreſtrem tranſlatum eſſe, & illic vſque in hodiernum diem commoraturum, fundati maxime verbis illis Eccleſiaſtici, (Eccleſ. 44.) *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum.*

Primus huius opinionis auctor, aut ſaltem inter primos, fuit Iuſtinus Martyr: (In reſponſ. ad Orthod. q. 75. 76. 85.) credebat nimirum paradiſum terreſtrem adhuc in rerum natura eſſe, & ad finem vſq; mundi permanſurum, eumque velut domicilium eſſe ac receptaculum, in quo magni illi viri diuertebantur.

Quin etiam adiungit, hunc eſſe locum, quem Dominus in cruce moriens latroni promiſerit, dicendo, (Luc. 23.) *Hodie mecum eris in paradiſo*, & in eundem hunc eſſe tranſlatum. Sed ſententia hæc nimis ſingularis eſt, & repugnat verbo, hodie, quod ibidem legimus, eſt enim certiſſimum, CHRISTI animam eo die in paradiſo terreſtri minime fuiſſe: ſed ſtatim à morte, corpore exeuntem, ad inferos penetraſſe, & triduo ibidem remanſiſſe. Eiuſdem opinionis fuit etiam Irenæus Martyr ſub Antonino Vero & Commodo, atque Epiſcopus Lugdunenſis, qui & (Irenæus l. 5. aduer. hær.) aliud

aliud inauditum addit, eſſe nimirum hunc ipſum paradiſum, in quem Apoſtolus Paulus raptus fuerit: &, quod magis adhuc demirer, minuſque cum veritate coincidit, hunc eſſe in quem animæ corpore egreſſæ ſuccedunt, beatitudinem pręſtolantes, cuius poſt finem ſæculorum primum compotes futuræ ſint.

Tertul. in Apologet. Tertullianus Carthaginenſis Presbyter, qui ſub Seuero Imperatore vixit, iam ab annis pene mille quingentis, eandem opinionem amplexus eſt: item Iſidorus Hiſpalenſis in tractatu de obitu & vita Patriarcharum, vbi de Enoch eodem prorſus modo locutus eſt, priorumque opinioni quam proxime accedit, in paradiſo ſcilicet terreſtri eum collocando. *Li. 8. diſt. 17.* Magiſter ſententiarum eandem etiam ſemitam ingreditur: adeo vt omnes hi firmiter credant, paradiſum terreſtrem adhuc in rerum natura eſſe, ac duos hoſce Patriarchas in eodem Antichriſti aduentum expectare, qui ante vniuerſalem mundi interitum futurus eſt.

Cōtrarium quoq; probabile eſt. Mihi equidem, ſaluo tamen honore & reſpectu tantorum virorum, ſimul & meritorum conſideratione, abſurdum videtur eſſe, & à ratione quam maxime alienum, aſſerere, paradiſum terreſtrem modo adhuc ſubſiſtere, & in eo Enoch & Eliam vſque ad conſummationem mundi, mortali in carne commorari. Nam ſi diluuij vndæ ſumma montium iuga & altiſſima cacumina, Athi, Caucaſi, & Tauri quinque cubitis exceſſerint, credibile eſt etiam, paradiſum cum tota terræ ſuperficie ſub aquis natitaſſe, & ſubmerſione periiſſe. Credere autem eum, non ſine quodam miraculo, à diluuio immunem eſſe ſeruatum, non eſt tutum aſſerere: cum Auguſtinus alijque ſancti Patres, non eſſe vſque adeo certum & conſultum putent, ad miracula confugere, cum non penitus ſunt neceſſaria.

Lib. de Trin. cap. 35. Rupertus ſcientia non minus quam religione inſignis, inficiatur, Enoch in Paradiſum translatum eſſe, aitque non certo è ſacris litteris colligi in illum Paradiſum in quo Adam à Deo conditus fuit, eum eſſe ſubiectum. Sed vult per verbum, *Paradiſus*, ſcripturam innuere locum aliquem delicijs affluentem, diuerſorium iucundiſſimum atque habitaculum ad incolendum amæniſſimum: Huic accedens D. Ioannes Chryſoſtomus, ait, magnæ curioſitatis indicium eſſe, indagare velle, quonam Enoch à Deo translatus ſit, cum ipſa ſcriptura id aperte non expreſſerit. *Homil. 21. in Geneſ.* In eorum ſententiam quoque concedens Auguſtinus, dicit, hanc quæſtionem, ſcilicet num Enoch & Elias in paradiſum vel alio translati ſint, in vtramq; partem, ſine vllo fidei detrimento, problematice poſſe diſceptari. *Lib 2 de gratia Chriſti contra Pelagium.*

Dico igitur, tot ſanctorum doctorumque veſtigijs inſiſtendo, Enoch, ſtatim à diluuio in ſuperiorem aeris regionem è paradiſo translatum vna cum Elia, adhuc in viuis eſſe, idque in loco iucundiſſimo, quem diuina illis bonitas aſſignauit, atque in eodem vſq; ad vltimum iudicij diem permanſuros, ante cuius aduentum iterum in hoc mundo, ad ſeductis ſuccurrendum, apparebunt. Sed quocunque demum loco ſunt, conſtat eos, vti prius dixi, nondum mortem deguſtaſſe, ſed in fine tandem ſæculi, non ſecus ac reliqui homines, morituros, & debitum omnibus impoſitum perſoluturos. Ita namque ſentiunt omnes Theologi, & inprimis Doctor Angelicus Thomas. *Nondum*, inquit, *Enoch mortuus eſt, ſed morietur tandem aliquando, quia ſententia, quam Dominus primus parentibus peccantibus inflixit (quocunque die comederis, morte morieris) omnes qui quocunque modo naſcuntur ex Adamo, comprehendit.* *In Comment. in Epiſt. ad Hebr c. 11. Gen. 2.* Idipſum & regius vates, ſed paulo compendioſius, *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem?* *Pſal. 88.* & ad Hebræos Paulus, *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori* *Cap 9.* Seneca item Philoſophus, Chriſtianæ fidei ignarus, *Omne humanum genus quod eſt, & quod erit, morti damnatum eſt.* *Epiſt. 22.* Decretum eſt igitur à diuina maieſtate, omnibus hominibus leti viam calcandam, Eliæ & Enoch, Pontificibus ſimul & regibus, certum eſt, neminem ab ea liberū eſſe, & neceſſario omnibus euenturam & infallibiliter, totique eam mundo communem & generalem fore.

Recor-

Digitized by Google

Eccleſ.7. Recordare igitur, Chriſtiane, nouiſſima tua, & in æternum non peccabis: memento mortis, oculiſque patentibus eandem introſpice. Imitare hic gallos gallinaceos, qui dum micas, & victum per terram ſibi quærunt, vnum duntaxat oculum terrę affigunt, alterum in altum tollentes, qui quodammodo excubet, ne accipiter aut miluus improuiſos præoccupet, & in aera abripiat. Hoc ipſum & te velim facere, Chriſtiane, & vno tantum oculo mundum reſque terrenas reſpicere, alterum vero ſemper vigilem cuſtodire, qui nimirum in alterum mundum collimet, & videat num mors inſtet, quę te hinc violenter abripiat, ac deprædetur. Lepores quoque natura pauidos apertis ſemper oculis dormire tradunt, ne fortaſſis à venatoribus, vel canibus præoccupentur. Et hoc tibi dictum puta, vt nimirum corpore dormiente anima excubet, quo nullum detrimentum accipiat: aduigilet, ne crudelis illa bellatrix improuidum te opprimat: certo namque certius eſt, illam ſemel venturam, & omnibus eſſe neceſſario ſubeundam, nullique omnino parcere.

Tu vero bonitas infinita & æterna, bonitas è qua omne bonum deſcendit, & dependet, oculos noſtros aperi, ſimul & cor, vt ſæpius quam fecimus hactenus eiuſdem meminiſſe, & ante oculos eam habere valeamus: ſumus eheu! adeo cæci, inſipientes, atque vitæ huius conſeruandæ ſtudioſi, vt omne ſtudium ſit, voluptates & ineptias ſectari, omnis noſtra intentio perpetuas hic ſedes figere, omnis denique actio in tuam offenſam cedat. Ita ſiquidem mundo adhæreſcimus, itaque eidem infixi & quodammodo inſiti ſimus: vt nunquam in animum reuocemus, eſſe nobis ex eodem emigrandum, ſed vitam perennem, immortalem & nunquam interituram, ſemitam nullo vnquam æuo terminandam, & corpus etiam corruptionis expers nobis polliceamur: aliaſque huiuſmodi vanitates; & chimæras nobis fingamus. In hoc autem tu nobis impera Domine, quo omnes ineptias deſeramus, & omnes alias cogitationes, præter ſolam mortis, ex anima ablegemus: & cogitemus interdum, ac nobiſcum diſpiciamus eſſe nobis, diuina lege, ſerius aut citius, moriendum, & legem hanc inuiolabilem eſſe decretum irreuocabile, ſtatutum cui nemo queat contradicere, & omnibus communem ſententiam: communem dico, quod nullus ab eadem exemptus ſit, non paruus, non magnus, non diues, non pauper, non nobilis, non plebeius, ſiue reges, ſiue inopes erimus coloni. Atque hæc vna cogitatio, ardentiſſime animarum noſtrarum zelator, ſatis eſſe poteſt, qua ad te accedere, mundi delicias aſpernari, & recta ad æternam fidelitatem tendere poſſimus; in quam nos ingredi permittant, Pater, & Filius, cum Spiritu ſancto, AMEN.

FERIA QVINTA.

DE INCERTA MORTIS HORA.

Partitio.

1. *Quot incautos mors obruat.*
2. *De die hora&e mortis incognita.*
3. *De aduigilatione ad horam.*
4. *De præparatione ad mortem.*
5. *De præparatione omiſſa cum exitio.*

Memorare nouiſſima tua, & inprimis mortis horam incertam eſſe, & in æternum non peccabis. Eccleſ.7.

FIGVRA.

BAltaſſar Babyloniorum Rex ſumptuoſo optimatibus ſuis mille conuiuio inſtructo, cum temulentus præcepiſſet afferri vaſa aurea & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo Ieroſolymitano, vt ipſe vna cum vxoribus & concubinis, & optimatibus ex iis biberet: atque inter conuiuandum & bibendum deos ſuos ferreos & lapideos laudaret, genioque liberalius indulgeret, & non niſi voluptates & luſus conſectaretur, mortis & nouiſſimorum oblitus: ecce in eadem hora, Dan.5.

Digitized by Google

apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ. Tunc facies illius commutari, cogitationibus varijs cor lancinari, compages renum ſolui, & genua ad ſe inuicem collidi cœperunt: nec mirum, fera enim parca ei inſtabat, quæ vultui inſolitum illum pallorem totique corpori tremorem incuſſerat, mors ſcilicet: quæ eadem ipſa nocte nec opinantem oppreſſit, quippe qui in lecto confoſſus interiit. Fuit hæc hiſtoria vel figura, & indicium, mortis horam ſemper eſſe incertiſſimam: & tum, cum ſuperbire, regifice epulari, honores ambire, inceptire, laſciuiæ & genio indulgere quam maxime proponimus, Neſtoreos nobis annos vitamque firmiſſimam promittentes: tum, inquam, vindicem illam & potentem æternæ iuſtitiæ manum, mortis decretum aduerſum nos pronuntiare, ac feralem illam bellatricem nos ſæpe incautos opprimere. Eius ſcilicet hora incerta eſt, ſemper nos proditorie inuadit: quique hodie longam ſibi ætatẽ & annos plurimos pollicetur, hunc noctu mors violenter abripiet, vitaque exuet. Hac de re hodiernam concionem inſtituere decreuimus, quam variis conceptibus velut diuerſis saporibus & condimentis condiemus: ſuggerat modo auxilium Spiritus, qui linguas infantium facit diſertas, & Virgo glorioſa precibus nobis ſuis, quibus apud Filium poteſt plurimum ſuccurrat. Salutemus eam igitur Gabrielis Archangeli verbis, dicentes:

AVE MARIA.

I. *Plut. in Apophth. reg.* Interrogatus olim Iphicrates Athenienſium dux, cur tempore pacis & inter populos ſocietate coniunctos, excubias ageret, aciem explicaret, arma expedita & milites paratos haberet, non ſecus ac ſi hoſtis tergo immineret, aut res in ſummo diſcrimine verſarentur; reſpondit, nunquam non vereri, ne obruatur incautus & nihil minus cogitans, & tum dicere cogeretur, Non putabam inſtare periculum; quæ imprudentium eſſe ſolet excuſatio, non vero hominis cordati aut publicæ ſalutis curam gerentis. Et ſane ſi tantam exercitus ſui curam geſſit dux gentilis: Chriſtianum profecto par eſt non minori prudentia & cautione vitam dirigere, animæque exercitum ab omni periculo defendere.

Nam cum omnis homo inſtar ducis cuiuſdam ſit, & tot facultates, virtutes, meritaque in mundi huius caſtris ſub ſignis habeat, inque continuis bellis & diſcriminibus vitam traducat (nam *vita hominis militia ſuper terram*) denique tres ſemper hoſtes potentiſſimos, carnem, mundum, & diabolum tergo, mortem vero omnium crudeliſſimam lateri & capiti imminentem habeat: nunquam non excubet, vigilias agat, in omnem partem circumſpiciat, ac ſeſe vndequaque aduerſus inſultus eius muniat neceſſe eſt, ne fortaſſe ex improuiſo obruatur, & vitam cum dedecore & infamia amittat.

Paulus, qui olim mundi caſtra ſecutus, Chriſti ſe deinde ſignis adiunxit, & inter ſummos duces locum meruit, ad hoc vnum nos potiſſimum hortatur, *Cum timore & tremore operamini veſtram ſalutem*, ne incauti ab hoſte obruamini. *Philip. 2.* Ipſe etiam Redemptor noſter IESVS, omnium princeps & vertex, Apoſtolis ſuis hoc etiam ſæpenumero inculcauit, dicens: *Eſtote parati, quia neſcitis diem neque horam*; *Matth. 24. & 25.* quaſi diceret, Nolite obſecro, Apoſtoli mei, indulgere ſomno, nolite indormiſcere, oculos ſemper habete apertos, ſemper prompti & parati velut ad pugnandum ſtate: habetis enim hoſtem qui omnes inuadat, quique tum potiſſimum ſolet ingruere & impetum facere, cum ipſi quam maxime viſum fuerit oportunum, & nos minime exſpectamus: adeo vt nec annum, nec menſem, nec diem, multo minus horam ſciamus. An non igitur merito hæc horæ incertitudo penſanda eſt: & an non merito cauendum, ne ab hoſte opprimamur.

Isboſeth à ſtirpe Saul progenitus, cum olim in meridie præ æſtus vehementia in lecto iaceret in conclaui, & ancilla oſtiaria ſomno obruta non excubaret, à duobus ſicariis Baana & Rechab, in inguine percuſſus, *2. Reg. 4.*

Digitized by Google

cuſſus interijt: factum ſiquidem tragicum & deteſtandum, ſed quod nobis exempli loco ſit: duos ſicarios ſcelere infames, mortem & peccatum intelligo, tum, cum in vitæ noſtræ meridie, id eſt, in flore ætatis ſumus, cum in lectulum voluptatũ aſcendere propoſuimus, & cum memoria: quæ eſt veluti oſtiaria ancilla cordis, & actionum noſtrarum obſeruatrix, ſomno oppreſſa jacet: corporis noſtri domum ſubingredi, vitamq; nobis nec opinantibus nefarie eripere.

Iud. 11.

Sampſon, miraculum illud orbis, & victoriis plurimis ac robore ſuper æthera notus, cum in pellicis Dalilæ ſinu incautus dormiret, nihil minus cogitans, ab hoſtibus ligatus eſt, excæcatus, ad mortem abductus, & cæſaries, in qua omnis fortitudo eius ſita erat, detonſa. Denotat hæc allegoria, hominem, qui omnes inter creaturas velut quidam Sampſon eſt, ſtatim vt in voluptatum perfidæ huius Dalilæ, id eſt, carnis ſinu molliter requieſcit, & excubias non agit; incautum à morte opprimi, omni ſenſu priuari, mille cruciatibus velut vinculis quibuſdam ſtringi, bonis ſpoliari, vitamque tandem amittere. Eheu! quæ igitur excubiæ? quæ vigiliæ agendæ ſunt, ne ab hoſte inopinate inuadamur?

Mors non niſi proditorie nos opprimit.

Ipſa porro mors, quamuis audax ſit, vt quæ maxime, multumque de ſe præſumens omnes inuadat: nullum tamen niſi proditorie & incaute impetit, & inſigne putat nullum locum nec horam indicaſſe. Si homines decipiat, exarmatos aggrediatur, deliberate inuadat, ſummam gloriam ſe conſecutam exiſtimat, & in eo maximas delicias ſitas autumat. Hinc, ex conſilio Redemptoris noſtri, ſemper vigilandum eſt, & nullo non tempore & loco mors exſpectanda: *Eſtote parati, quia neſcitis diem neq; horam.*

Matth 24. & 25.

Annibalis aſtutia.

Ferunt Annibalem, fulmen illud belli, & totius Italiæ terrorem, qui varijs bellis & cladibus victorem orbis populum attriuit, quam diu Scipionem Africanum ſibi inſtare intelligeret, nunquam niſi armis circumdatum, & vigilantibus ducibus, dormiuiſſe, fuit hoc quidem barbari militis aſtus: quidni & Chriſtianorum eſſe poſſit lectio, quæ diſcant, ſibi quamdiu ſciunt mortem in acie eſſe, & nullo non loco & tempore aduerſus ſe conſpiraſſe, nunquam niſi memoria armata, & in omnem partem diſpoſitis excubijs, quæ eam adeſſe denuntient, eſſe dormiendum? Hinc Cicero in Catone Maiore: *Moriendum enim certum eſt, ſed incertum an eo ipſo die: mortem igitur omnibus horis impendentem timeas.*

Cap. 1.

Deſcribit in Apocalypſi, ſublimium ille & arcanorum Dei myſteriorum interpres Ioannes, prodigioſa quędam animalia, quę plena erant oculis ante & retro. Scio quidem per hæc ipſa, varia, & quidem non inſcite, deſignari: ſed docemur his etiam, eſſe nobis horum animalium naturam imitandam, oculoſq; omnem in partem circumferendos, vt videamus & aduigilemus, ne nos mors interdum ante, & alias à tergo adoriatur.

Eſſe igitur pleni debemus oculis, & quidem oculatiſſimi, ad omnes eius artes & verſutias detegendas, noſque ipſos à proditione & fraudibus crudelis huiuſce Amazonis tutos conſeruandos: id eſt, debere nos mortis omni in loco, & omni hora, meminiſſe, ne ipſa nos improuidos adoriatur: atque ita fiet, ne vnquam diuinam maieſtatem peccando offendamus. Hoc porro conſilium Sapientis eſt, dum ait: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis:* porro verba hæc erunt quaſi ſtadium, in quo hodierna decurret concio, & quidem in bigis: primo itaque ad oculum demonſtrabo, quam incerta ipſa mortis ſit hora, ac deinde quonam nos modo ad eandem præparati & diſponi oporteat: in quo me confido veſtræ omnium expectationi abunde ſatisfacturum, modo linguis animiſque faueatis.

Eccl. 7.

II. De incertitudine horę mortis.

Principio igitur quemadmodum nihil in mundo morte eſt certius, ita eiuſdem hora nihil etiam incertius. Hinc in Sermonibus ſuis Bernardus: *Nihil certius morte; ſed nil incertius hora mortis:* perinde ac ſi diceret, De morte certiſſime diſſerere poſſumus, ac ſine vllo errandi metu, cum eadem neceſſario omnibus & ſingulis impendeat: at de hora

Digitized by Google

eius, quis eſt qui quidquam certi aſſeruare audeat, cum de futuris contingentibus, captum noſtrum ſuperet, & à noſtra cognitione nimium ſit aliena? ſibi ipſi hoc arcanum Creator reſeruauit, nullis id creaturis volens communicatum. Et quemadmodum opera ſibi quædam ſingularia ſeruauit ad potentiæ ſuæ magnitudinem declarandam, quæ aliis, quæ in rerum natura agunt, negauit, vt inprimis ipſam creandi potentiam, quæ infinitæ atque omnipotentis cuiuſdam virtutis eſt, & cui creaturarum humeri cedunt: ita quoque, vt ſcientiæ eius amplitudinem perſpectam haberemus, ſibi vni arcanorum rerumque particularium cognitionem ac ſcientiam reſeruatam voluit, quam cæteris creaturis denegauit: & in p[illegible]is ipſam cognitionem horæ mortis. Ita namque id Apoſtolis Dominus declarauit, dum ait: *Non eſt veſtrum, noſſe tempora neque momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

Actor. 1.

Et ſane, ô Theologi, ipſa æterna Dei ſapientia plurima arcana nouit, quorum cognitionem ſibi ſoli reſeruauit, hominibus eam denegando. Atque hinc Eccleſia in orationibus ſuis huic ſoli electorum & prædeſtinatorum cognitionem tribuit, *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus*: quaſi oraret, Omnipotens & omniſciẽs Deus, tu es ſublimis & ſummus ille Philoſophus, qui numerum ad æternam beatitudinem deſtinatorum perſpectum & cognitum habes, nos homines nihil ſic ſcimus, ipſi quin etiam Angeli id ignorant, Seraphim hic velut in denſis tenebris verſantur, at tu ſolus & numerum noſti, & qui eiuſdem numeri futuri ſunt.

Idem omnino de mortis hora dicendum eſt, ac credendum, ſummi huius vitæ & mortis arbitri eſſe, diem & horam eius noſſe noſtraque momenta arbitrii ſui trutina penſare. Hinc ipſe de ſe in Apocalypſi: *Habeo claues mortis & inferni*: & Vates regius: *Deus noſter Deus ſaluos faciendi, & Domini domini exitus mortis*: illius eſt natura, mortis portas aperire, eiuſq; adyta penetrare, vt dies & horas & momenta ſciat, homini vero janua hæc ſemper occluſa eſt, & ita occluſa, nulli vt vnquam

Apoc. 1.
Pſal. 67.

permiſſum fuerit eandem aperire, licet multi id ſępius, & quidem anxie, à Deo poſtularint. Millies id ab eo contendit Pſalmographus, vt nunquam clamare deſierit: *Notum fac mihi Domine finem meum, vt ſciam quid deſit mihi vita.* & alibi: *Quando facies de perſequentibus me iudicium?* Vtinam, inquit, ſcirem Domine diẽ, qua de inimicis meis vindictam ſumpturus ſis, quando eos deleturus, cum meæ mihi vitæ terminum reuelare nolis. Noli nimium curioſus eſſe in arcanis Dei indagandis ô rex, deſine ſecreta eius expiſcari, illos namque articulos in ſciẽtiæ ſuæ ſcriniis, & archiuis cognitionis æternæ abſcondit: litteræ hæ hominibus clauſæ ſunt, & velut ferreo ſigillo munitæ.

Pſal. 38.
Pſal. 118.

Præclaram huiuſcè rei figuram in Apocalypſi deregimus. Vidit ibidem Ioannes librũ ſeptem ſignaculis munitum, & ita munitum, vt nemo in cœlo, nec in terra, neque ſubtus terram eadem reſerare, aut librum potuerit inſpicere. Quid autem, veſtra ſententia, liber hic deſignat, niſi ingens illud volumen diuinæ ſcientiæ, in quod omnes ſecreti prædeſtinationis, extremi judicii, horæ mortis, aliorumque arcanorum articuli relati ſunt? volumen, inquam, ita obſeratum, & tot ſignaculis munitum, nullus vt vnquam in cœlis Angelus, nullus in terra homo, nullus apud inferos dæmon eadem reſerare, aut, non dico, volumen legere, ſed ne vel characteres illius, imprimis qui ad mortis horam ſpectant, noſſe potuerit.

Cap. 5.

Nulla reuera vnquam creatura exſtitit, in quantum pura & nuda creatura erat, quæ mortis ſuæ diem præſciuerit, niſi id illi Deus ſingulari quadam ratione reuelaſſet. Vnde Propheta Iob: *Numerus annorum incertus.* Bonus ille ſenecio Iſaac quamuis jam totus incanuiſſet, oculique eius caligarent, mortis tamen horam ignorare ſe profeſſus eſt: *Vides fili mi Eſau, quod ſenuerim & ignorem diem mortis meæ*

Nullus vnquam obitus diem præſciuit, niſi ſingulari Dei reuelatione.

Cap. 15.
Gen. 17.
4. Reg. 8.

Video deinde & Regem potentiſſimum anxium & ſollicitum, quod horam exitus ignoraret, Benadad ſcilicet Regem Syriæ: hic enim cum graui tactus eſſet ægritudine, & ſcire vellet, num è morbo eſſet moriturus

turus

turus nec ne, Principem militiæ cum quatuor camelis, donariis & muneribus onuſtis ad Eliſæum Prophetam deſtinauit, qui eum hac ſolicitudine ac metu liberaret, certoque diceret, num ſanitatem conſequeretur, an vero ad patres ſuos apponeretur. Nullus igitur hanc horam nouit, ſed illa penitus incerta eſt, atque ideo ſemper metuenda & metuendo expectanda, ne improuiſo nos opprimat.

Mors hodie potens admodum eſt.

Atque hac præſertim ætate: nunquam enim tanta mortis audacia fuit ad nos inuadēdos, nunquam tanta eius ad nos proſternendos potentia, neue tanta eius vnquam perfidia & vafrities ad nos ſubruēdos, quanta modo. Fuit enim aliquando tempus, cum nonniſi proprijs armis pugnaret, ſuoſq; tātum vernaculos in prælium aduerſus homines armaret, ſenectutem ſcilicet, morbos, & aliqua tantum violenta vel fortuita: nā bellum nonniſi hinc inde in orbe ſparſum erat, peſtis nonniſi poſt quadraginta annos & aliquādo poſt centum redire conſueuerat, fames vt plurimum in arentibus Africæ aut Arabiæ deſertis graſſabatur, nec ad Europæos tranare audebat: nemo quid eſſet apoplexia, ophthalmia, pleuritis, ſuffuſio, inflammatio, quid parotides, nouerat: vix erat ſermo de vlceribus, āgina, ſynanche, podagra, tormentis iliorum, aliiſque morbis & infirmitatibus. At modo liberis per omnia mors habenis graſſatur, omnia diſiicit & proſternit, varuſq; accincta furiis & malis, bello inquam peſte, violentia, proditione, nulloque dato otio aut induciis, ſemper homines inuadere contendit. Atq; ita fit, vt hora eius incerta ſit, & nulli cognita.

Quod cum ita ſit, ſemper vigilare oportet, & quotidie ſeſe ad illam præparare, vt cū venerit, feliciter eius ſtadium decurramus. Sæpius hinc orando dicebat Dauid: *Benedictus D.minus qui quotidie proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum.* Viſus mihi autem eſt hic rex precibus ſe ad iter hoc extremū muniiſſe, & pios viatores imitatus, qui

Pſal. 67.

antequam in viam ſeſe dedunt, precibus & orationibus iter Deo commendare conſueuerunt, atq; ita omnes Chriſtianos facere par eſt, & hoc ipſum eſt, quod prius de excubiis & vigiliis monui.

Refert Germanos Seneca, non mortem, ſed mortis genus timere ſolitos, quidni & hoc de Chriſtianis dixero? eos ſcilicet mortem non debere timere, ſed genus mortis: ipſum enim mori nihil eſt, pueris & animalibus commune, at bene vel male mori, magni momenti eſt, & in id omnis noſtra cogitatio ac ſtudium dirigendum, deq; duobus his nos maxime ſollicitos eſſe oportet. Magnum quidem eſt, ac plurimi faciendum bene viuere, at pluris adhuc, bene & laudabiliter mori. Sæpenumero enim fieri videmus, vt naues, quæ maris rabiem, & procellas jam feliciter euaſerunt, ad littus miſere nonnunquam alliſæ, in ipſo portus conſpectu, cum in anchoris ſtare cogitant, naufragium patiantur: Multæ enim arbores, quæ toto brumali tempore niues, & gelu ſuſtinuere, & cæli injurias contempſere, initio veris exareſcunt. Idem prorſus animabus noſtris contingit. Plures enim ſunt, qui cum toto vitæ tempore innocenter & ſancte vixerint, feliciter mundi huius oceanum enauigauerint, atq; omnibus mundi tentationibus viriliter reſtiterint, & jam ad horam mortis velut ad portum peruenerint; quaſi in alterius vitæ vere conſtitutæ, pereunt nihilominus, exareſcunt, ac triſte ac deplorandum ſalutis ſuæ naufragium faciunt. Quamobrem circumſpiciendum eſt & attendendum antequam eo perueniatur, & ad tam periculoſum iter paulatim animus præmuniendus: tela namque præuiſa minus feriunt.

In epiſtolis.

Simile.

Aliud.

Moſonius Monachus, vt refert Maximus, cum interrogatus eſſet quidnam maximum ad bene moriendum momentum afferret, reſpondit: Vltimum ſemper ſibi diem cogitando proponere. Quicūq; igitur bene, & ſancte mori deſiderat, dudū antea de morte cogitet, eius ſeſe memoria muniat, atq; ita improuiſo eius

Maxi. c. 46.

Digitized by Google

eius impetu tutus erit. Redemptor quoque noſter Ieſus Chriſtus, vtpote qui non ignoraret, quanti id ponderis eſſet, toties nos ad vigilandum & excubandum adhortatus eſt, monuitq; ne à morte inopinato opprimeremur: *Videte, vigilate & orate: neſcitis enim quando tempus ſit*, & mox veluti epiphonema ſubnectit, *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Et apud Lucam, *Vigilate itaq; omni tempore*, id eſt, veſpere & mane, noctu diuque, in adoleſcentia, & ſenectute: mors enim nõ dormit, ſed nobis dormientibus vigilat. Confirmant idipſum & duo Apoſtolorum vertices, Petrus ſcilicet in ſua Canonica, *Fratres, ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærẽs quem deuoret*. Sed quod ille de diabolo, cur non poſſimus nos de morte intelligere, quæ vera quædam diabola eſt, ſemper nobis inſtans, & ſuperimminens, vt nos deuoret & deglutiat? quamobrem vigilandum eſt. Multo vero clarius Paulus, *Vigilate, ſtate in fide*, mors enim crudelis illa bellatrix aduerſum vos conſpirauit, & veſtram perniciem molitur: O quam ſalutaria monita! quam ſalubria conſilia! quam mortis hora incerta eſt.

Chriſtus ſæpius nos admonet, vt mortis meminiſſemus, & maxime eius incertitudinis.

Marc. 13.
Luc. 21.
1. *Pet.* 5.
1. *Cor.* 6.

Mortis hora incerta.

Incerta inquam, adeo vt nullum ad moriendum præfixum & ſtatutum tempus, nullum locum aſſignatum habeamus, nec in noſtra ſit voluntate domicilium eligere, in quo hoc debitum perſoluamus. Sed vbique locorum efferа illa Parca ſeſe ingerit, omnia loca ſibi oportuna putat, & omne tempus idoneum ſtragi.

Ac velut ij, qui in foro criminali ad mortem condemnantur, non vno omnes tempore aut hora ad ſupplicium rapiuntur, ſed ſinguli diuerſo tempore: alij vero, vt latrones & ſicarij, quos lictores captiuos abducunt, eodem quo capiuntur die: non ſecus quoque cum hominibus agitur, hominibus inquam, à longo jam tempore in perſona Adami ad mortem condemnatis: omnibus enim vitæ huius horis aliquot ad ſupplicium rapiuntur: alij ſub veſperam ſenectutis, alij in meridie florentiſſimæ ætatis, alij ſummo mane & ſub auroram vitæ, vt infantes lactentes, alii denique quamprimum vt eſſe inceperint, eſſe etiam deſinunt, in ipſa nimirum matris aluo exſtincti. O crudelitatem inauditam! ô mortem amaram, & nimis incertam eius horam!

Similitudo egregia.

Ad quid enim toties in ſacris litteris mundus tetro carceri & arctæ cuſtodiæ comparatur? vt, *educ de cuſtodia animam meam*, quæ verba, qui de corpore intelliget non peccabit: equidem de mundi cuſtodia ea malim intelligi. Vt nimirum hinc diſceremus, eſſe nos in hoc mundo, velut in tetro aliquo carcere ad mortem condemnatos, ſine vlla veniæ, indulgentiæ, aut miſericordiæ ſpe, in quem nos diuina juſtitia velut captiuos & reos cõpegit, ſuo omnes tempore ſupplicio mortis afficiendos: non quidem omnes eodem, nec vno die aut hora, ſed nos hodie, cras illos, vt vnus poſt alium ſucceſſiue, ſine vllo ætatis aut honoris diſcrimine, nihil minus cogitans, & horæ ignarus, ad mortem & ſupplicium rapiatur. Ita namq; id ipſa oſtendit veritas dicens, *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam*.

Inſignis conceptus.
Pſal. 141.
Matth. 24.

Sæpe mecum tacitus admiratus ſum, cur in ſacris litteris mors furi comparata ſit, (vnde Paulus, *Veniet tãquam fur in illa hora*) cuius cauſam dum indagarem, optima mihi vtriuſque videtur ſimilitudo, & magna inter vtrũque affinitas. Fur enim nocturnus, non niſi dormientibus hominibus, eiuſq; aduentum non exſpectantibus, venire ſolet. Hunc imitatur & mors, ipſa enim prædatrix eſt & bonorum & honorum & ipſius etiam vitæ, ſed quæ nonniſi improuidos, & vitijs indormiẽtes adoriri ſoleat. Docuit me hunc conceptũ ipſius Redemptoris noſtri ſchola, quæ ait, *ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtiq; & non ſineret perfodi domum ſuam*. Per furem hunc nocturnum mortem intelligit, quę inſtar furis dum minime cogitamus corporis noſtri parietem ſuffodit & deſtruit, quo vitæ noſtræ theſaurum diripiat. Sane ſi nobis de die & hora cõſtaret, vigilaremus haud dubie: ſed hoc minime fieri poteſt, cum eiuſdem hora incerta ſit & penitus incognita. Scimus quidem ſtatutum eſſe omnibus homini-

Mors furi comparata.
1 *Theſ.* 5.
Matth. 24.
Heb. 9.

Digitized by Google

minibus ſemel mori, ſed neſcimus quando id futurum ſit, hodie an cras, de die an noctu, hoc anno vel illo: dixit quidem Iſaias regi
4. Reg. 26. Ezechię, quod moreretur; *Diſpone domui tuæ, quia morieris*, ſed quo die aut hora id futurum eſſet non dixit, ſcimus quidem omnes eſſe nobis intra octogeſimũ ad ſummum annum, aut ſexageſimum moriendum, ſed neſcimus prorſus quonam id anno futurum ſit. An non igitur merito vigilandum, excubandum & quotidie in omnem partem circumſpiciendum eſt. Dic mihi Chriſtiane, ſi vrbi alicui potentiſſimæ excidium & ſtrages certiſſimo poſt 6. aut 7. menſes euentura prænuntiaretur, an non ciues omnes de die & nocte ſedulo excubarent, ne fortaſſe incauti obruerētur. Cuius rei euidens exemplum in ciuitate Niniue videre poſſumus. Vix enim Ionas iram Dei denuntiauerat, quin ſtatim omnes triſti hoc nuntio perculſi, rex ſimul & ciues, nobilitas cũ plebe, precibus, ieiunijs, armiſq; pœnitentiæ in manus ſumptis, iram Dei conati ſint auertere, vrbemq; à periculo immunem præſtare.

Vos vero noui Niniuitæ, noui Aſſyrij, vos intelligo, peccatores excæcati, ſuſtollite paulisper oculos, & videte quid rerũ hic agatur, audite quid in veſtrum hic emolumentum proferatur: Suggeritur vobis, acclamatur, ingeminatur, poſt octoginta, aut ad ſummum centum annos, certo certius vobis
Pſal 89. eſſe moriendum. Vnde vates & rex de hominum vita vaticinatus ait, *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Quamobrem, dum tempus eſt, arma induite, excubate ſedulo, in omnem partem circumſpicite, nequid animæ veſtræ reſp. detrimenti capiat: neque enim in tam imminenti & ingenti periculo, ſomno aut quieti indulgendum eſt. Somnolentiam in Petro Apoſtolorum Principe, ſuoque in terris Vicario Dominus caſtigauit, quod nimirum inſtante paſſione & morte, in vtramque aurem ſecurus dormiret, dicens, *Simon non po-*
Matth. 26. *tuiſti vna hora vigilare mecum?* quaſi diceret: Quid? mors inſtat Petre & non excubas? mihi iamiam moriendum eſt, & tu ſuauiter
Ion. 1.

dormitas? Arguit & eandem ſomnolentiam Scriptura in Iona Propheta, quod ſcilicet in extremo diſcrimine conſtitutus, & vix duobus à leto remotus digitis, ſecurus & tutus, in carina nauis, placide ſomnum caperet. E quibus omnibus inertiæ & deſidiæ arguendi ſunt, qui in imo nauis huiuſce mundanæ fundo, ſine vlla anxietate, & ſollicitudine ſuauiter dormiunt, de nullo minus quam de morte, quæ tergo tamen imminet, & cuius hora adeo incerta eſt, ſolliciti.

Rex aliquis cum intelligit ſibi à quoquam ſubditorum tendi inſidias, & varijs caput expoſitum eſſe diſcriminibus, adeo vt nihil intentatum ſicarius ille relicturus ſit, quo cœptum ad exitum, vel clam vel palam, cicuta vel gladio, aut quacunque alia ratione deducat, corporis cuſtodes duplicat, ſalutantes quoslibet ſuſpectos habet, & ab omnibus accedentibus periculum ſibi putat impendere. O cæcas hominum mentes? ſcias velim, O homo, qui à primordio creationis tuæ, totus vniuerſi rex es ac Dominus ab ipſo vitæ principio, inter omnes inimicos fœlicitati inuidentes, eſſe quatuordecim iuratiſſimos, quorum vnusquacunque tandem ratione, vel peſte, vel morbo, vel aliquo alio caſu fortuito aut violento, tibi necem & exitium inferat: Qui ſunt hi quatuordecim dies & noctes totius hebdomadæ, ſeptem nimirum dies, & ſeptem noctes, quorum vnus tibi certiſſime vitam eripiet, quocunq; tandem artificio obnitaris. Inſignis conceptus.

Sed ignoramus futuruſne ſit dies, an vero nox, dies etiam Dominicus an Sabbatinus. An non igitur ſemper vigilandum eſt? an non omnes dies & noctes vitæ ſuſpectos habere oportet, & ſemper timere, ne dies qui hodie illuceſcit, nos opprimat, & noſtras cogitationes & ſublimes conceptus in nihilum redigat? Hoc itaque vos cogitare velim, Auditores, ad quod ipſe etiam Sapiens nos hortatur dicens: *Memorare nouiſſima tua.* Quamobrem quod initio etiam dixi, vobiſcum diſpicite, quam incertum ſit mortis tempus, quamque dubia eius hora, ſed potius quiete & placide eam exſpectate, quotidie vos ad bene laudabiliterque moriendum diſponentes: quam diſpoſitionem diffuſius iam deducam, Eccleſ. 7.

Digitized by Google

eam, atq; ita ad ſecundum concionis membrum deuoluar.

IV. De præparatione ad mortem.

Si quid eſt, auditores, ad quod homo diligenter ſe quotidie ac nunquam non debet diſponere, ipſa profecto mortis hora eſt, ſedulo namque ei curandum vt poſt longam vitæ huius nauigationem fœliciter ac ſine naufragij periculo communem hunc portum, per quem in alteram vitam peruehitur, intrare valeat: omnis ſiquidem noſtra fortuna, iuſtificatio ſcilicet, vel æterna damnatio, ab vnico hoc puncto dependent. Seneca hoc animaduertit, noſque animaduertendo admonet, vt quotidie ad mortem nos præparemus, *Incertum eſt quo loco mors exſpectet, itaque tu illam omni loco exſpecta:* (Epiſt. 26.) nam quia mors adeo occulta eſt, eiuſque aduentus adeo incertus, neceſſarium eſt hominem ad eam ſe accurate diſponere, quocunque illam loco exſpectare, ſemper velut in ſpecula excubare, ne incautus ab illa opprimatur.

Dixit quidem olim Plinius, non minimæ fœlicitatis loco habendum eſſe, ſubita ac repentina morte hinc auferri, nullaque præuia mortis cogitatione aut apprehenſione diſcedere. Iulianus quoque perfuga Chriſtianitatis, vt refert in eius vita Marcellinus, cum occulto quodam ictu cælitus vibrato, nec opinatus exſtingueretur, oculis ac manibus in cœlum ſublatis, immenſas dijs gratias agebat, quod ſine vllis torminibus, cruciatibus aut morbis hinc diſcederet, ſed lætus ac feſtinus, vt qui velut è medijs negotiis ac quodammodo adhuc agens abriperetur. Iulius Cæſar, vt Plutarchus tradit, cum in ſenatu de optimo ac beatiſſimo mortis genere diſceptaretur, inopinatam & inexpectatam optimam iudicauit. Iſtud quidem Ethnicorum fuit iudicium, qui verę religionis expertes erant, ſed apud Chriſtianos, quorum melius ſemper & ſanius hac in re habitum eſt iudicium, ea mors & peſſima & infœliciſſima iudicatur: nam nihil eſt quod toties à Deo Eccleſia poſtulat, quam vt filios ſuos à ſubitanea & inexpectata morte tueatur. *A ſubitanea & improuiſa morte, libera nos Domine.*

Ipſa vero ſcriptura ſacra inter pœnas & ſupplicia peccatis debita mortem repentinam enumerare conſueuit. Hinc Iob Propheta de impio quodam tyranno loquens, tale de eo iudicium fert, *Auferetur ſpiritus oris ſui*, id eſt, Morietur ſanus, (Iob 15.) incolumis, bene valens, ſoſpes, & nihil minus quam de morte cogitans, & paucis vt dicam, morte ſubita & repentina, morte tyrannis propria, qui morbo rariſſime, ſed vt plurimum, morte violenta & cum ſanguine ad generum Cereris deſcendunt. Eandem (Pſal. 18.) pœnam Pſalmographus quibuſdam temporis ſui nefandis hominibus comminatus eſt: *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis*, id eſt, morte repentina, potius traditione quam morte naturali, ad imitationem regum, quos prius ad ſepulchrum ferri videmus, quam de morbo eorum ſermo fuerit. Hinc in Pſalmis legimus, *Non eſt reſpectus morti eorum.* Et Iob, *In* (Pſal 72.) *puncto ad inferna deſcendunt* ſcilicet impij, qui (Iob. 21.) morte repentina in hoc mundo puniuntur, & æterna in altero: ſine vlla reflexione, contritione, confeſſione, ſine vllo pœnitentiæ ſigno, morientes.

Iuſti autem mortem ſemper præmeditantur & ante oculos habent, & ad eum velut ad ſpeculum omnes animæ labes ac næuos examinant, examinatos eluunt, nihilque adeo horrent quam ſubito & improuide ex hac vita, ſine vllo pœnitentiæ teſtimonio, abripi, verba illa Iob vſurpantes, *ſi repente interroget, quis reſpondebit ei?* (Iob. 9.) vel, ſi ad Hebraicos fontes reuocemus, *ſi rapuerit, quis reſpondit?* Id eſt, Quid ſi repentina morte nos hinc abripi contingeret, non præuia delictorum confeſſione, nō obtenta peccatorum indulgentia, non reconciliata diuina iuſtitia, non diſpoſitis conſcientiæ negotijs, quid obſecro, reſpondebimus, quid in ſtricto illius iudicio in excuſationem afferemus? Conſultum eſt igitur, hoc præmeditari, & ſibi dum tempus eſt proſpicere, ac ſemper quodammodo excubias agere.

Quid ſit ad mortem ſe diſponere.

At dices, ad quid opus tot excubijs, quid neceſſe eſt aſſidue vigilare, aut ad mortem ſeſe quotidie diſponere? quaſi vero hoc eam impediat vel retardet? anne ideo venire omittet, quod nos eam præuidiſſe ſciuerit?

Digitized by Google

haccine ratione ab eius crudelitate immunes erimus? Non hoc eſt, Auditores, quod vigilare dico, ſed rebus conſcientiæ ſuæ proſpicere, & animæ negotia in optimo ſtatu conſtituere. Hæc enim mors aliam longe magis formidandam ſecum trahit, mortem ſcilicet ſempiternam: atque adeo ſi prior illa nos imparatos, vitiis immerſos inuenerit, ſecundam procul dubio experiemur, & in æternum peribimus; ſcriptum eſt enim: *Mors peccatorum*, id eſt, cum peccatis hinc decedẽtium, *peſſima*, miſera, deploranda, & vere infelix.

Pſal. 33.

Mors lupo comparata.

Lupus, referentibus rerum naturalium Scriptoribus, ſi prior hominem viderit adeo neſcio quanam occulta & arcana ratione, aerem inficit, vt vocem humanam intercludat, ita vt homo penitus loqui aut clamare neſciat, quod inſinuat ex parte Poeta, dum ait: *Te Mœri lupi videre priores.* Mors, Auditores, cruenta illa lupa eſt, de qua loquor, ſi enim illa prior nos occupet & inuadat, mutos reddit, vocem qua ad Deum clamemus intercludit, omnemque diuinæ miſericordiæ obtinendæ ſpem aufert! Eam igitur præuertere oportet, noſque quotidie ad eam ſubeundam diſponere, atque hoc eſt, quod toties in Euangelio Dominus cõſuluit, dicens: *Eſtote parati, quia neſcitis diem neq; horam*; porro diuinum hocce conſilium diuina etiam figura confirmabo.

Matth. 24.

Exod. 12.

Voluit olim Deus, vt Iſraelitæ, antequam ſub potenti manu eius Ægypto egrederentur, agnum Paſchalem cum ſumma feſtinatione comederent, baculos ſcilicet manibus geſtantes, & lactucas ſilueſtres manducantes, ne fortaſſe ab Angelo exterminatore, qui magnam & crudelem per Ægypti angulos ſtragem edebat, neci darentur. Deſignauit hæc figura, eſſe nobis cum diligentia ac ſumma feſtinatione ſalutis noſtræ negotium peragendum: baculus hic ſignificat, ſemper nos vigilare & excubias agere debere, ne improuide occidamur: Lactucæ porro ſiluceſtres denotant, pœnitentiam quoque hic eſſe neceſſariam: atque hæc omnia cum ſumma feſtinatione eſſe deuoranda, ne exterminatricis, id eſt, mortis manu repente è medio auferamur, quæ per omnes mundi plagas, varias & maxime metuendas ſtrages edit. Redemptor noſter Chriſtus hoc pacto gloſſam hanc viſus eſt intellexiſſe, cum præcinctos nos eſſe iubet, & velut paratos ad iter illud in alterum mundum peragendum: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum.* Sed verba hæc metaphorice intelligenda ſunt; nam præcingere lumbos, eſt velut vaſa colligere, rerumque ſuarum ſarcinam componere: faces illæ ardentes, bona opera charitate flammantia deſignant: accurata autem hæc ſeruorum exſpectatio, figura eſt diligentiæ qua ſe omnes ad mortis, quæ totius mundi domina eſt & regina, vt Apoſtolus ait, aduentum diſponunt.

Luc. 12.

Rom. 5.

De memoria mortis gradus.

Fœlix igitur ac ter beatus ille dicendus eſt, qui hoc ſeſe modo ad mortem præparat, & cogitatione ſaltem crudelitatem huius Megæræ anteuertit, aſſidue nempe eam in mente animoque habendo. Ita quoque ſentit Ioannes Climacus, vir in huiuſmodi negotiis verſatiſſimus, & pietate in Deum præſtans: *Probatus quidem ille eſt, qui mortem diebus ſingulis exſpectat, ſed ille ſane ſanctus, qui hanc horis ſingulis deſiderat.* Sufficere hæc quidem poſſent ad mortis memoriam inducendam, noſque ipſos ad eam quotidie ſumma diligentia diſponendos. Sed aliam adhuc figuram, variiſque refertam myſteriis in medium adducam.

Figura.

Num. 10.

Iuſſit olim Deus, ad primum tubæ clangorem omnes filios Iſrael circa Arcam Domini conglomeratim congregari: at ſi prolixior & conciſos clangor increpuiſſet, moueri caſtra & profectionem adornari. Diuerſo hoc tubarum clangore ad oculum mortis præparationem deſignari puto: ſcilicet ſtatim vt aliqua nos ægritudo inuadit, quæ eſt veluti tuba & buccina ſuperuenturæ mortis, eſſe nobis ad Deum, qui vera fœderis arca eſt, recurrendum, omnia peccata coaceruanda, intentiones omnes congregandas, & in eius conſpectu omnes cogitationes explicandas. Si vero clangor prolixior ſit, ſi, inquam, morbus ingraueſcit, ſignum eſt caſtra debere moueri, profectionemque

alterum mundũ eſſe inſtituendam, mundum deſerendum, conſcientiæ negotia in tuto collocanda, noſq; ad iter longinquum accingendos. Neceſſaria eſt igitur diligens, & accurata ſui ad mortem præparatio.

Simile. Quicunque in aliam regionem profectionem inſtituunt, è qua nunquam amplius reuerſuros ſe cogitant, aliud non ſomniant aut cogitatione voluunt, quam iter illud ſuum, omnes idcirco facultates diſtrahunt, pecuniæ plurimum coaceruant, nihilque aliud ſecum aſportare conantur, quam quod in itinere non ſit grauaturum, & quod in regione in quam ſecedere cogitant, magnæ æſtimationis fore putant. Idipſum nobis faciendum eſt, Chriſtiani, qui in hoc mundo veri viatores ſumus, (omnes enim à Domino peregrinamur) quique ſingulis momentis exſpectamus, vt nos hinc mors abripiat, & in altero mundo ſiſtat, è quo amplius non da- *Pſal. 77.* bitur reuerti (*ſpiritus* ſcilicet *vadens & non rediens*) atque ideo omnia quæ grauare queant, vendenda ſunt, vt in Euangelio Domi- *Luc 21.* nus ſuaſit, *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam:* & *facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis.* Aſſumendum quoque aurum & argentum gemmæque pretioſæ, virtutes ſcilicet, & bona opera charitate ſignata, qua nulla melior & pretioſior moneta in illa prouincia habe- *2. Cor. 4.* ri poteſt; vnde Apoſtolus: *Momentaneum & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Diuitiæ porro huius ſæculi, & affectiones mundanæ non ſunt in illa regione niſi quiſquiliæ, & velut nummi adulterini aut acciſi. Sola virtutis, meritorum, bonorumque operum illic habetur ratio, ſolaque illa in pretio ſunt: quamobrem huiuſmodi nobis merces & quidem plurimæ, hic coaceruandæ ſunt, quas in alterum mundum tranſuehamus, quibuſque illic ditemur.

Exod. 2. Iterum alia prodeat figura. Hebræi cum Ægypto egrederentur, vt terræ patribus promiſſæ poſſeſſionem caperent, auro & argento, rebuſque pretioſiſſimis, quas ab Ægyptiis mutuati erant, onuſti, in terram Chanaan abierunt. Myſtice hic docemur, nos cum tandem aliquando mundi huius Ægypto egredi debeamus, virtutes plurimas, bona opera varia, & quidquid hic pretioſum eſt, quod in cœleſtem regionem, quæ patria noſtra eſt, deferamus, eſſe coaceruanda. Illi namque ſunt theſauri & diuitiæ, quarum in regione cœleſti vſus eſt, quæque illic plurimi fiunt. Ita namque id ipſa veritas teſtata eſt: *Theſaurizate autem vobis* *Matth 9.* *theſauros in cœlo, vbi neque ærugo neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, neque furantur.*

Hac ſcilicet ratione ad mortem nos diſponere oportet, merita plurima ſeminare, virtutes coaceruare, bonorum operum merces congregare, vanitates fugere, & quidquid mundi eſt generoſa quadam conſtantia deſpicere. Nam quemadmodum qui ca- Simile. pitis ſupplicio afficiendi ſunt, niſi penitus deſipiât, omnem ridendi, ludendi, recreandique occaſionem ſubterfugiunt, honores & dignitates exoſas habent, ſed vnicam mortem quæ capiti ſuperimminet, aſſidue ante oculos habent, & animo voluunt, peccata præterita, vitamque priorem in mentem reuocant, deque vnius animæ ſalute anxij ſunt & ſolliciti. Ita quoque nos gerere oportet, Auditores. Nos enim, non ſecus atque illi, iam inde ab vtero matris, mortis ſententiam nobiſcum trahimus, quæ omni nos loco & hora, quandocunque ei viſum fuerit, poteſt inuadere. An non igitur ingens noſtra ſtoliditas eſt ac veſania, interea dum ad mortem condemnati viuimus, & ad ſupplicium iamiam rapiendi ſumus, in corporis huius ergaſtulo detenti, deliciis iociſque indulgere, honores & dignitates ambire, riſu & gaudio diffluere? O ſtultitiam deplorandam, & helleboro prudentiæ curandam!

Non ita, non ita, Chriſtiani, alia vos profecto ratione ad mortem diſponere debetis, V.
aliaque aduerſus eandem arma ſumenda ſunt, nimirum animæ ſordes eluendæ, peccatorum integra & ſyncera exomologeſis facienda, animæ res in tuto collocandæ, & omnis danda opera, vt eadem aſſidue in mente habeatur, ne, dum venerit, inopinato nos obruat. Quot eheu! inopinato & ſubito ex hac vita abrepti ad tartara deſcenderunt,

Digitized by Google

derunt, quod mortem vix vnquam ante oculos habuiſſent, & ad eam ſubeundam minime ſe diſpoſuiſſent. An non Sodomitæ cum Gomorrhæis populiſque circumjacentibus, nihil minus quam de morte & vltima hora cogitantes, ſulphureo igne & fulgure ſuffocati, & diuinæ juſtitiæ vltionem experti ſunt? An non & Ægyptij de morte haudquaquam ſolliciti, ab eadem fuere præoccupati, atque ad vnum omnes miſerum in modum Maris rubri vorticib. abſorpti interiere? Crœſus ille Euangelicus, an non etiam ſubita & repentina morte ex hac vita, nec opinatus abreptus fuit? Promittebat ille ſibi annos Neſtoreos, & vitam perenne duraturã, & ecce, proh rerum vices! eo ipſo quo hoc concepit die, vitam ſimul & opes, ac quidquid earum habebat, & in quo ſpem collocabat, miſere perdidit. Audiamus quomodo ſibi blandiatur: *Anima, habes multa bona repoſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare*: at mors è contra vana hæc promiſſa eludens replicat: *Stulte, ac nocte animam tuam repetent à te.* Plurimi quoque Reges & Principes improuiſa morte ſubito hinc abrepti ſunt. Teſtis ſit inprimis Balthaſar potẽtiſſimus ille Babyloniorum Monarcha, qui medias inter epulas extinctus eſt, atque inter gulæ irritamenta bolum feralem, quem non quærebat, inuenit. Holofernes quoque princeps militiæ Regis Aſſyriorum, in corde caſtrorum & in loco tutiſſimo conſtitutus, ab hac Parca præuentus fuit, & qui Bethulienſes ferro, & igne delere decreuerat, muliebri inglorius mucroni jugulum præbuit. Amnoni de familia & domo Dauid, menſæ accumbenti mors ſicam loco exquiſitiſſimi ferculi appoſuit, atque cum epulas funeſto ſpectaculo cruentantem in alterum mundum tranſmiſit, atque in æternum menſis, epulis & conuiuijs coegit valedicere. O ictum minime præuiſum, ô telum inexpectatum & penitus ineuitabile! Quare agite, Auditores, quotidie vos ad mortem, etiam antequam immineat, diſponite.

Gen. 19. *Exod. 14.* *Luc. 16.* *Luc. 12.* *Dan. 5.* *Iudith. 13.* *2 Reg. 3.*

Idipſum porro fiat mature, & dum liberum tempus habetis, neque enim expectandum eſt, cum jam illa tergo & capiti quam proxime inſtat, cũ vltimus vitæ imminet articulus, & pallorẽ jam vultus induit. nolite imitari militem illum, quem Alexander velut ignauum & inertem caſtris ſubmouit, hic enim arma poliebat, cum jamjam in aciem deſcendendum eſſet, & hoſtis in conſpectu verſaretur. At non ita vos velim agere, ſed omnibus auctor ſum, vt conſcientiam ſenſim & quotidie poliatis, virtutibus boniſque operibus exornetis, animæque rubiginem, dum tempus liberum conceditur, & facile idipſum fieri poteſt, defricetis, neue exſpectetis, cum jã in conflictum mors armata deſcendit, & copias ad præliandum explicuit: eſſet n. periculum, ne ſummus ille dux Chriſtus, è libro vitæ eradat, èque numero prædeſtinatorum deleat, eos, qui nunquam, aut ſaltem rariſſime, arma ſpiritualia, (qualia ſunt oratio, contritio de commiſſis, gemitus, ſuſpiria, lachrymæ pro ijſdem) niſi cum jam moriendum eſt, & aduerſum mortem, mundum ac diabolum certamen ineundum, tractant, vel in manus ſumunt. Hæc quidem ex hiſtoriis profanis, ſed jam vnum è ſacris archiuis depromemus.

Plut. in Apopht. reg.

Pharao & Ægyptij cum Iſraelitas Ægypto egredientes inſequerentur, viderentque ſe jamjam aquis inuoluendos, cœptis deſiſtere, & vnde venerant retrogredi cupientes, dixerunt ad inuicem: *Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Sed ſerius, mors enim cum in foribus jam eſſet, prius reuerti noluit, quam regem cum vniuerſis copijs ad inferos detruſiſſet: cum enim jam terga retrogreſſuri vertiſſent, *Occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Mũdus hic, Chriſtiani, verus Pharaonis typus eſt, & peccatores, copiarum Ægyptiarum, hi namque dum conuerſionem vitæque emendationem in vltimum vitæ articulum differunt, & in eius fine ad Dominum conuerti, pœnitentiamq; agere conabuntur, verẽdum profecto eſt, ne ſerius ſit, & ne rubrum diuinę juſtitiæ mare eos furoris ſui vndis abſorptos ad inferna demergat. Quamobrem danda eſt opera, vt, dum tempus habemus, ad mortem nos præparemus: in quam rem horribilem, ſed veram proferam hiſtoriam.

Exod. 14.

Digitized by Google

Refert hanc Magnus Gregorius, quam dum vel animo voluo, horrore totus contremiſco. Chryſoarius, qui vitæ ſemper fuerat profligatiſſimæ, ac varijs ſeſe ſceleribus coinquinarat: Cum ad vltimum vitæ articulum, jam veniſſet, quo exactiſſima ſummo judici totius vitæ ratio reddenda eſt, & videret dæmones cateruatim irruere, lecto frequenter aſſiſtere, prædæque inhiare, graui & tetro cœpit ſudore perfundi, horrore concuti, ac toto corpore cõtremiſcere: adeo vt cum dæmonibus viſus ſit confligere & altercari, & in has tandem voces lamentabili ſono prorupe-rit, *Inducias vſque mane, inducias vſque mane*, noctem hanc, vt pœnitentiam agam, concede Deus clementiſſime, duodecim adhuc horas ad compunctionem indulge. Sed incaſſum: hæc enim verba ſæpius nequicquam ingeminans, nec vel vnius horę ſpatium ad pœnitendum impetrans, nequiſſimum ſpiritum exhalauit. Ecce, qui tot dies, tot menſes, tot annos ad pœnitendum conceſſos neglexerat, in vitę termino ne quidem vnicam impetrare potuit horulam. Magno igitur & euidenti ſalutem ſuam exponit periculo, qui ad mortem ſe dum poteſt, minime diſponit, at pœnitẽtiam de die in diem differt, & qui hac in re negligens eſt, næ ille demonſtrat, eſſe ſe de numero reproborum, nec vllam æternæ ſalutis ei obtinendæ ſpem eſſe. Quod ita demonſtro.

Greg. lib. 4. dial. c. 38. & hom. 12. ſuper Euang.

Inter cæteras, quas ſibi, vt immundas, offerri nolebat Deus aues, erat & cygnus, & quamobrem? eſt namque auis pulcherrima, & candore cum niue decertãs, pennis ad hęc elegantibus veſtita, concentum quoq; edens ſuauiſſimum. Fateor, ſed non canit, niſi in ſenectute, & dum mortem ſibi vicinam ſentit. Quo edocemur, inter cæteros homines, qui toties in Sacris litteris auibus comparantur, dum nimirum dignitate & naturæ excellentia cæteris animalibus præſtãt, ſolos cygnos, (id eſt, qui quidem egregiis honorum, dignitatum, diuitiarumque pennis nitent, ſed non niſi in morte & vitæ termino jucundiſſimum illud pœnitentiæ canticum concinunt, & vitæ emendationem, qui ſuauiſſimus concentus eſt, in decrepitam ætatem & mortis tempus differunt) ſalutis ſuę ſæpenumero diſcrimen incurrere. Atq; ideo longe prius, ac tempore opportuno cantandum eſt, animuſque quotidie ad mortem diſponendus.

Leu. 6.

Quare agite, Auditores, cantate Domino canticum nouum, concinite Deo carmen illud ſuauiſſimum, ſymphoniam illam jucundiſſimam, prædulcem illam muſicam pœnitentiæ, incipite illam jam à prima vitæ aurora concinere, neue in obſcuram mortis eam veſperam differte: nam quemadmodum aurora Muſis amica muſicam excitat, auium, quas natura ad cantillandum & argutandum efformauit, linguas velut ligatas ſoluit, veſper vero, taciturnitatis amans, eaſdem cogit obmuteſcere, ſic & in hac vita videmus accidere, ad harmoniam enim, quæ ex ſincera vitæ emendatione compoſita eſt, decantandam, maxime propria ſemper vitæ aurora indicata eſt, veſper vero & occiduus ſenectutis dies prorſus ineptus. Cãtate igitur mane laudum carmina, quotidie vos ad mortẽ, ad funeſtum illum conflictum diſponite, vigilate & excubate diligenter, videte ne improuiſo ab eadem opprimamini. Nihil quippe ad ſalutem conſequendam hac cogitatione eſſe cenſuit Sapiens vtilius, aut ad beatitudinem obtinendam efficacius, dicẽs: *Recordare nouiſſima tua*. & præſertim mortem, quamq; eius hora incerta ſit, & ad eam te ſemper diſpone, *& in æternum non peccabis* At fœliciter morieris, nec vnquam ab illa præoccupaberis. O fœlix recordatio, & memoria vere exoptanda! *Eccl. 7.*

Tu porro hanc nobis gratiam concede, Domine Ieſu Chriſte, vt eadem in animis noſtris memoria jugiter viuat, & in ferali mortis ſpeculo nobis ſemper repræſentet, quam incerta eiuſdem ſit hora, & neminem eandem vnquam ſine ſingulari Dei reuelatione cognitam habuiſſe: deinde eadem illi nos doceat, quamuis nihil eadem certius ſit, nihil tamen eiuſdem hora exiſtere incertius: doceat, inquam, mortem eſſe velut curſorem velociſſimum, latronem quoque expeditiſſimum, quæ noctu & interdiu, domi & in agro, in deſertis & in vrbibus, in ruſticorum tuguriis & regum palatiis omnia vaſtet, diripiat ac deſtruat, idque

Digitized by Google

que nulla non hora, nulla tamen temporis certitudine. Eſſe quoque eandem carnificem mille tormentis & artibus inſtructiſſimã, quæ omni loco, omni tempore, omni momento & nullo non mortis genere, occidat, interimat, trucidet. Viuat igitur, viuat inquam in nobis ſemper ſancta hæc memoria, cæterarũ porro rerum recordatio penitus intermoriatur, quo hanc horę incertitudinem, vt par eſt, animo inſculpamus ac vereamur; animo inſculpentes ac verentes, diligenter ſolliciteq; nos ad eandem, dum tempus opportunũ habemus, & occaſio cõmoda eſt, diſponamus, idque per verum rerum mundanarum contemptum, noſtram ipſorum abnegationem, ſinceram ac diligentem vitæ emendationem, ac pœnitentiam opportunam. Hæc ſcilicet eſt optima ad ſemel bene moriendum pręparatio, quo corruptibilis vitę huius formam amittentes, aliam quandam quæ æterna ſit ac ſemper duratura, in anima efformemus, ipſã ſcilicet æternam beatitudinem, quod nobis omnes ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ concedere dignentur, Amen.

FERIA SEXTA.

DE IIS, QVÆ IN MORTE EVEnire ſolent.

Partitio.

I. *Quod mors ſit horribiliſſima.*
II. *De moribundi corporis doloribus.*
III. *Exempla in idem.*
IV. *De tentationibus animæ à Satana.*
V. *De Dæmonum horribilitate ac violentia.*

Memorare nouiſſima tua, & imprimis quidquid in ſuprema illa hora accidere conſueuit, *& in æternum non peccabis.* Eccleſ. 7.

FIGVRA.

Impeterritus ille ac magnanimus rex Iſrael Saul, cum olim defuncti cuiuſdam ab inferis redeuntis vmbram conſpexiſſet, quæ inſtantem ei & filijs mortẽ denuntiabat, dicens, *Cras tu & filij tui mecum eritis: ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſtijm;* 1. Reg. 27. tanto timore perculſus fuit; vt, repentinam illam ex hac vita diſceſſionem, fortunæ varietatem, regni ac rerum omnium amiſſionem, omnia denique quæ triſti illa mortis hora euentura ſunt, ſibi proponendo, confeſtim emiſſis viribus, pallore vultum occupãte corde & corpore tremens, in terram corruerit. Ex hac repentina regis conſternatione diſcãt homines, nihil in hac vita reperiri, quod nos magis percellere ac terrere debeat, quam ſupremam illam mortis horam: horam dico, poſt quam alia nulla reſtat, quæq; ſola præ omnibus horis merito pertimeſcenda ſit: horam, in qua mille tentationibus anima concutitur, mille corpus torminibus excruciatur, oculis mille ſpectra metum & formidinẽ incutientia offeruntur, horam, in qua cuncta ſexcentis membra doloribus & cruciatibus diuexantur. Latius hęc omnia hodierna concione deducenda ſunt: Intellectum tu modo illumina illuſtrationis tuæ radio ſanctiſſime Spiritus, tuque pro Eccleſiaſte intercede Virgo ſacratiſſima noſtri apud Vnigenitum tuũ patrocinium ſuſcipiendo: Tuum igitur vnanimes imploramus auxilium, tibiq; flexis genib, recitamus.

AVE MARIA.

I. Salomon mortalium ſapientiſſimus ac doctiſſimus, inque rebus naturalibus quam qui maxime verſatus, cum ex profeſſo de tremẽda mortis hora loqueretur, nihil eadem in mundo eſſe putauit horribilius, aut quod maiorem homini terrorem, metum ac formidinem incutiat, quam horrendi illius conflictus qui tunc ſubeundus eſt, meditationem. Hinc ipſe non minus etiam trepidans, alloquitur mortem, *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis,* Eccl. 41. & ſub vmbra diuitiarum ſuauiter apricanti?

Poſt notabile hoc ſapientiſſimi Regis apophthegma, Gregorius Magnus aliud non mino-

Digitized by Google

minoris momenti deprompſit, ait enim moralibus, *Qui conſiderat, qualis erit in morte, ſemper pauidus erit in oratione.* Et profecto nihil eſſe poteſt efficacius, aut ad Herculea pectora, ad Achilleos animos emolliendos, totumq; adeo orbem perterrendum fortius, quam funeſtæ huius horæ & caſus adeo lamentabilis interim dum viuitur, meminiſſe: quod hiſtorijs quibuſdam è ſacris voluminib. depromptis notum faciam.

Prima ſit hæc. Ezechias rex cum graui infirmitate tactus, lecto affixus decumberet, & doloribus vix ferendis affligeretur, mortemque ſibi imminentem metueret: adeo vt noti omnes & domeſtici tam benigni ac beneuoli Principis amiſſione in lachrymas effuſi ingemiſcerent, ipſi quin etiam medici de vita deſperarent, Iſaiam inſuper Prophetam mortẽ Eſai. 38. denuntiantẽ audiſſet, *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non viues*, regnum & notos omnes morte præuentus deſeres & ad patres apponeris, hæc inquam, omnia cum videret & audiret, adeo conſternatus fuit, vt vultu ad parietem conuerſo, lachrymari, ſuſpirare, & 4. Reg. 20. ingemiſcere cœperit, diuinamq; miſericordiam precibus & lamentis expoſceret, dicens, *Memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt corã te fecerim*, id eſt, quid hoc audio Deus clementiſſime, ecquænam illa ſententia, ecquod decretum hoc mortis in ſeruum tuum? heu quamnam in me juſtitiam exerces? flectere obſecro precib. eius, qui fidele tibi hactenus obſequium præſtitit, teque ex toto corde & intimis animi viſceribus dilexit? Recordare quæſo quam ſincere ſemper in ſemitis tuis ambulauerim, & in corde honoris ſui ſitientiſſimo coram maieſtate tua verſatus fuerim? nunquam enim tibi refragatus ſum, ſed exactiſſime ſemper obſecutus, & nihil non feci, quod tibi ſcirem eſſe quam gratiſſimum.

Vera hic nobis & genuina proponitur imago eorum, quæ vnicuiq; noſtrum in mortis hora in ſupremo illo conflictu, in vltimo illo certamine, neceſſario ac ſine vlla dubitatione euentura ſunt, mutato ſcilicet nomine de nobis fabula narratur. Quod enim ad oculum geri hic videtur, quod de Ezechia referri audimus, certiſſime quoq; nobis euenturum eſt eadem fortuna, ijdem caſus ſubeundi ſunt, forſitan etiam grauiores, ac formidoloſiores. Veniet enim aliquando dies, qua in lecto extenſi, doloribus ſaturati, ſudantes, febrium ardore æſtuantes, morbiſq; grauiſſimis afflicti jacebimus: veniet dies, qua cõſanguineos & notos ingemiſcentes, domeſticos lamentis & eiulatu aera rumpentes, lectoq; aſſiſtentes cernemus, dies, inquam, veniet, qua honores deſerere, parentibus valedicere oportebit, & qua ſententiam mortis in nos ſummus ille vindex eiaculabitur, admonẽs, vt domui noſtræ diſponamus, ipſa deniq; nobis mors occultiſſimas tendet inſidias. Quid porro in nouiſſimo illo articulo faciendum reſtat, quam faciem à tam triſti & funeſto ſpectaculo auertendo, eamq;, non dico ad parietem, ſed ad ſepulchrum & vrnam conuertendo, ſingultibus, lachrymis ac ſuſpiriis diuinę miſericordiæ ſupplicare? Quid tum conſilii capiemus, cum oculos in vitam cõtaminatiſſimam, ſceleraq; olim commiſſa, quæ tot ac tam grauia fuere, coniiciemus, cum regem vita tamen laudabiliter, & cum virtute tranſacta fretum, adeo conſternatum, ac tãto pauore ad ſolam mortis apprehẽſionem cõcuſſum videamus? Exclamem igitur vere, O diem amaram & horam pertimeſcendam!

Iob omnium orientalium ditiſſimus ac Iob. 1. potentiſſimus (quippe quem nonnulli regem fuiſſe arbitrantur) ſimul etiam in ærumnis perferendis patientiſſimus, cum in fimeto conſidens fortunæ varietatem animo volueret, ſeque facultatibus & poſſeſſionibus ſpoliatum, filiis orbatum, ſanie & vlceribus fœtidum, & grauiter à Sathana percuſſum animaduerteret; lachrymans & gemens, ſuumque deplorans infortunium, omnes omnino mortales in ſui auxilium aduocauit: *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei.* Iob. 19. Tragicus profecto caſus hic eſt, & cothurno dignus, ſed qui in ampliſſimo mundi huius theatro vobis ad ſpectandum admiſſis exhibetur, vt hinc vobiſcum diſpiciatis, qui gemitus, quæ lamenta, quænam calamitates in nouiſſimo illo die, in mortis

Digitized by Google

tis inquam articulo ſoleant ingruere. In illa namque hora, te alloquor opulente, & pecunioſe, nudum te, in lectulo velut alterum Iob in fimario, videbis extenſum, omnibus bonis & facultatibus mox ſpoliandum, vxore & cariſſimis liberis orbandum, cruciatibus vndique obſeſſum, doloribus extenuatum, & quod omnium eſt grauiſſimum, à crudeli illa carnifice, morte inquam, circumquaque vallatum; adeo vt lachrymaturus ſis, & omnes amicos in auxilium aduocaturus: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei:* ſuccurrite mihi homines, opitulamini amici & noti, conſolamini me Angeli, adeſte Archangeli, diuinam mihi miſericordiam depoſcite, & eam ipſam mihi propitiam reddite. O igitur horam terribilem! O expoſtulationem lachrymis & lamentis digniſſimam!

2 Mach. 9. Non minus quoque terribile eſt, quod de impio Antiocho Syriæ rege, Iudæis infenſiſſimo referunt ſacræ litteræ. hic enim cum varia crudelitatis genera exercuiſſet, ac dilectum Deo populum graui tyrannide affixiſſet; qui vniuerſa conſpicit, Deus Iſrael inſanabili eum & inuiſibili plaga percuſſit: apprehendit namque eum dirus viſcerum dolor, & grauiſſima inteſtinorum tormina, cecidit adhæc de curru ſuo, ac membra graui colliſione diuexata ſunt; adeo vt humiliter de ſe ipſo ſentiens, in ſella geſtatoria in caſtra ferretur; manifeſtam Dei virtutem in ſeipſo conteſtatus: ſcaturiunt quin etiam ex impio corpore vermes putidi, & carnes eius viuentis etiamnum tabo ſanieque diffluunt, vt intolerabilem nemo fœtorem poſſet ſuſtinere. O occulta DEI iudicia! cum his itaque malis ſe à ſuprema manu impetitum cerneret, corde ad Deum conuerſo, oculiſque in cœlum ſublatis, diuinam ſupplex miſericordiam implorat, vitæ ſinceram emendationem pollicetur: quin etiam vouet, templum ſanctum, quod prius nefarie exſpoliauerat, ampliſſimis ſe donis cumulaturum, ſanctaque vaſa multiplicaturum, Iudæos in libertatem aſſerturum, & ipſam Iudaicam Religionem amplexurum. At fruſtra hæc vota fundis impie, mortem inſtantem non effugies, & oras Dominum à quo miſericordiam non es conſecuturus: nam diuinam vindictam expertus, mortem quoque breui experieris. Hanc cum hiſtoriam legis, ô homo, credas velim, apertam hic mortis tuæ mentionem fieri: credas, inquam, eſſe te velut regem in hoc mundo à Deo conſtitutum, vt in cæteras creaturas dominium & imperium exerceas: dictum enim eſt olim ad proauum tuum eiuſque poſteros: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli; & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* *Gen. 1.* Propone tibi deinde, venturum aliquando tempus, quo te Deus, poſtquam varias hic crudelitates exercueris, plurima delicta commiſeris, ſuperiſque bellum moueris, inſanabili plaga percutiet; ac tunc in lecto, velut in lectica geſtatoria, te iacentem, non ſecus atque impium Antiochum, in medio deliciarum tuarum, videbis; tum te horrore plenum, fœtore graui circumdatum, & variis afflictum doloribus ſenties.

Quid tunc igitur reliquum, quam oculos ad cœlum conuertere, vitæ prolongationem depoſcere, miſericordiam implorare, expoſtulare, lamentari, votaque Deo facere, ſed incaſſum; erit namque neceſſarie moriendū, & nullo buccinæ ſigno dato hinc emigrandum. O crudelitatem nulla arte euitabilem! O caſum vere deplorandum! O horam nunquam ex animo delendam.

Mortis hora terribilis eſt. Illa namque eſt hora, qua vltimus conflictus eſt ineundus; hora, qua atrox mortis impetus exſpectandus, hora qua omnibus caris & amicis valedicendum eſt. Illa ſcilicet, eſt dies lachrymoſa, dies doloroſa, vere metuenda, dies qua crudeliſſimum certamen certandum eſt. Illud eſt tempus, quo corpus patietur, anima hinc emigrabit, oculi occludentur, frons in rugas contrahetur, ac vultus pallorem induet: tempus quo cerebrum vertiginem experietur, lingua balbutiet, cor anhelabit, caput torquebitur, & os miſericordiam poſtulabit. Erit denique tempus, dies, hora, adeo terribilis, vt ſi eius interdum recordemur, nunquam aliquo delicto diuinam maieſtatem offen-

offenderemus. Huius opinionis fuit Sapiens, atque hoc eius axioma eſt, quod iam toties
Eccleſ.7. repetiuimus, *Recordare nouiſſima tua*; ac præſertim mortem, & ea quæ in morte euentura ſunt; *& in æternum non peccabis.* horam hanc igitur mihi ad dicendum conceſſam de vltimæ horæ formidine agendo impendam; quã materiam in duas partes diuidam, prima demonſtrabo pœnas, tormenta, & grauiſſimos cruciatus, quos in ſupremo illo certamine patietur corpus; & altera tentationes, quibus tum oppugnari à dæmonibus conſueuit anima: arrigite aures, primam aggredior.

I. Regius ille vates, cum tormenta, anxietates & anguſtias atque omnia, quæ in fine vitæ euenire ſolent, deſcriberet, ita de
Pſal.17. iiſdem locutus eſt, *Circumdederunt me dolores mortis & pericula inferni inuenerunt me.* Scio quidem totum hunc Pſalmum aptum congruenterque ad Chriſti perſonam referri, cuius ſcilicet hoc initium eſt; *Diligam te Deus fortitudo mea, & refugium meum, & liberator meus*, quaſi diceret, Diligam te pater æterne in corde profecto, & quidem toto vitæ tempore: tu enim ſemper fortitudo & robur meum fuiſti; tu te protectorem & cornu ſalutis meæ demonſtraſti, idque ab initio quo eſſe cœpi, quando ſcilicet per vnionem hypoſtaticam me Verbo tuo maritaſti (loquitur hic enim in quantum homo.) Eris quin etiam refugium meum & tota ſpes mea. Nam cum dolores crucis, & prægustati mortis aculei me circumdabunt (more loquendi Hebræis & Prophetis perfamiliari,
Supra. præteritum pro futuro ponentibus) ſemper ad te confugiam, omnemque ſpem meam potentiæ tuæ humeris imponam. *Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* Quia ſi totius mundi peccata, pro quibus me pati neceſſe eſt, in mentem reuoco, mihique velut præſentia propono, tantum cruciatum doloremque intrinſecus ſentio, vt anima mea præ triſtitia & angore emoritura quodam-
Matt.27. modo videatur. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Hæc quidem de Chriſto.

Aut poteſt hic Pſalmus, iuxta ſenſum
Pſal.17. litteralem, ad ipſummet Dauidem referri: delicti namque ſui enormitatem & grauitatem exaggerans ſuamque calamitatem deplorans ait, *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me: dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.* Id eſt, Quod ô benigniſſime Deus, tui peccando adeo oblitus ſim, pœnitet me quam maxime, & tantum idcirco in meipſo dolorem & afflictionem intrinſec⁹ ſentio, vt ipſi dolores mortis cum hiſce anguſtijs comparati, ludicri & pueriles eſſe videantur: ac tanta mihi delicti magnitudo videtur, vt ab eo veluti rapidiſſimo quodam torrente ad infernales abyſſos me abripi putem: atque ideo haud parum abfui, quin ad inferna deſcenderim. Hic notate te velim anima, regis phraſim, ac videre, vt peccata ſua torrentes appellet: forſitan vt hinc diſceres, peccata plebis ac vulgarium hominum, nõ niſi riuulos quoſdam eſſe per ſaxa decurrentes; & regum ac principum inſtar rapidiſſimorum torrentium, ſummis montium iugis per ſalebras locaque ſcopuloſa deſcendentium, inundatione & curſu ſuo violento, integras cum vrbibus prouincias, regnaque florentiſſima ſecum in interitum & exitium abripere.

Verum vt ad lineam redeamus, videtur hocce loco Propheta duo dolorum mortis tempore ingruentium, genera inſinuate. Omnia peccata moriëti in mentem veniunt.

Primus eſt, qui è multitudine delictorum olim commiſſorum naſcitur: tunc enim omnia priora flagitia, velut acies quædam & legio, ſeſe velut ad bellum explicant, tunc quidquid olim actum eſt, in mentem redit atque grauiſſimos animæ cruciatus, ac non modicam perturbationem adfert, vt ad eorum recordationem ipſa ſæpenumero ad imum deſperationis barathrum deuoluatur. Vere igitur torrentes iniquitatis appellari poſſunt.

Tunc ſcilicet ô ſacrilegi ſacerdotes, terræ illæ Simoniæ animo recurſant, tunc concubinatus illi infames, ambitiones & cupiditates, nullis honorib. aut opibus exſaturandæ in mentem veniunt; tunc diuinorum officiorum neglectus, locorũ ſacrorum profanatio, benefi-

Digitized by Google

beneficiorum prouentus in res inutiles profuſi, memoriæ obuerſantur, atque ob oculos velut in acie poſiti oberrant. Tunc, ô iudices iniqui, iniuſta iudicia, concuſſiones; expugnatum auro fas, propenſiones illæ, & partium fauores auro redempti, repræſentantur. Tunc ô fraudulenti mercatores, cornua exſerunt, aut olim exſerta iterum proferunt, vſuræ illæ voraces, menſuræ fallaces, deteſtanda illa iuramenta, ne dicam periuria, & fraudes illæ vobis vſitatiſſimæ. O torrentes rapidiſſimi! Tunc aduerſum vos, ô mulieres, agmen explicabunt dilecti illi vanitatum, ineptiarum, luxuum, curioſitatum, deliciarum, libidinumque manipuli. O torrentes qui etiam fortiſſimum quemque in deſperationis charybdim trahant!

Corporis dolores varij in mortis articulo.

Alter porro dolor erit circa corpus, qui profecto non minus idipſum, quam prior animam, excruciabit: erit quippe adeo vehemens, tantoque impetu ingruet, vt miſerum hocce corpuſculũ, animam velut pignus de quo certetur, tandem amiſſurum ſit. Atq; ideo Propheta vſurpat vocem *dolores*, vt hinc appareat, horam hanc præ cæteris horis doloribus, terroribus & anguſtiis abundare. Dolores, inquam, quia tum omnia dolorum genera in aciem prodibunt: tunc quippe dolor erit in corpore, dolor in anima, dolor per omnia diſperſus & communis. Dolores inſuper, qui omnia depaſcent, & quib. membra omnia dolebunt: cor quippe palpitabit, caput dolebit, ſtomachus turgebit, pulmones vix ſpiritum ſuppetent, oculi caligabunt, manus trement, pedes frigeſcent: omnia denique membra extremos cruciatus & dolores ſentient. O rem deplorandam! ô miſeram ſortem noſtram! eheu plorantes in hunc mundum ingredimur; cum laboribus in eodem vitam ducimus, cum doloribus quoque eodem egredi oportet. Vere igitur dolores nos circumdederunt.

Mortis comitatus & potentia.

Videor ex hac dolorum multitudine, vt eos nuncupauit Pſalmiſta, alium adhuc conceptum poſſe elicere. Colligo hinc namque mortem eſſe principem, ne dicam reginam potentiſſimam, vt quæ nunquam niſi plurimis doloribus accincta, velut militibus & ſtipendiatijs ſtipata, in aciem deſcendat. Fuit olim tempus, quo non niſi pauciſſimos in comitatu latrones haberet, morbos etiam paucos, vix vlla de cauſa fortuito, de morte violenta, aut cruciatibus extremis mentio fiebat. At modo infinitos ſecum dolores trahit, ac varijs infelicitatibus ſtipatur, vt ita potentiam ſuam & magnitudinem demonſtret, atque ita ſe formidabilem hominibus reddat. Id inſinuaſſe Pſaltes voluit, dum dixit: *Circumdederunt me dol‹o›res mortis.* Ecce & alium conceptum. *Pſal. 72.*

Inſignis conceptus. Ezech. 4.

Iuſſit olim Ezechielem Deus laterem ſumere, & in eo ciuitatẽ deſcribere & adornare, quin etiam aduerſus eam obſidionem, ac munitiones, velut eandem iam expugnaturus eſſet, exſtruere. Quid tu nobis deſignas, ô later, quid repræſentas infelix ciuitas? aliud profecto nihil, quam calamitatem & interitum tuum ô homo. Quid enim es aliud quam ciuitas lateri fragili & arenæ inædificata, variis toto vitæ tempore caſibus atque infortuniis expoſita, quæque vndique mortis tempore obſidenda es, tantoque impetu concutienda, vt loco tandem etiam inuita ceſſura ſis. Obſidionis huius meminiſſe videtur idem qui ſupra dicens: *Circumdederunt me dolores mortis.* *Pſal. 17.*

Corpus hoc noſtrum comparatur domui, arenæ inædificatæ. Matth. 7.

In nouo etiam Teſtamento domum contemplor arenæ inædificatam, at domum fatui atque imprudentis: ſed ecce frementibus ventis, ac fluminibus irruentibus eadem ad terram corruit, atque ingentem ruinam edit: *Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Diuinate, Auditores, quid ſub huius ænigmatis cortice deliteſcat. Satis cogitatum eſt, equidem ſoluam. Vera hic vitæ noſtræ imago cernitur: domus namque ſtolidi huius arenæ ſuperinædificata, corpus hocce noſtrum eſt, nam dum peccatum aliquod committimus, ſtolidi ac vere fatui poſſumus vocari (hoc namq; nomine peccatores appellat Sapiens: *Stultorum,* id eſt, peccatorum, *infinitus eſt numerus*) corpus, inquam, *Eccleſ. 1.*

cineri & pulueri inædificatum, (ſumus quippe puluis, & in puluerem tandem reuertemur;) corpus, quod animæ huius domus eſt, at domus, quæ cum ſemel mortis turbinibus impugnata, atque tot dolorum vorticibus concuſſa fuerit, protinus ad terram concidet. Eius porro caſus erit admirabilis, omnia namque in cineres abibunt. Quæ omnia Vates verbis iam ſæpius repetitis complexus eſt; *Circumdederunt me dolores mortis.*

Pſal. 17.

At non ſine ratione plurali numero extulit, *Circumdederunt*; voluit nimirum hoc pacto extremæ huius horæ terrorem exprimere; horæ, inquam, in qua omnes dolorum cohortes vndique nos obſidebunt, ac circumuallabunt. Tunc, ô homo, vndequaque cingeris, obſidebaris, ac magno circum ſecus impetu circumuallaberis. Neque enim erit vllus in corpore vel in anima angulus, cui mors non inſidiatura ſit, aut oppugnatura. Tunc ſcil. morbus, vires exeret, idque per ſymptomata & varia accidentia, tunc dolores ingeminabit, ſomnum & quietem tibi eripiet, tædium afferet, inquietudinem cauſabitur, palatum tibi reddet inſipidum, malagmata, cataporia, medicamenta varia arceſſet. Quibus omnibus nil aliud efficere conabitur, quam loco te & arce deturbare, ac morti latiſſimum aditum patefacere.

Simile.

Et quemadmodum, vt ipſi milites & caſtrenſes melius me norunt, prius tormentis via patefacienda eſt, quam vrbs aliqua aut arx expugnetur, ac prius muri baliſtis & arietibus concutiendi, quam liceat irruere. Ita quoque mors, quæ ſanguinaria quædam bellatrix eſt, arcem illam hominis, id eſt, corpus, expugnare cupiens, in vltimo illo diſcrimine & conflictu; dolorum ac morborum quoddam velut vallum exſtruet, qui noctes & dies ſine vlla requie adeo eandem concutient, eiuſque vires naturales, ac partes præcipuas ita arietabunt, vt anima de victoria deſperans, armaque iam expedire ad ſui defenſionem vix valens, locum traditura ſit, ac deprædationi ceſſura. Audite oppugnationem, audite & expugnationem; *Circumdederunt me dolores mortis.* O obſidionem maximo cum diſcrimine coniunctam! ô ſtragem vere deplorandam!

Ecquænam illa, Deus bone, erit anxietas, ecquæ anguſtia, tunc temporis nos vndique circumuallabit? Hic ſeſe offeret vitæ præſentis amiſſio, mundi huius derelictio, atque omnium rerum perditio. Hinc ſepulchri horror, illinc vitæ adeundæ diſcrimen, & corporis à vermibus depaſcendi abominatio ob oculos verſabitur. Et ſane potens ille Perſarum ac Chaldæorum Monarcha Balthaſar, cum vocem legiſſet, quæ mortem ei inſtantem, licet ſatis obſcure, denuntiaret, (*Mane Thecel, Phares*, id eſt, regnum tuum diuiſum eſt, & Medis in prædam datum,) adeo perterritus & conſternatus fuit, vt facies eius repente immutata ſit, ac renum compages, teſte Scriptura, ſolutæ. Ah anima mea, quæ modo ad inſtar reguli alicuius glorians, inſoleſcis, ſuperbis, idipſum penitus tibi euenturum eſt, eadem tibi verba in ſupremo illo certamine repetentur, Diuiſum eſt imperium tuum, omnia prædæ ac direptioni expoſita ſunt, corpus cedet terræ, facultates auidis hæredibus, atque anima forſitan tartaro. An non igitur in illa hora contremiſces & exalbeſces? an non tota pauida ac tremens trepidabis? vere igitur exclamem, O horam pertimeſcendam, horam mille doloribus obnoxiam, mille caſibus & diſcriminibus expoſitam! quam etiam merito dicere potuiſti, ô vates! *Circumdederunt me dolores mortis.*

Dan. 5.

Bene, mea quidem ſententia, ais, *Circumdederunt*, quia quidquid reperiri aut cogitari poteſt infelicitatis, miſeriæ & calamitatis; idipſum hominem tunc circumuallabit. Sexcentas enim tunc pariet malum commiſſum ac bonum omiſſum amaritudines, & quis tunc ex dilata pœnitentia dolor orietur? Quæ omnia luculenter deſcribens Auguſtinus ait: *Cum in extrema ægritudine fueritis, fratres, ô quam pœnoſum, ô quam fratres, in lachrymabile erit vobis, pœnitere, & dolere de malis commiſſis & bonis omiſſis?* Quæ tunc conturbatio, quis tremor, ecquæ anguſtia futura eſt? Dauid vero totum tunc orbem trepi-

Pſal. 17.

Ser. 48. *ad Eremo.*

Pſal. 47. trepidaturum teſtatur. *Ipſi*, inquit, *videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehēdit eos, ibi dolores vt parturientis.* Ecce iterum dolores, numero plurali.

Lib. 3 c. 42. Eadem pene habet Innocentius Papa tertius libello de contemptu mundi, additque, in vltimo illo certamine miſeros homines quadruplici dolore diuexandos: primo tormentis mortis, quando nimirum anima cruciatibus, ac tormentis victa, vitæ huius domiciliũ deſerere cogetur, iuxta verba Pſalmiſtæ:
Pſal. 17. *Circumdederunt me dolores mortis.* Secundo, cum omnia ſibi vitæ prioris delicta, quibus infinitam Dei bonitatem ad iracundiam prouocauit, ob oculos ponit: *Torrentes*
Ibid. *iniquitatis conturbauerunt me.* Tertio, cum tartareos cruciatus & ſupplicia illa ſempiterna in mentem reuocat, quæ jam præſentire quodammodo incipiet, vt monuiſſe viſus
Pſal. 114. eſt Dauid: *Et pericula inferni inuenerunt me.* Denique cum horrenda illa dæmonum mõſtra toruum minantia, & furias illas tartarea fuligine nigricantes aſpectuque tetras, coram aſpiciet. An non hic quatuor dolores & quidem intolerandi ſunt, vere tamen in morte euenturi? O tempus igitur vere pertimeſcendum, & horam inprimis formidabilem!

Illa, illa ſcilicet erit hora, qua anima difficile hoc & perplexum iter, varijſque periculis obſeſſum perfecte cognoſcet, eiuſque diſcrimina nimium quantum perhorreſcet; hora, in qua tentationes creſcent, diaboli ingruent, atque omnes omnino creaturæ aduerſus hominem validius inſurgent, & fortiora arma induent. Tunc quoque miſella hæc anima corpori valedicere, eodem egredi, & arctum illud neceſſitudinis vinculum diſrumpere compelletur: omni ſpe ablata illius iterum videndi, niſi quando idipſum in vltimo judicij die anima ſubintrante, iterum animabitur. Tunc ſoror illa cariſſima, dimidio ſui derelicto, mundo ſola, ſine comite, egredietur, ad iter quoddam longinquum, & penitus incognitum peragendum, iter, inquã, quod prius non peregit, ignorans vtrum à dæmonibus, vel ab Angelis deducenda ſit. Tunc deſerendæ ſunt regiæ illæ domus, ſuperba palatia, ac vile quoddam & anguſtum antrum ſubeundum: hic terra nobis ſtrati loco erit, defunctorum crania loco ceruicalis, aranearum telæ loco aulæorum, ingens ſaxum loco ſtraguli, ſocij & amici futuri ſunt vermes ac viperæ. Quis igitur hæc cogitans non conturbetur, non ingemiſcat, non tremat, aut paueat? quis ad horum recordationem non exalbeſcat. Ipſe licet veniat Hercules, Cæſar, aut Alexander, quos totus orbis tremuit & ſuſpexit, inſtar folij trepidabunt. Quod varijs jam exemplis Sanctorum manifeſtum reddam.

Tradit magnus Hieronymus in vita S. Hilarionis, qui plurimis annis vaſtam ſolitudinem incoluerat, omnes mundi delicias peroſus, eum, dum in extremis eſſet, & ob periculoſum hoc iter toto corpore tremeret ac paueret, his animam eſſe verbis allocutum: *Egredere anima mea, quid dubitas, egredere quid times? ſeptuaginta annis Deo ſeruiſti*, in antris & & ſpelæis habitaſti, eremum incoluiſti, varia corpus inedia & pœnitentia emaceraſti; & fidele Deo obſequium præſtitiſti, *& adhuc exire times?* Tu igitur, peccatrix anima, quid in illa hora facies, cum vix juſti ſecuri ſint, & mortem perhorreſcant? III.

Arſenius anachoreta, magnæ quoque ſanctitatis & nominis, qui temporibus Impp. Honorij & Arcadij eremum illuſtrauit, cum in agone jam eſſet, & iter hoc periculoſum mente volueret, timere cœpit, pallere, & toto corpore concuti: cumque diſcipuli morienti aſſiſtentes hoc viſo mirarentur & dicerent: Quid pater jam times, hæccine tibi metum hora incutit? pauens reſpondit, ſemper in hoc vixi timore, nunquam hanc horam è mente depoſui, at animo ſemper inſcriptam geſſi. Num igitur tu percelleris peccator, cum ipſi anachoretæ vitæ ſanctitate conſpicui, qui plurimis delicta lachrymis expiarunt, metuant & contremiſcant. In vitis Pat.

Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis qui ſub Imper. Valeriano circa annum Domini CCLX. martyrio coronatus eſt, Presbyterum quendam ait, cum in extremis eſſet, Li. de mortal.

I 3. hæc.

hæc ab Angelo qui ſibi apparebat, audiuiſſe: *Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* vitam vobis grauem dicitis, & tamen tremitis, cum eadem morte finienda eſt. Quid nobis fiet ô Angele, ſi totus hic orbis exalbeſcat?

Lib. 5. hiſt. Angl. Venerabilis Beda Angloſaxo, qui circa Annum Domini DCCXX. ſub Leone Iſaurico in Eccleſia floruit, ſanctitate & doctrina illuſtris, Religioſum quendam ſui temporis ſcribit, cum ad vitæ finem jam perueniſſet, oculos à mundi huius rebus auertendo, & ad vitam alteram cõuertendo, inferni barathrũ vidiſſe, & paratam ſibi ima voragine manſionem: quo viſo in tantum ille exhorruit, vt poſt lamenta, ſuſpiria, ac gemitus, deſperando mortuus ſit, atque ita ad inferna quæ viderat ſupplicia detruſus. O caſum tragicum ac lugubrem! O horam vere metuẽdã! Quid? non paues anima, cum tragica hæc argumenta audis?

To. 5. an. 529 Sur tom. 1. Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, ſæculi noſtri decus & ornamentum Annalium Eccleſiaſticorum editione celebris, & cum eo Laurentius Surius in Sanctorum feſtis, referunt, Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum, qui magno olim Africæ ſuæ ornamento fuit, cum ad extrema veniſſet, ac variis corpus doloribus animaque tentationibus diuexaretur, ad Dominum gemebundum inclamaſſe, Domine refugium pauperum, & mœſtorum ſolamen, da mihi hic patientiam, & poſtea indulgentiam. Hæc tecum voluas ô anima mea, & ſanctum hunc agonizantem imitare.

Adhæc quatuor illi Chriſtianæ religionis Secretarij, quos communi nomine Euangeliſtas vocitamus, aliud quid longe narrant horribilius, & quid? Ipſum filium Dei vnigenitum, CHRISTVM Dominum ac Redemptorem noſtrum, qui Patri quo ad diuinitatem, nobis vero ſecundum humanitatem par erat, ſanctitate tamen & juſtitia omnes omnino homines antecellebat; cũ mortem ſibi inſtare cerneret, ad tantas anguſtias redactum eſſe, mortiſque apprehenſione adeo perterritum, vt præ timore ac formidine ſanguineo ſudore & quidem ſpiſſiore toto cœperit corpore perfundi. *Cœpit contriſtari & mœſtus eſſe*, ait Matthæus. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, Marcus. *Factus in agonia prolixius, & factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram*, ſubnectit Lucas. *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* O rem penitus admirabilem! Quis audiuit vnquam tale? quis de ſudore ſanguineo vel fando intellexit? Ecce ſtrenuus ille gigas, de quo tamen in Pſalmis legitur: *Exultauit vt gigas ad currendam viam* *Pſal. 18.* mortem timet Atlas ille, qui *cuncta verbo virtutis ſuæ portat*, vt ait *Heb. 14.* Paulus, in mortis hora concutitur, ac tremit: Quid ipſe igitur hic faciam? quid de me fiet? qui in ſupremo illo duello me geram? ſi enim metuant gigantes, quid facient Pigmæi? ſi Heraclidæ inſtar folij trepident, meticuloſi Therſitæ quid agent? Quid ni? tunc enim, vt Propheta canit: *Circumdabunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbabunt me.*

Quare age, inſenſate Coſmophile, qui in vitiis tuis, velut in delicijs volutaris, qui omnis metus expers ac ſecurus viuis, qui de nullo es anxius, qui altum peccatis indormis de nullo periculo ſollicitus, tandem aliquando ad cor reuertere, oculos ſuſtolle, huic Philoſophiæ incumbe; mortis interdum reminiſcere, de hora eius nonnunquam cogita, ac temporis huius amari aliquando recordare. Nullus enim in hac vita conflictus eſt, nullum certamen, aut pugna, quæ cum hac comparanda ſit. Si enim Anachoretæ hic trepident, ſi viri ſanctiſſimi hic metuant, ſi Religioſi interdum hic deſperent, ſi denique ipſe Dei filius hic ſanguinem exſudarit, tunc ſecurum putabis? nequaquam. Sed hoc vnum ſemper meditare, hoc aſſidue mente volue, & certo tibi polliceor, nullum hoc ipſo dari poſſe frenum validius, quo à peccando retraharis? Aſſerit hoc Sapiens, dum ait: *Recordare nouiſſima*, *Eccl. 7.* quæ tibi quam proxime imminent, & mortem inprimis, ac dolores qui in eius hora ſubeundi ſunt, *& in æternum non peccabis.* Recordare, inquam, dolores, qui tunc hinc corpus, & tentationes ſpiritus, quæ illinc animam diſcruciabunt:

buntः

Digitized by Google

bunt; de prioribus hactenus locuti ſumus, de alijs, vt initio propoſueramus, jam dicturi ſumus.

IV. *Anima quoque in morte affligetur* Præter dolores illos ac tormenta, quibus corpus in vltimo hoc conflictu affligi diximus, anima quoque ſingulari quadam ratione diuexabitur; variæ namque eam tentationes aggredientur; deſperatio hic aderit, horrenda ſpectra eam perterrebunt, ac plurimi eam dæmones obſidebunt. Hæc nimirum eſt hora qua rapaciſſimi illi prædones eidem inſidiabuntur, hic excubias agent, hoc quippe tempore & loco neceſſe eſt, vt eam diripiant: nam, poſt hanc horam nulla alia ſupererit. Inſinuare id videtur parabola Euangelica de viatore illo in latrones incidente, quam tametſi alias adhuc me produxiſſe ſciã, diuerſo tamen nunc ſchemate eandem producam.

Luc.10. *Homo quidam deſcendebat è Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* quem niſi Samaritanus miſericordia motus jumento impoſitum ad diuerſorium conduxiſſet, eiuſque haberi rationem juſſiſſet, de vita eius, ac ſalute penitus actum fuiſſet. In parabolæ huius inuolucris ſemper veram hominis figuram latitare exiſtimaui: qui cum in hoc mundo verus quidam viator ſit, & ex hac vita in aliam proficiſci habeat, in vltima illa mortis ſemita incidit in manus dæmonum, qui eam inſtar prædonum deſpolient, corpori quidem varias plagas infligant, morbos immittant, animam vero diuerſis tentationibus infeſtent, vt eam ſemianimem & extremos trahentem ſpiritus tandem etiam deſerant: adeo vt niſi Samaritanus, id eſt, Angelus cuſtos, qui eandem tunc potiſſimum defendet, eius miſeretur, in ipſo loco mortem oppeteret. Via namque hæc omnium quæ percurrendæ ſunt, & difficillima eſt & periculoſiſſima, & in qua ſemper latrones & prædones tranſeuntibus inſidiantur.

Gen.3. Gloſſa quædam exponens verba illa Geneſeos, *Tu inſidiaberis calcaneo eius:* addit hæc de ſuo, *Calcaneum finem hominum ſignificat, ad illum ſemper dæmon attendit, ſemper inſidiatur.* *Pſal.55.* Dauid quoq; quam proxime accedit dicens, *Ipſi calcaneum meum obſeruabunt*, id eſt, inimici mei tempus opportunum præſtolabuntur, in quo vitæ inſidientur, & maxime tempus illud vltimum; & alibi: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, quę in mortis potiſſimum hora me impetet. *Pſal.43.* O iter perplexum ac formidoloſum, prædonib. ac latrocinijs infame! quod figura quadam veteris teſtamenti melius explicabo.

Gen.25. Iacob Patriarcha cum longo temporis ſpatio in Meſopotamia in domo idololatræ Laban commoratus eſſet, & jam in patriam vna cum vxoribus, filijs & gregibus reuerti vellet; ecce profanus Eſau, vt frater eius & hoſtis jurati ſſimus, magnis copiis inſtructus, iter eius impedire, aut eum interficere conatur. Veſtra mihi id venia myſtice liceat exponere, dicere; hominem, poſtquam diu in hac terra, quæ in medio mari, veluti Meſopotamia in medio fluminum poſita eſt, vixerit, & jam mundi huius perfidi & idololatræ domo egredi feſtinat, vt in patriam cœleſtem, virtutum, bonorum operum ac meritorum gregibus ſtipatus ſeſe conferat: tunc potiſſimum è Sathana profano illo & agreſti Eſau, oppugnari, qui variarum ei tentationum, quæ ſunt velut leuis armaturæ equites agmen ex aduerſo opponit, vt in extrema illum pericula coniiciat, aut ſalutem eius in aliquod ſaltem diſcrimen adducat. Egregia profecto figura, quam variis jam hiſtoriis exornabo.

Seuerus Sulpitius in vita S. Martini. S. Martinus Turonenſis, cum in extremis eſſet, animam jamjã efflaturus, ecce princeps ille tenebrarum, atq; hominum tortor & carnifex, lectulo eius aſſiſtens tentationibus eũ varijs cœpit oppugnare: ſperabat ſcilicet eũ, qui toto vitę ſpatio de ſe triumphauerat in vltimo illo certamine debellandum, & clam vel aperto Marte expugnandum, ſed validus & generoſus ille athleta, victoriis plurimis nobilis, cum inimicum cerneret, increpans ait: *Nil habes in me cruenta beſtia*, quocirca quantocyus hinc te proripe & in tenebras infernales demergere. Quamobrem, ô anima mea, à Deo gratiam poſtula, qua in morte ca-

dem

dem prædirus eſſe poſſis conſtantia ac fortitudine, ſimulque cogita, quam ingentia tibi tunc pericula adeunda ſint.

Horrendũ videre erit dæmones.

Quis tunc, ô cœlum, ô terra, non horreat, aut formidet, cum tetra illa monſtra, horribiles illæ furiæ, ſpectra illa terribilia, apparebunt? cum dęmones ſe, vt ſunt, videndos prębebunt, quibus tamen nihil eſſe poteſt terribilius? quippe quorum aſpectus exanimare ſoleat intuentem?

Sanctus Thomas Apoſtolus, cum efferis ac barbaris Indis Euangelium Chriſti annũciaret, illique fidem dictis adhibere detrectarent, diabolum illis tetro & horribili aſpectu oſtendit, oculis nimirum ſcintillas ignis eiaculantibus, toruo & immani capite, arrectis comis, forma horribili: ad cuius aſpectum cum illi percellerentur, ſigno crucis juſſit vt ſe communirent, vt ita effugatus diſcederet, ne fortaſſe præ metu exanimarentur. Deinde

Exempla horrenda.

Religioſus quidam, vt in veterum Anachoretarum rebus geſtis ſcriptum legimus, cum in agone conſtitutus dæmones vidiſſet aſpectu & forma terribili, ita conſternatus ac perculſus fuit; vt mentis inops, ac quodammodo deſperans, diem deteſtatus ſit quo primum monaſterium ingreſſus eſt: ſed mox vt ad ſe rediit, ait ſe teterrimo dæmonum aſpectu perterritum in haſce blaſphemias erupiſſe, atq; tantam eorum deformitatem & horrorem eſſe teſtatus eſt, vt ſi tota terræ ſuperficies candentibus laminis conſtrata eſſet, ſibique daretur optio vel per eaſdem incedere, aut dęmonum iterum formam intueri, extremum hoc ſupplicium ſuſtinere ſe malle, quã hanc denuo viſionem pati dixerit.

a Li. 2. Med. b Li. 1 de anim. c. 2.

Vnde bene mihi *a* Bernardus & *b* Hugo de S. Victore de hac dæmonum apparitione ſcripſiſſe viſi ſunt: *Dæmones terribili & horribili aſpectu eam terrebunt, ingenti furore eam perſequentur, & comprehendent eam terribiliter, quam horribiliter, volentes eam retinere & poſſidere, niſi ſit qui eripiat: tunc anima inueniens oculos clauſos. & o[illegible], alioſque corporis ſenſus, per quos ſolebat egredi, & delectari in his exterioribus, reuertetur ad ſe, & videns ſe ſolam & nudam, ingenti horrore concuſſa, deſperatione deficiet in ſe & cadet ſub ſe.* O horam amariſſimam, & varijs obnoxiam caſibus, & à cuius momento omnis noſtra ſalus dependeat! Horam, inquam, in qua laxatis habenis dæmones in noſtram perniciem & interitum coniurabunt, omniaque delicta longo ante tempore in hac vita commiſſa, peccatoribus in mentem reuocabunt, quæ tam euidenter illi tunc videbunt ac ſi libro inſcripta perlegerent. An non tunc ô Pſalmiſta, *torrentes iniquitatis conturbabunt nos?* *Pſal. 17.*

V. In morte omnia peccata animo occurrent.

Hæc vobiſcum diſpicite peccatores, eſt namque certiſſimum, ſpiritus illos veteratorios, in mortis articulo, omnia vobis totius vitæ peccata in mentem reuocaturos, & ob oculos euidentiſſime poſituros. Hic ex ſpiſſis illis totius ætatis veſtræ contaminatiſſimæ digeſtis breue quoddam compendium concinnabitur, hic omnium veſtrorum delictorum catalogus texetur, hic totius vitæ ſeries repetetur. Vt porro maiorem vobis diaboli terrorem incutiant, magiſque vos percellant, & ad imum deſperationis barathrum deturbet, DEVM clementiſſimum, velut vindicem quendam fulmine, & ira accinctum, ſingula exactiſſime diſquirentem & diiudicantem, rationem ad vltimum vſq; quadrantem exigentem, nihilque etiam vel minimum impune dimittentem; vobis depingent.

Tunc perfidi illi impoſtores, & palpones, qui nihil dum vixeritis, quam eius miſericordiam, indulgentiam, bonitatem concrepabant, mutatis terminis, eius vobis rigorem, furorem, iram, fulmina, vindictam, infernorum ſuppliciorum acerbitatem grauitatemque, ac diuinam juſtitiam ſeueriſſime omnia caſtigantem, ob oculos ponẽt. Quid? inquient, ob vnicum Adami peccatum, Deus totam eius poſteritatem caſtigauit, ob crimen vnum vniuerſum terrarum orbem diluuio perdidit, vnam ob noxam quinque ciuitates incendio & ſulphureo imbre deſtruxit, ob vnum flagitium ſummus ille vindex proprio non pepercit filio: & tu ſcelerate, impie, & ſacrilege peccator, de mille criminibus conuicte, quique non niſi mera es iniquitas,

quitas, veniam & miſericordiam exſpectabis? Deum tunc tibi propitium futurum ſperas? benignitatis eius tibi ſinum patere putas? Erras, erras, noli in miſericordia eius ſtultè confidere, qui eius iuſtitiam non formidaſti: neque enim: Miſericordiam meretur conſequi: qui iuſtitiam, dum viueret, non expauit. Ecce torrentes, ecce deſperatio, ecce peccata quæ manifeſtantur, quam verum igitur Prophetæ oraculum eſt dicentis, *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me*: quod varijs iam hiſtoriis exempliſque demonſtrabo. *Pſal. 17.*

Ioannes Climacus, auctor irrefragabilis, de religioſo quodam, cui nomen Stephanus, ſcribit rem plane horrendam, hic cum XL. annos in deſerto commoratus eſſet, magnaque inedia ac pœnitentia corpus maceraſſet, ita vt magni apud omnes eſſet nominis, & iam ad vltimum vitæ terminũ veniſſet, vehementer à diabolo tentatus fuit: cui cum ille varia obiiceret, ipſeque ad ſingula reſponderet, ab aſtantibus hæ voces interdum audiebantur: Concedo, ſed tot annorum ieiunio id ipſum elui. Deinde, Verum eſt, ſed humili id confeſſione deleui, atque eius ſupra modum me olim pœnituit. Mox, Ita eſt, fateor, feci, ſed tanto tempore pro eo pœnitentiam egi. Denique cum tentationes inualeſcerent, atque ille nihil, quod replicaret, haberet; oculis & corde ad Deum ſublato, lachrymabundus ac gemibundus ait; veriſſimum eſt, reus ſum, quid replicem neſcio, niſi ſummam eſſe Dei miſericordiam, inque eius me benignitate omnem ſpem ponere. O torrentes, ô tentationes, ô veriſſimum prophetæ Oraculum! *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me*. *Pſal. 17.*

Idem de alio quodam anachoreta ſimile quid refert. Hic cum morti vicinus eſſet, ac diabolos lecto circumaſſiſtentes videret, eorumq; iam impetus diutius ſuſtinuiſſet, iterum deinde conualuit, ſed in tantum repente mutatus eſt, vt toto vitæ tempore nullum amplius deinde videre voluerit, aut cuiquã vel verbum loqui, ſeſeque anguſtæ cellulæ velut ergaſtulo cuidam includens, duodecim ipſos annos ſolo pane & frigida contentus, aſſidue lachrymando, pœnitentiamque agendo, & mortis tempus operiendo dixerit. Quid? horrenda hæc exempla, terribiles illæ hiſtoriæ an non vos percellent peccatores? ſi tot ſancti & generoſi bellatores in tantum horam hanc formidarint: dæmonum aſpectum ita expauerint: quid vos agetis, quod iter inſiſtetis, quo vos conferetis? quomodo vos à periculo, tot malis & piaculis commiſſis, tot criminum rei, immunes præſtabitis: Hic nempe videbitis torrentes, malorum oceanos, ac ſcelerum diluuia. Expertus id erat qui dicebat, *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me*. *Pſal. 17.* Exclamem igitur merito, ô horam inter omnes horas metuendam?

Chriſtus animam Deo Patri in agone commendauit.

Et profecto hora hæc adeo terribilis & formidabilis eſt, vt ipſe Dei filius Chriſtus, eiuſdem diſcrimine perſpecto, in medio crucis, atq; in mortis limine conſtitutus, quamuis metuendi nulla ſubeſſet occaſio (quippe qui de eorum erat numero, de quibus ſcriptum eſt, *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor*, *Pſal. 15.*) timere nihilominus voluerit, & præ timore, velut viſo hoſte in inſidijs tunc poſito, ad patrem clamarit. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, *Pſal. 30.* perinde ac ſi dixiſſet, Aduenit iam pater vltima vitæ meæ hora, eaque omnium horarum periculoſiſſima, qua nimirum anima corpore egrediens in alterum mundum profectionem inſtituat: quamobrem eandem tibi ſerio & ex animo commendo, inque manus tuas conſigno: Sis igitur tutor, protector ac defenſor eius, illiuſque in perplexa & difficili hac nauigatione director. Expertus id videbatur Dauid rex cum in Chriſti perſona diceret, *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam: ſalua me ex ore leonis.* *Iſai. 11.* An non igitur hora hæc formidabilis eſt & metuenda? Audiamus ſanctorum Patrum de eadem iudicium.

Catholicorum Anglorum decus Anſelmus, Cantuarienſium Epiſcopus, qui anno Domini M. LXVI. ſub Henrico IV. Rege floruit, ita animæ egredientis ſtatum deſcribit, *Anima, dum de corpore exit, mox inimici eius maligni ſpiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum, ſicut canes leporem proſecuti ſunt, crudeliter adſunt, parati quaſi pa-*

Digitized by Google

nam rapere, & in mortem æternam præcipitare. Galliæ noſtræ columen Bernardus & Religioſorum flos, horæ huius pericula magis
Lib. de inter. domo c. 38 & Hugo de S. Vict. lib. 3. c. 23. adhuc exaggerat: *Conſidera quomodo morieris, quando graui aliqua infirmitate vexatus & ad extrema deductus, & ibi ad terram deiectus, inter longa ſuſpiria & difficiles ſingultus, inter diuerſos dolores, & timores animam exſpirabis, tunc veniet corpus in pallorem, in horrorem, & fœtorem, animam vero mox capient Laruales illæ facies, & ex omni parte terrebunt eam dæmones terribiles & horribiles: cogita quis illum defendet, quis conſolabitur illam, quis deducet per ignotam regionem?* O verba quæ cordi etiam ferreo & adamantino timorem incutiant! Horreſco referens. Bene igitur de anima in miſero illo ſtatu conſtituta dicere poſſumus, quod olim in Hieroſolyma deſerta deplorauit Iere-
Thren. 1. mias, *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris eius.* omnes eius amici, quos olim illa perdite dilexit, caro nimirum, mundus, aliique plures, dæmonum eam poteſtati traditam deſerent. Hanc igitur horam non metues a-
Pſal. 7. nima, & nonne merito dixit Pſaltes? *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.*

Et merito ille doloribus dici poteſt circumdatus, qui ſe in extremo hoc diſcrimine conſtitutum animaduertit, qui ſe hic nudum, ab omnibus derelictum, omni denudatum præſidio, morbis fractũ, exſanguem, exſuccum, emedullatum, lecto affixum videt, qui mortis in ſe præludia experitur, genas nimium concidentes, comas ſubrectas, linguam nigricantem, & candelam ſacram manu iam tenet, mortis ictum iamiam operiens; & qui omnia prioris vitæ peccata apertiſſime ante oculos cernit, ac dæmonum cateruis ſe circumuallatum intuetur. Dic mihi, obſecro, anima, cum in huiuſmodi te ſtatu conſtitutam cernes, quid factura es, quo te vertes, quo horrore concutieris, quo te conferes? Ad mundum redire? non licebit: progredi vlterius? horrendum eſt: in eodem ſtatu permanere? non poteris. Quid igitur agas potius, quam cum regio Propheta clamare, *Circumdederunt me, &c.*

Huc non parum conducere videbitur quod in Geneſi de Iſaac legimus. Annon obſeruaſtis ô ſacrarum litterarum ſtudioſi, quo in angore Iſaac fuerit, cum pater eum ſuper lignorum ſtrue colligatum teneret, DEO iamiam victimam offerendum, ipſeque ſtrictum gladium ſuis imminentem ceruicibus cerneret. Quocumque enim ſe verteret, tremendi aderat occaſio: ſupra namque nudatum mucronem, inferne ignem videbat inualeſcentem, qui in cineres eum debebat redigere: nemo ad latus aderat qui ferret ſuppetias, omnique prorſus præſidio erat deſtitutus: ſerui enim qui paternis eum manibus eripere potuiſſent, ad montis radicem remanſerant. Pedes adhæc & manus vinculis cõſtrictæ erant, ita vt nulla euadendi, aut ſeſe aduerſus patrem defendendi ſpes ſupereſſet. Ecquo eum inquam timore correptum putatis, cum in hoc rerum ſtatu verſaretur? At maior profecto eſſe debet angor animæ in mortis articulo conſtitutæ, cum in ſimiles, atque etiam longe maiores, ſe redactam videt anguſtias. Corpus enim ſexcentis morbis & cruciatibus velut vinculis quibuſdam in lecto vinctum iacebit, & in quodcumque oculos latus cõuerterit, nihil inueniet quod non ingentem terrorem incuſſurum ſit. Si enim ſurſum reſpiciat, videbit vindicem illum diuinæ iuſtitiæ gladiũ, ſi deorſum, cernet ſepulchrum patens, à latere habebit dæmonum cateruas, manus ad hæc & pedes ſtrictiſſime ligatos ſentiet; neque enim tunc de pœnitẽtia agenda, de bonis operibus, deque promerẽdo ſermo erit: inſuper quod omnium miſerrimũ eſt, ipſi cælites, qui ſuppetias ferre & auxiliari poſſent, procul aberunt, nec adeſſe quidem dignabuntur, quieti nimirum in montib. illis æternis manentes.
Audi anima: *ipſi in diluuio aquarum multarũ.* Pſal. 131.
in diluuio inquam calamitatum, & miſeria-
rum, *ad te non approximabunt,* vt ſuis te apud Gen. 6.7.8.
Deum interceſſionibus ac precibus, vti olim quidem fecere, adiuuent.

Cum Noachi caſum propius intueor, ſæpe mecum tacitus demiratus ſum, qua in anguſtia pius ille Patriarcha, cum diluuij minas & rabiem ante oculos cerneret, verſaretur. An non enim merito timeat, qui ligneæ arcæ incluſus inter animalia ferociſſima, humanoque cruore paſci ſolita commoratur, cœlo ad-

Digitized by Google

lo adhæc imbrem continuo magna in abundantia emittente, terra vero ſub diluuio gemiſcente, ipſe nonniſi duobus à morte digitis remotus? At longe maior mihi vniuſcuiuſque videtur timor ſub vitæ finem inq; mortis articulo futurus: neque enim tunc aliter anima corpori huic mortali incluſa erit, quam Arcæ Noachus, ſentiet namq; ſurſum cælum iratum, quod varias ob varia peccata minas intentabit: deorſum infirmitatũ: dolorum ac ſuſpiriorum diluuium, in quo illa iactabitur, ita vt merito dicere queat: *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos* A latere plurimæ adſtabunt belluæ, & furiæ, varijinquam, diaboli, qui ſeptis eius inſidientur, circumeuntes quomodo incluſam animam deuorẽt. O horam fatalem! horam doloribus refertam, horam quam omnes mature velim perpẽdere: Ita namq; fiet, vt à peccando abſtineant, conſiliumque Sapientis ſequantur, dicentis: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Horam, inquã, qua nulla inter omnes vitæ noſtræ horas eſt periculoſior, hora, in qua omnes prauos affectus exuendo, omnibuſq; negotiis valedicendo, cum Propheta dicendum eſt, *Conuertere anima mea in requiẽ tuam, quia Dominus benefecit tibi*: conuertere, inquam, à mundo à creaturis in Deum, in æternam illam requiem, in quam, diſponente ita Domino, rapieris: quamobrem enixe ab eodem poſtula, vt te in ſuprema illa lucta egredientem benigne ſuſcipiat.

Pſal.92. *Eccleſ.7.* *Pſal.184.*

Agite igitur, Auditores, qui morti huic viuitis obnoxij, & quibus hora hæc aliquando eueniet, eiuſdem nolite obliuiſci: at cogitate vobiſcum, quot mortem dolores comitentur, quot ei mala adhæreſcant, quot ei pericula & diſcrimina annexa ſint, ac præſertim morti eorum qui variis Deum peccatis ad iracundiam prouocarunt, de quibus Pſalmographus locutus ait: *Mors peccatorum peſſima:* quod explicans Bernardus dicit: *Mala quidem in mundi amiſſione, peior in earum ſeparatione, peſſima in vermis igniuque duplici contritione.* Hæc igitur in mentem reuocate, hęc nunquam vobis excidant, & ita in æternum non peccabitis.

Pſal.35.

Et ſane, ô Domine Ieſu Chriſte, hominum Redemptor, dignum & iuſtum eſt, ne dicam neceſſarium, vnicam hanc de ſuprema hora cogitationem cæteris cogitationibus anteponere, vt ita cruciatus, anguſtias & tormenta, quæ in illa potiſſimum inualeſcent, perſpecta & cognita habeamus. Illa nimirum eſt hora, poſtquam alia nulla eſt, hora doloribus ac lamentis referta, hora lachrymas ac ſuſpiria producens, hora, in qua præter aculeos quos morbi infligent, tentationes quibus nos dæmones infeſtabunt, ſuſpiria quæ à doloribus proficiſcentur, mundus quoque nos oppugnabit: erit namque tunc graue, opes, delicias, amicos, honores & dignitates in æternum deſerere. Quanti igitur momenti eſt huius horæ meminiſſe, cum hæc hora ſit, in qua nos inimici & quidem armati prſtolantur: in qua omnem induſtriam, verſutiam, artes quoque omnes diaboli ad nos oppugnandos adhibebunt, cum hæc denique hora ſit, in qua pleniſſime anima ſciet, quod præmium acceptura ſit, vel quæ tormenta perpeſſura, hora, inquam, qua vel plenam victoriã obtinebit, vel totum, quod hactenus lucrata eſt, amittet: vincenti autem merces quædam regia, id eſt, vita æterna, velut in pignus propoſita eſt, qua nulla maior aut excellentior haberi queat, qua nos beent Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, AMEN.

Digitized by Google

SABBATO.

MORTEM HAVD QVAQVAM ESſe metuendam.

Partitio.

1. *Ignaui mortem metuunt.*
2. *Mors non eſt metuenda.*
3. *Mors nobis beneficium præſtat.*
4. *Bona eſt & bonum.*
5. *De morte ſibi gratulandum eſſe.*

Memorate nouiſſima tua, *& imprimis mortem, quamq; illa piis vtilitatem afferat,* & in æternum non peccabis. *Eccleſ. 7.*

FIGVRA.

Dan. 3. TRes illi iuuenes Hebræi, Sidrach, Miſach & Abednego, ob vnius veri Dei cultum in fornacem æſtuantem iuſſu Nabuchodonoſoris in Chaldæa coniecti, cuius flamma quadraginta nouem cubitis fornace ſuperegrediebatur, mortem irridentes, eiusq; arma, vires ac potentiam explodentes, veluti ad hilaritatem compoſito, atque animo in omnibus tormentis conſtantiſſimo, iucundiſſimum Deo canticum canere cœperunt: atque inſtar cygnorum, qui dum mortem præſentiunt, canere ſolent, quo magis bellatricis huius minas exſibilarent, in medijs flammis, omnes omnino creaturas, vt ſibi morientibus applauderent, & laudum canticum ac iubilum Domino velut carmen funebre concinerent, inuitarunt. Cum hiſtoriæ huius nucleum aperio, video illa nobis inſinuari; crudelem illam Parcam, quam mortem nominamus, nulla eſſe ratione metuendam, nec eam remis velisque dum irruit, fugiendam, ſed inſtar cygnorum nobis potius cantandum, & ad horum iuuenum imitationem, cum fores illa pulſat, nosque coram diuino tribunali citat, gaudendum. Neque enim illa ex ſe timenda eſt, cum omnium malorum finis ſit, & portus per quem ad æternam fœlicitatem aditus datur, cum illa modicis nos bonis deſpoliando, vere diuites & beatos efficiat: captiuitatis & miſeriæ loco educat, vt ita in libertatem aſſerat, inq; Paradiſum voluptatis ac regium nos palatium tranſuehat. Erit hoc ſubiectum præſentis concionis, quam vt Spiritus S. efficaci ſua gratia promouere, ac Deipara, patrona noſtra, interceſſionib. apud filium dirigere dignentur, ſalutationem Angelicam omnes in genua procumbentes recitemus.

AVE MARIA.

I. Interrogatus olim Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, vndenam tantum honorem & gloriam adeptus eſſet, reſpondit, mortis eam contemptui conſtantiæque ſuæ potiſſimum aſcribendam. An iocans id dixerit, an vere ita ſenſerit, equidem neſcio, ſed hoc certiſſimum eſt, nihil eſſe quod maiorem animæ Chriſtiani hominis honorem, gloriam, commendationemq; afferat, quã mortis contemptus, ac nihil quod maiorem infamiam vel dedecus, quam eandem metuere, aut ad eiuſdem recordationem percelli, ſi enim degeneres animos timor arguit, mortis timor id imprimis facere iudicandus eſt, & eius econtra contemptus heroicæ conſtantiæ magnanimitatiſque eſſe indicium. *Plut. in Apophtheg. Lacon.*

Hinc apud Græcos lege cautum erat, vt quicunque præ metu mortis prælio ſe ſubduxiſſent, triduo publice in veſte muliebri, omnium riſui & ſannis exponerentur, vt ita oſtenderent, effæminati prorſus ac degeneris animi eſſe, mortem ſubterfugere, cum nonniſi fragili nos vita priuet. Multo quoq; in hac re ſeueriores erant Romani: nam quicunque apud eos terga vertiſſet, aut è prælio fugiſſet, morte turpiſſima tanquam inglorius mulctabatur. Hinc Iulianum Imper. refert Marcellinus decẽ è militibus ſuis morte dignos iudicaſſe, quod in prælio cum Parthis, præ mortis formidine, hoſti terga vertiſſent. Lex Græcorum aduerſus eos qui prælio ſe ſubduxerant.

Ex his gentilium inſtitutis colligi poteſt, Auditores, quantam ſibi infamiam ac ſupplicium accerſant Chriſtiani, dum iam inde à

baptiſmo

Digitized by Google

baptiſmo in vitæ huius militiam, vti eam Iob appellauit, aſſcripti, omnibus in prælijs & certaminibus, quæ cum inimicis, mundo, carne & diabolo ſubeunda ſunt, expaueſcunt, ſeſeque, ſtatim ac mors vires exerit, victos fatentur. O degeneres & imbelles! *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* *Iob. 7.* *Pſal. 13.*

Ipſi quin etiam veteres, apud quos ſola naturę lex in vſu erat, cum omnibus in rebus, ad ingentem noſtri confuſionem mirabiles extiterunt, tum in morte contemnenda palmam tulere. Video namq; apud Romanos Licinium Dentatum, qui magnanimitate leonẽ, robore Herculem ſuperauit, quadraginta quinque aduerſariorum vulnerum cicatrices, & ne vnius quidem auerſi, geſtaſſe, vnde colligere licebat, numquam eum mortis metu turpi ſibi fuga conſuluiſſe. Iulius Cæſar mortem quoque contempſit, vt qui maxime, & admirabilem quandam omnibus in prælijs conſtantiam magnanimitatemque demonſtrauit. Cum enim quodam tempore valida tempeſtate concuteretur, omneſque qui vna nauigabant, mortem velut jamjam imminentem metuerent, nauclerus quin etiam expalleſceret, ſolus ipſe ſibi confidens, & conſtans, mortemque contemnens, nauclero illuſit, dicens: *Quid times? Cæſarem defers, & fortunam eius.* Cæſarem, inquam, qui fluctibus imperat, in tempeſtatibus tranquillus eſt, & in morte, quam cæteri horrent, non exhorreſcit. Hoc ſcilicet conſtantis, generoſi ac validi animi indicium eſt, non vero degeneris & effœminati. *Val. Max.* *Plinius.* *Suetonius.*

Interrogatus olim quidam, eſſene mallet Crœſus opibus pollens, an Socrates doctrina & ſapiẽtia apud omnes notiſſimus, reſpondit: *In vita Crœſus, ſed in morte Socrates.* Id eſt, In vita opes & regiam potentiam habere, eſſe quidem volupe ac jucundum, ſed non minus glorioſum & honeſtum, in morte Socrati ſimilem exiſtere, qui ſcilicet magna cum voluptate ſummaque lætitia ex hac vita migrauit, nec mortis vnquam jacula exhorruit.

Erat hoc & inter Stoicorum axiomata vulgatiſſimum: Hominem conſtantem, ſapientem, cordatum, ac virtute præditum, inſtar vmbonis & clypei cuiuſdam impenetrabilis eſſe debere, vt omnes fortunæ ictus omnemque mortis impetum non cedẽdo excipiat: adeo vt quicunque inter eos mortem metueret, quæ ipſos potius Philoſophos timere deberet, ſapiens & cordatus minime haberetur. Et eſt profecto euidens ignauiæ & ſtolidæ imbecillitatis argumentum, pallere & expaueſcere in eo, quod omnibus hominibus commune ſit, & a quo ipſi paruuli, lactantes, & nondum fari incipientes minime immunes exiſtant; & hunc conflictum horreſcere, quem omnes qui hactenus vixerunt, ſuſtinuere, quique poſt nos futuri ſunt ſuſtinebunt, ſtatutum namque omnibus hominibus ſemel mori, & vt Poeta canit: *Calcanda ſemel lethi via, ſiue Reges ſiue inopes erimus coloni.* *Veteris cuiuſdam Apophth.*

Stultum deinde eſt metuere, quod nulla arte aut induſtria poteſt euitari, quodque omnium actionum negotiorumque vltimum eſt (mors enim vltima linea rerum:) quod generalis omnium debitorum noſtrorum apocha eſt; & quod hominibus non ex ſupplicio, ſed ex natura ipſa, inhæreſcit. Quid eſt enim, quod mortem tantopere formidemus, cum vitæ huius ſtadium ingreſſi ſumus, vt eodem mox etiam egrediamur, & cum vita hæc nonniſi mutuo nobis data ſit, quæ ſuo tandem tẽpore ei à quo eam mutuati ſumus, reddenda eſt, & creditorem ad hæc habeamus, quem fracta ſolutione eludere, aut fallere non poſſimus, & cum vita hæc noſtra nonniſi iter quoddam ſit, & peregrinatio, in qua cum lõgius profecti ſumus, & jam aliquot ſtadia cõfecimus, tandem quieſcendum eſt, & ad dormiendum locus deligendus: & ſane temerarium videatur, vltimum hunc diſceſſum timere, cum nonniſi per mortem in patriam noſtram, ad quam toties anhelauimus, reuerti datur, his nimirum præcurrentib. illis mox ſubſequentibus, adeo vt omnes tandem ſedem veniamus ad vnam. *Seneca Epiſt. ad Gallion.*

At ſi mihi credere velitis, Auditores, non exiſtimo mortem tantopere fugiendam eſſe, at inertem eum potius & imbellem nuncupabo, qui eiuſdem impetus horret, cum ipſa non niſi inane quoddam terriculamentum ſit. Quid vtilitatis mors adferat.

ſit arboribus appendi ſolitum, quo aues, non autem homines terreantur, ipſa quidem primo aſpectu formidanda, & terribilis videtur, ſed magnam deinde conſolationem adfert & voluptatem, initio quidem grauis & moleſta, at qui propius eam intuetur, eiuſque felicitatem examinat, dulcem illam, jucundam ac lętam iudicabit: aliquam quidem moleſtiam parit & malum, ſed maiorem vtilitatem ſolet refundere: vitam quidem fragilem & momẽtaneam aufert, at æternam ſemperque duraturam retribuit: corpus quidem putridum & corruptibile deſtruit, at nouum quoddam & immortale eiuſdem loco reddit: ex hoc quidem mundo, qui vere locus miſeriarum eſt ac terra exilij, nos abripit, at in alium qui deliciis & voluptatibus redundet, nos transfert: grauis denique eſt aliquot horarum ſpatio, ſed ad æterna nos gaudia translatos infinitis mox cumulat deliciis & voluptatibus. Vere igitur felicem & cunctis votis exoptandam appellare te debeo mors, dum vnicâ tui memoriam ad veram animæ conſolationem aſſerendam, noſque à peccatis auocandos ſufficere putauit Eccleſiaſticus; ait enim: *Recordare nouiſſima tua,* & pręſertim mortem quotquot bona ſecum trahat, quot nobis commoda afferat, *& in æternum non peccabis.* De his hodiernam concionem inſtituam, quam in duas diſtribuam partes, prima oſtendam mortem nulla eſſeratione metuendam, & altera, eam è contra potius votis omnibus deſiderandam: quod ſi pro dignitate præſtiterimus, luculentum mihi de morte triumphum videbor retuliſſe.

Eccl. 7.

II. Principio igitur, quotquot ſuperioribus ſæculis vixere, & quid mors eſſet, optime perſpectum habuere, ſtultum putauerunt eandem perhorreſcere. Vnde & magnus ille Mediolanenſium Præſul Ambroſius: *Mors non eſt metuenda fortibus, eſt deſideranda ſapientibus, & miſeris expetenda*: quod ipſe Philoſophorum Sophus Socrates reipſa in ſe oſtendit: cum enim ei denuntiatum eſſet, ab Athenienſibus ſe morti addictum eſſe, infracto animo, & vultu in hilaritatem prono reſpondit, Athenienſes ſi morti me adiudicarunt, illos natura longe prius. O generoſitatem nunquam auditam! ô propoſitum vere conſtans & heroicum! Sed audite quid aliud.

Lib. 5. ſuper Lucam.

Socratis conſtantia.

Theramenes cum coniectus in carcerem juſſu triginta tyrannorum venenum vt ſitiens ebibiſſet, reliquum ſic è poculo eiecit, vt id reſonaret. Quo ſonitu reddito, Propino, inquit, hoc poculo Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Luſit vir egregius extremo ſpiritu cum jam præcordiis conceptam mortem contineret. Et Lacedæmonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum eſt, mortem quoque non minus quam ſuperior ille contempſit, cum enim ad eam duceretur damnatus ab Ephoris, & eſſet vultu hilari atque læto, dixiſſetque ei quidam inimicus, Contemniſne leges Lycurgi, reſpondit: Ego vero illi maximam gratiam habeo, quod me ea pœna multauerit, quam ſine mutatione & ſine verſura poſſum diſſoluere. Ecce non metuebant illi mortem, ſed pluris honeſte occumbere, quam ærumnoſam vitam trahere exiſtimabant. Hæc quidem apud Ethnicos. Chriſtianorum jam aliquot exemplo depromam.

Cic in Tuſc.

Marulus cum veterum Patrum in morte expugnanda conſtantiam deſcriberet, qua nimirum eam, inſtar Dauidis inermes, non ſecus atque ille ſpurium Philiſtæum, proſtrauerunt, ita de Hilarione Abbate narrat: hic cum in latrones incidiſſet, qui ſtrictis gladiis mortem illi interminarentur, in medijs periculis hilaritatem quandam inſolitam demonſtrauit, adeo vt nec vultum in metum, nec minas contraxerit, quin etiam percuſſus riſerit. Quod cum ſicarij illi perſpexiſſent, eumque interrogaſſent, num mortem exhorreſceret, reſpondit: *Mortem non timet, qui ſemper mori paratus eſt.* Egregia profecto conſtantia, cui ſimilia exempla ſubnectam.

Li. 5. exempl.

Ruffinus Presbyter, S. Hieronymi æqualis, & in Hiſtoria conſcribenda percelebris, ſcribit Macarium Alexandrinum Anachoretam mortis ſemper meminiſſe, eiuſque impetus ita contemnere ſolitum, vt nec ipſos dęmones, aut quidquid mortem inferre poſſet, metueret. Adeo vt, cum quodam tempore in

In vitis Pa[...]

Digitized by Google

te in media ſolitudine à nocte oppreſſus eſſet, & in deſerto aliquo ſepulchro ſeſe ad dormiendum compoſuiſſet: & diabolus ſtatim circumcirca fremere, ingentem tumultum excitare, oſſaque mortuorum inter ſe collidere cepiſſet, quo metum ei aliquem incuteret, nunquam ſomnum eius impedire, aut animum formidine percellere potuerit.

Palladius in vitis Patr. De S. Philotomo Sacerdote è Galatia oriundo refert Palladius, tanta eum aduerſus mortis impetum animi fortitudine præditum fuiſſe, vt ſex annorum ſpatio nonniſi in buſtuarijs & cœmiterijs commoratus ſit, inter mortuos ſcilicet aſſidue viuens, mortem tamen non perhorreſcens.

Hæc nempe ſunt generoſi pectoris, & maſculi animi argumenta. hæ ſunt illuſtres animæ, & audacia quadam Chriſtiana nobiles, nos vero Therſitæ, ignobiles & puſillanimes ad primam mortis mentionem contremiſcimus. Saul rex initio quidem audax fuit, & Rhodomontæa quadam temeritate: at quãprimum vt defuncti vmbram & mortis imaginem conſpexit, adeo perculſus & conſternatus fuit, vt amiſſis virib. & exanimis, porrectus in terram corruerit. *1. Reg 28.* Regi huic omnes eſſe videmur perſimiles, Auditores, Cæſares quidem aut Rolandi furioſi, interea dum valentes ſumus & viuimus, dici volumus: ſed mox vt mortis mentio incidit, animo deficimus, & non ſecus atq; ad triſte aliquod infortunium ſubito expalleſcimus. Itaq; fit vt metuamus, quod reuera non ſit timendum, & terreamur, in quo potius ſecuri ac metus expertes eſſe deberemus.

Simile. Solent pueri; qui judicio adhuc carent, nec vnum altero norunt diſcernere, cum laruatos quoſdam vident, ſubito terreri, at ille ſtatim pauor euaneſcit, mox vt laruæ deponuntur. Pueris hiſce ſimiles nos ſimus, nam cum oculos in mortem, quæ crucibus, tormentis, rotis, eculeis, morbis, ſuppliciis, velut larua quadam obducta eſt, conijcimus, ſubito conſternamur, horremus, exalbeſcimus: at ſi depoſita larua propius eandem intueamur, eius vultum penitius inſpiciamus, naturamque illius examinemus, ſtatuemus profecto, nihil eandem habere, quod magnopere metuendum ſit.

Apoſtoli, vt in Marco legimus, cum Genezareth mare nauigarent, *Cap. 6.* quod haud procul a Galilæa abeſt, tempeſtate agitati, Chriſtum Dominum, qui ſuppetias laturus aduenerat, præ metu videre non potuere: *timuerunt omnes, & putabant ſe phantaſma videre: excæcatum enim erat cor eorum.* Quid hoc eſt Deus bone? quodnam hic latet myſterium? Ecce Apoſtoli tremunt & tempeſtatem patiuntur, Chriſtus auxiliaturus accedit, & tamen ita cõcutiuntur, itaque excæcati ſunt, vt ipſam vitã phantaſma eſſe arbitrentur. Sed, vt bene notauit Euangeliſta, tempeſtate jam finita pedemq; in terra ponentes ſtatim eum in littore ſtantem agnouerunt. Ita quoq; nobiſcum agitur Chriſtiani. Sumus enim omnes velut nautæ in procelloſo hoc mundi pelago nauigantes, idque toto vitæ noſtræ tempore in quo varijs tempeſtatibus quatimur, è quibus dum nos mors eripere, & procellas ſiſtere conatur, timere incipimus, putamuſq; eam monſtrum quoddam immane eſſe aut chimæram: adeo vt præ mentis cæcitate agnoſcere non valeamus, quantam illa nobis vtilitatem afferre queat; donec abſoluta jam vitæ huius nauigatione, & alterius mundi portum aſſecuti, facile perſpicimus, illud ipſum quod prius mortem nũcupabamus, vitam potius appellandam eſſe. Quod ipſi etiam Ethnici cenſuerunt.

Menander enim Comicus, cum quid ſit mors attentius perpenderet, eique falſam crudelitatis aſcititiæ laruam detraheret, eam voluptatis ac deliciarum loco potius habendam vult, ait namque: *Veterum de morte ſententiæ.* *Quid timetis mortem, quietis genitricem?* Saluſtius idipſum ſoluta oratione propemodum extulit. *Mortem omniũ ærumnarum requiem cruciatum eſſe dico.* Quid autem tibi videtur M. Tulli? ſymbolum tuum etiam profer, *Mors eſt portus malorum, perfugium ærumnoſæ vitæ, effugium miſeriarũ.* Ethnicorum teſtimonia ſufficiunt, noſtros etiam teſtes audiamus.

Luculentiora porro epitheta ei tribuit *Tuſ. 1.* Auguſt. ait enim, *Mors eſt relictio corporis, depoſitio ſarcinæ grauis.* E quib. verbis varii mihi

Digitized by Google

Inſignes conceptus.

naſcuntur conceptus. Dico itaque primo, mortem vere appellari poſſe ſequeſtrum: ſequeſter enim cum duos ſtrictis inter ſe mucronibus cernit concurrere, eos à ſe inuicem diuellere conatur vt eos ad pacem deinde cōpellat ineundam, amicitiamque inter vtrumque conciliet. Ita quoq; & mors: videns enim corpus & animam ſemper inter ſe digladiari, & vnum alterius perniciem moliri, nullamq; inter vtrumque, quamdiu ſemel agunt, pacem poſſe coaleſcere (*Caro* enim teſte Apoſtolo *concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*) eadem ad tempus à ſe inuicem disiungit, exſpectans donec ambo ſimul iterum coniungantur, & æterna pariter beatitudine donentur, in qua nunquam amplius inter ſe contendent, ſed perpetua pace fruentur. Vnde bene dixit Auguſtinus, *Mors eſt relictio corporis.*

Gal. 5.

III. Imitatur quin etiam magnum quendam principem, qui, præ ea qua præditus eſt liberalitate, ſi quem è ſubditis graui ære alieno oppreſſum videat, vſuram & fœnus debiti eius loco diſſoluit, vtque ſuum erga illum affectum, liberalitatemque apertius adhuc demonſtraret, debitum etiam principale ſoluēdū in ſe ſuſcipit, vt ita miſer ille ſimul & à debito, & à fœnore immunis exiſtat. Non ſecus ipſa mors, quæ vnico nos memento omnib. quibus naturæ obſtricti ſumus debitis eximit ac liberat. Et ſane quis noſtrum eſt, qui non grauibus jam inde à vitæ primordio debitis grauetur? corpus enim debemus terræ quod mutuo ab eadem ſumpſimus, animam vero Deo, quam ille nobis elargitus eſt: hoc porro debito nihil certius aut validius eſt. Ac propter hoc ipſum tot vſuræ fœnoraque ſoluenda ſunt, propter corpus namque ſuſtinemus famem, ſitim, dolores, morbos, ægritudines, & ſupplicia; Deum immortalem ecquæ fœnora! Propter animam autem varias anxietates, curas ſollicitudines, & ingentem inquietudinem. Ecquæ vſuræ! At mors inſtar opulenti & munifici Principis, vnico has omnes momento diſſoluit: ac præter hęc debitum etiam principale & capitale (vt vocant) aufert, quando animam ſuo reddit creatori, qui eandem credito dedit, corpus vero terræ veteri illi fœneratrici, itaq; mors in libertatem nos aſſerit, vitæque melioris ac jucundioris adipiſcendæ ſpem ſuggerit.

Prudens quidam paterfamilias, dum ædes ſuas ruinam videt minari, tecto ſcilicet in caſum prominente, fundamentis conuulſis, parietibus laborantibus, inhabitantes admonet, vt in tempore egrediantur. Illis porro egreſſis ædes illas ſolo tenus demolitur, aliaſque & ſplendidiores & pulchriores à fundamentis, è prioribus ruderibus, exædificat. Hoc imitatur & mors: cernens namque corpus hoc, (quod animæ domicilium ac receptaculum eſt & cuius fundamentum ſunt, pedes; oſſa, ligna; caro cæmentum: venter, ſtomachus, cerebrum venæque permeantes, varia velut cubicula, os janua, oculi, feneſtræ) collabeſcere, & in ruinam, tum ſenio, tum ingruentium morborum violentia, aliiſque innumeris caſibus vergere, animam quæ tanto idipſum tempore incoluit, egredi jubet, atque ita illud mox deſtruit, vt aliud multo deinde elegantius ac magnificentius, in vniuerſali nempe judicio, efformet. Hinc Paulus. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ*, & alibi, *ſeminatur in corruptione, ſurget autem in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria* Eumque ſecutus quam proxime Auguſtinus, iuxta propoſitum noſtrum, *Mors eſt relictio corporis.*

Phil. 3.

1. Cor. 15.

Gorgiæ Leontini dictum.

Interrogatus olim Gorgias Leontinus orator, decrepitus jam & ſenio grauatus, nū mortem æquo animo ferret, ſi ex hac vita euocaretur, ait, *Ex putri & defluente domuncula non inuitus diſcedo.* Quibus verbis nihil aliud innuere volebat, quam vnicam mortem eſſe, quæ animam corpore, cui velut carceri incluſa tenebantur, eductam, in veram libertatem aſſerat, vt ex verbis illis Auguſtini, *Mors eſt relictio corporis*, etiam elici poteſt: quibus mox addit, *Depoſitio ſarcinæ grauis*: vt doceat, eſſe nimirum illam, quæ nos graui & inſuppottabili ſarcina grauatos exonerat. Omnes enim, quotquot hic vitam carpimus, inſtar jumentorum onuſti incedimus, ac grauiſſimum humeris pondus ſuſtinemus, tot ſcilicet curis premimur, tot anxietatibus, ſollicitudinibus, ærumnis, & miſe-

Digitized by Google

& miſeriis conficimur, iiſque in tantum moleſtiis & grauibus, vt ferendo minime ſimus, ſed ſub mole fatiſcentes deſperemus, & ad terram prolabamur: vt merito propheticum illud vſurpare poſſimus, *ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* At mors noſtri miſerta onus adimit, inque libertatem nos vindicat. Eſt igitur depoſitio ſarcinæ grauis. *Pſal.17.*

Mors Architalaſſo comparatur.

Mors adhæc eſt ſummus omnium mundi huius triremium dux & princeps qui nos in iiſdem vinctos diſſoluit: nam cum captiuitatis noſtrę tempus exſpirauit, vincula noſtra & compedes illa abrumpit, & liberos abire, exilioque eductos in patriam poſtliminio reuerti permittit. Vnde vates regius, mortem allocutus, *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Audio quin etiam huius occaſione clamantem Paulum, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*, id eſt, vbi moraris ô mors; quin vincula mea diſſoluis, ad libertatem anhelo. *Pſal 155.* *Phil.1.*

Item carceris cuſtodi.

Mors præterea eſt verus ille philaciſta & cuſtos carceris, quę mundi huius cuſtodiam carcerem & ergaſtula reſerat, atque omnes captiuos libertate donat. Vnde idem qui ſupra rex, *Educ de cuſtodia animam meam.* Quis igitur veſtrum futurus eſt auditores, qui mortem deinceps formidaturus ſit? quis eam perhorreſcat, cum tantorum nobis illa honorum cauſa exiſtat? quis graue aut moleſtum putabit corpore egredi, quod quotidie ruinam minatur, quod adeo fragile eſt, cuiuſque fundamenta labaſcunt, & quod tandem penitus in terram corruet? Eritne graue mancipio in libertatem aſſeri, exuli in patriam reuerti? in tetro compacto carcere cœli lumen intueri? O igitur cæcas hominum mentes, ô ſtultitiam intolerabilem! *Pſal.141.*

Vitæ breuitas.

Cæterum ſtultum ac propemodum inſanum eſt, mortem metuere, deque illius amaritudine conqueri, cum nonniſi fragili, breui & fugaci illa nos vita priuet, & aditum ad æternam patefaciat. Nam vita hæc merum nihil eſt, ac vix quicquam videtur eſſe, adeo breuis ac fugax eſt: quam breuitatem Scriptura non ſatis videtur poſſe explicare: modo namque eam flori comparat, *Homo ſicut fœnum, dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit.* *Pſal.101.* Hinc Iſaiæ præcepit Dominus, vt in plateis ciuitatis altum inclamaret, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.* *Iſa.40.* Modo vapori comparatur, vt apud Iacobum Apoſtolum, *Quæ eſt enim vita noſtra? vapor eſt ad modicum parens.* *Iac.4.* O vitam fugacem ac miſeram, ô comparationes ſcite expreſſas! Ecce & alias.

Dauid rex eandem fumo luculento è foco egredienti ſimilem eſſe dixit: *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut gramen aruerunt;* *Pſal.101.* fumus, inquam, qui turgidos quoſdam gyros efformet, mox in aere diſſipatus euaneſcat, atque eſſe deſinat. Iob eandem vmbræ fugaci æquiparauit, ita namque Baldad Suhiten loquentem inducit, *Heſterni quippe ſumus: ignoramus quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſuper terram*, item Pſalmographus, *Iob 8.* *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui.* *Pſal 106.* Quæ omnia Iob velut vnum in faſcem compingens, plorando ait: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* *Iob.14.*

O inſolitum loquendi modum! *Fugit velut vmbra?* demonſtrare ſcilicet vult, vitam hanc non niſi meram fugam eſſe. Didicerat id à Dauide Propheta; qui vitæ huius breuitatem deplorans ait, *Deus vitam meam annuntiaui tibi*: vel vt ſeptuaginta vertunt, *Pſal 55.* *Deus fugam meam annuntiaui tibi.* & poſt vtrumque Ioannes Climacus, *Quid aliud vita noſtra quam fuga?* Idipſum & vidit, qui plurima vidit, Seneca: ita namque ad Lucilium ſcribit. *Quidquid vides fugit cum tempore.* Quod cum ſanct. Auguſtinus ſecum cogitaret, vitam hanc deſpiciens, & quodammodo deteſtatus exclamat, *O vita, quæ dum fugis, nihil es; dum exultas, fumus es!* Iob denique ſummatim & paucis omnia perſtringens ait, *Nihil ſunt dies mei* Quamobrem ſi nihil præter metum nihil mors nobis eripiat, *Iob.7.* dum vitam eripit; quid eandem metuimus, fugimus, ac deteſtamur? ſed eſt hæc ſtultitia noſtra. Quin potius eam ardentiſſime deſideramus, & ſummis votis à Deo contendimus, vtpote qua nihil melius aut beatius homi-

Digitized by Google

Inſignes conceptus. naſcuntur conceptus. Dico itaque primo, mortem vere appellari poſſe ſequeſtrum: ſequeſter enim cum duos ſtrictis inter ſe mucronibus cernit concurrere, eos à ſe inuicem diuellere conatur vt eos ad pacem deinde cõpellat ineundam, amicitiamque inter vtrumque conciliet. Ita quoq; & mors: videns enim corpus & animam ſemper inter ſe digladiari, & vnum alterius perniciem moliri, nullamq; inter vtrumque, quamdiu ſemel agunt, pacem poſſe coaleſcere (*Caro* enim teſte Apoſtolo *concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*) eadem ad tempus à ſe inuicem disiungit, exſpectans donec ambo ſimul iterum coniungantur, & æterna pariter beatitudine donentur, in qua nunquam amplius inter ſe contendent, ſed perpetua pace fruentur. Vnde bene dixit Auguſtinus, *Mors eſt relictio corporis.* Gal. 5.

III. Imitatur quin etiam magnum quendam principem, qui, præ ea qua præditus eſt liberalitate, ſi quem è ſubditis graui ære alieno oppreſſum videat, vſuram & fœnus debiti eius loco diſſoluit, vtque ſuum erga illum affectum, liberalitatemque apertius adhuc demonſtraret, debitum etiam principale ſoluẽdũ in ſe ſuſcipit, vt ita miſer ille ſimul & à debito, & à fœnore immunis exiſtat. Non ſecus ipſa mors, quæ vnico nos momento omnib. quibus naturæ obſtricti ſumus debitis eximit ac liberat. Et ſane quis noſtrum eſt, qui non grauibus jam inde à vitæ primordio debitis grauetur? corpus enim debemus terræ quod mutuo ab eadem ſumpſimus, animam vero Deo, quam ille nobis clargitus eſt: hoc porro debito nihil certius aut validius eſt. Ac propter hoc ipſum tot vſuræ fœnoraque ſoluenda ſunt, propter corpus namque ſuſtinemus famem, ſitim, dolores, morbos, ægritudines, & ſupplicia; Deum immortalem ecquæ fœnora! Propter animam autem varias anxietates, curas ſollicitudines, & ingentem inquietudinem. Ecquæ vſuræ! At mors inſtar opulenti & munifici Principis, vnico has omnes momento diſſoluit: ac præter hęc debitum etiam principale & capitale (vt vocant) aufert, quando animam ſuo reddit creatori, qui eandem credito dedit, corpus vero terræ veteri illi fœneratrici, itaq; mors in libertatem nos aſſerit, vitæque melioris ac jucundioris adipiſcendæ ſpem ſuggerit.

Prudens quidam paterfamilias, dum ædes ſuas ruinam videt minari, tecto ſcilicet in caſum prominente, fundamentis conuulſis, parietibus laborantibus, inhabitantes admonet, vt in tempore egrediantur. Illis porro egreſſis ædes illas ſolo tenus demolitur, aliaſque & ſplendidiores & pulchriores à fundamentis, è prioribus ruderibus, exædificat. Hoc imitatur & mors: cernens namque corpus hoc, (quod animæ domicilium ac receptaculum eſt & cuius fundamentum ſunt, pedes; oſſa, ligna; caro cæmentum: venter, ſtomachus, cerebrum venæque permeantes, varia velut cubicula, os janua, oculi, feneſtræ) collabeſcere, & in ruinam, tum ſenio, tum ingruentium morborum violentia, aliiſque innumeris caſibus vergere, animam quæ tanto idipſum tempore incoluit, egredi jubet, atque ita illud mox deſtruit, vt aliud multo deinde elegantius ac magnificentius, in vniuerſali nempe judicio, efformet. Hinc Paulus. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ*, & alibi, *ſeminatur in corruptione, ſurget autem in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria* Eumque ſecutus quam proxime Auguſtinus, iuxta propoſitum noſtrum, *Mors eſt relictio corp. ris.* Phil. 3. 1. Cor. 15.

Gorgiæ Leontini dictum. Interrogatus olim Gorgias Leontinus orator, decrepitus jam & ſenio grauatus, nũ mortem æquo animo ferret, ſi ex hac vita euocaretur, ait, *Ex putri & defluente domuncula non inuitus diſcedo.* Quibus verbis nihil aliud innuere volebat, quam vnicam mortem eſſe, quæ animam corpore, cui velut carceri incluſa tenebantur, eductam, in veram libertatem aſſerat, vt ex verbis illis Auguſtini, *Mors eſt relictio corporis*, etiam elici poteſt: quibus mox addit, *Depoſitio ſarcinæ grauis:* vt doceat, eſſe nimirum illam, quæ nos graui & inſupportabili ſarcina grauatos exonerat. Omnes enim, quotquot hic vitam carpimus, inſtar jumentorum onuſti incedimus, ac grauiſſimum humeris pondus ſuſtinemus, tot ſcilicet curis premimur, tot anxietatibus, ſollicitudinibus, ærumnis, & miſe-

Digitized by Google

& miſeriis conficimur , iiſque in tantum moleſtis & grauibus , vt ferendo minime ſimus , ſed ſub mole fatiſcentes deſperemus , & ad terram prolabamur : vt meri-
Pſal.17. to propheticum illud vſurpare poſſimus, *ſicut onus graue grauata ſunt ſup r me.* At mors noſtri miſerta onus adimit , inque libertatem nos vindicat. Eſt igitur depoſitio ſarcinæ grauis.

Mors Architalaſſo comparatur. Mors adhæc eſt ſummus omnium mundi huius tiremium dux & princeps qui nos in iiſdem vinctos diſſoluit : nam cum captiuitatis noſtrę tempus exſpirauit, vincula noſtra & compedes illa abrumpit, & liberos abire, exilioque eductos in patriam poſtlimi-
Pſal 155. nio reuerti permittit. Vnde vates regius , mortem allocutus , *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Audio quin etiam
Phil.1. huius occaſione clamantem Paulum, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*, id eſt, vbi moraris ô mors; quin vincula mea diſſoluis, ad libertatem anhelo.

Item carceris cuſtodi. Mors præterea eſt verus ille philaciſta & cuſtos carceris, quę mundi huius cuſtodiam carcerem & ergaſtula reſerat , atque omnes captiuos libertate donat. Vnde idem qui ſu-
Pſal.14. pra rex , *Educ de cuſtodia animam meam.* Quis igitur veſtrum futurus eſt auditores , qui mortem deinceps formidaturus ſit ? quis eam perhorreſcat, cum tantorum nobis illa honorum cauſa exiſtat ? quis graue aut moleſtum putabit corpore egredi , quod quotidie ruinam minatur , quod adeo fragile eſt, cuiuſque fundamenta labaſcunt , & quod tandem penitus in terram corruet ?
Vitæ breuitas. Eritne graue mancipio in libertatem aſſeri , exuli in patriam reuerti ? in tetro compacto carcere cœli lumen intueri? O igitur cæcas hominum mentes , ô ſtultitiam intolerabilem!

Cæterum ſtultum ac propemodum inſanum eſt, mortem metuere, deque illius amaritudine conqueri , cum nonniſi fragili, breui & fugaci illa nos vita priuet, & aditum ad æternam patefaciat. Nam vita hæc merum nihil eſt, ac vix quicquam videtur eſſe, adeo breuis ac fugax eſt : quam breuitatem Scriptura non ſatis videtur poſſe explicare : modo namque eam flori comparat, *Homo ſicut*

fœnum , dies eius , tanquam flos agri ſic efflorebit. Pſal.101.
Hinc Iſaiæ præcepit Dominus , vt in plateis ciuitatis altum inclamaret , *Omnis caro fœnum , & omnis gloria eius quaſi flos agri.* Mo- Iſa.40.
do vapori comparatur , vt apud Iacobum Apoſtolum , *Quæ eſt enim vita noſtra? vapor* Iac.4.
eſt ad modicum parens. O vitam fugacem ac miſeram , ô comparationes ſcite expreſſas! Ecce & alias.

Dauid rex eandem fumo luculento è foco egredienti ſimilem eſſe dixit: *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei , & oſſa mea ſicut gramen* Pſal.101.
aruerunt; fumus, inquam, qui turgidos quoſdam gyros efformet , mox in aere diſſipatus euaneſcat , atque eſſe deſinat. Iob eandem vmbræ fugaci æquiparauit, ita namque Baldad Suhiten loquentem inducit , *Heſterni quippe ſumus : ignoramus quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſuper terram* , item Pſalmographus, Iob 8.
Dies mei ſicut vmbra declinauerunt , & ego ſicut Pſal 106.
fœnum arui. Quæ omnia Iob velut vnum in faſcem compingens, plorando ait : *Homo na-* Iob.14.
tus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis , qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra , & nunquam in eodem ſtatu permanet.

O inſolitum loquendi modum ! *Fugit velut vmbra?* demonſtrare ſcilicet vult, vitam hanc non niſi meram fugam eſſe. Didicerat id à Dauide Propheta; qui vitæ huius breuitatem deplorans ait, *Deus vitam meam an-* Pſal 55.
nuntiaui tibi : vel vt ſeptuaginta vertunt , *Deus fugam meam annuntiaui tibi.* & poſt vtrumque Ioannes Climacus, *Quid aliud vita noſtra quam fuga?* Idipſum & vidit, qui plurima vidit , Seneca: ita namque ad Lucilium ſcribit. *Quidquid vides fugit cum tempore.* Quod cum ſanct. Auguſtinus ſecum cogitaret , vitam hanc deſpiciens , & quodammodo deteſtatus exclamat, *O vita, quæ dum fugis, nihil es ; dum exultas, fumus es* ! Iob denique ſummatim & paucis omnia perſtringens ait, *Nihil ſunt dies mei* Quamobrem ſi nihil præter metum nihil mors nobis eripiat, Iob.7.
dum vitam eripit ; quid eandem metuimus , fugimus, ac deteſtamur? ſed eſt hæc ſtultitia noſtra. Quin potius eam ardentiſſime deſideramus , & ſummis votis à Deo contendimus , vtpote qua nihil melius aut beatius

homini in hac vita queat euenire. Atque eſt hoc alterum, quod explicandum ſuſceperamus.

IV. *Plutarch. conſol. ad Apollonium.* Mors donum Dei. *Tuſcul.1.*

Dicendum eſt igitur, mortem, vt materiam hanc auſpicemur, inter ſummas felicitates habendam eſſe, nihilque eadem felicius aut exoptatius ab homine in hac vita deſiderari poſſe. Hinc Bœotios ſcribit Plutarchus, cum Apollinis Delphici oraculum ſciſcitatum miſiſſent; ſcire deſiderantes, quid homini in hac vita feliciſſimum poſſet contingere, aliud à Deo reſponſum non tuliſſe, quam mortem omnium eſſe rerum beatiſſimam, nec vllam præter hanc felicitatem quærendam: quod & paulo ante reipſa demonſtraſſet Agmedes enim & Trophonius architecti præſtantiſſimi, cum Delphicum Deo fanum conſtruxiſſent, & iam ab ipſo operis mercedem petiiſſent, id ſcilicet quod homini in hac vita optimum eſſet, reſponſum accepere, poſt octiduum voti ſe compotes futuros. Sed ſeptimo ambo die morte ex hac vita erepti ſunt, & quidem repentina: quaſi ſummam felicitatem adepti ſint cum mortem oppetiere, & quaſi nihil eadem eſſe felicius aut beatius, nec melius quidquam à Deo peti & dari poſſet. De rei huius veritate vſque adeo certus non ſum, ſcio tamen, maiorem homini in hac vita felicitate non poſſe accidere, quam mortem occumbere, quod ita demonſtrabo.

Gen.4.

In ipſo mundi primordio Deus optimus iuxta ac ſapientiſſimus in omnibus operibus ſuis, voluit Abelem iuſtum & innocuum virum Adami primogenitum, ante patrem & ante Cain perfidum & parricidam emori, è quo efficitur, Deum quos habet cariſſimos & dilectiſſimos, certiſſime ex hac miſeriarum valle educere, vitęque eorum filum violenter quodammodo abrumpere. Quod & alio exemplo è regum libris deprompto manifeſtum reddam: ſcriptum eſt enim illo loco, Ioſiam regem, Manaſſis nepotem, quia nimirum idola deſtruxerat, lucos ſucciderat, ſingulari Dei beneficio ex hac vita ante diem eductum eſſe, ne mala inſtantia & miſerias, quib. Iudaicus populus affligendus erat, videret.

4.Reg.22.

Fleuiſti coram me, & ego audiui, ait *Dominus, idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum* Non ſine ſingulari igitur Dei gratia ac dono, hominib. mors ſolet contingere; ideoque eam exoptandam potius quam metuendam apparet: quod varijs iam exemplis confirmabo.

Multi mori exoptarũt.

Ionas Prophetes cum imminens Niniuitarum excidium & ruinam præſagiret, mori maluit, quam exterminij huius ſpectator ſupereſſe: idcirco Dominum rogauit, ſe vt hac vita tolleret, ne miſeriam & calamitatem inſtantem cernere cogeretur: *Tolle Domine animam meam, melior eſt mihi mors quam vita.* Ecce & aliud. *Ion.4.*

Elias Prophetarum ſummus, cum per inuiam ſolitudinem errans impiæ Iezabelis rabiem declinaret, vitæ huius tædio affectus, mortemque velut omnium laborum mercedem poſtulans, dixit, *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum quam patres mei*, quaſi diceret, Satis ſuperque in hac miſeriarum valle vixi, tædet animam meam vitæ meæ: quo enim hic diutius viuo, quo & vita mihi videtur acerbior & grauior: animam igitur meam hinc educas, penſa vitæ abrumpe, incide filum, ſortem quam maiores mei ſubierũt libens ſubibo: denique da vt moriar, & *ele ri prauertam triſtia l. to.* *3.Reg.19.*

Pius ille & veneranda canitie Tobias, cum mortis commoda, vtilitatem, delicias, & bona animo volueret, & ob immiſſam oculorum cæcitatem ſummo dolore conficeretur, ſingulis ſe momentis morti offerebat, quotidie eam quam enixiſſime à Domino poſtulabat: *Et nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam viuere*: dicere vult: Cur non emorior Domine, quid me longiores in lucẽ moras trahere ſinis, concede vt canum illud caput ad inferos deſcendat, & dimitte ſeruum tuum in pace. An non à tribus hiſce exemplis manifeſtum redditur, mortem vere exoptandam, & centum etiam obla- *Tob.4.*

Digitized by Google

oblatis hecatombis à Deo poſtulandam? Iam probandum reſtat, eam multo vita hac meliorem & feliciorem eſſe.

Fuit hoc olim iudicium ſapientiſſimi Salomonis, qui dum mortis commoda & vitæ huius delicias æqua iudicij trutina penſaret, mortem multis momentis præponderare cẽſuit: *Laudaui magis mortuos quam viuentes.* Simile omnino fuit iudiciũ patris eius, cum enim Dominus eum ob delicta caſtigare decreuiſſet, Gad Prophetam ad eum deſtinauit, qui hac eum oratione aggreſſus eſt: *Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios, & illi te perſequentur, aut tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* Cæterum Dauid optione hac propoſita, mortem & mortalitatem velut leuiorem cæteris elegit, aliiſque duabus plagis antepoſuit.

Eccl. 4.

2. Reg. 24.

Thracum conſuetudo.

Solebant Thraces immanitate barbari, licet in quibuſdam rebus ſatis exculti, duobus illis regibus quam proxime accedendo, infantibus recens natis, lamentari & eiulare, morientibus vero aliquibus, epulari ac feſtum diem agere: inſinuare hinc volebant, mortem vita potiorem eſſe, cum hæc miſeriarum introitus ſit & initium, illa vero earundem exitus & finis Nec ſolum hoc Thracum de morte iudicium fuit; ſed & plurimorum aliorum, qui vitam ſibi eripi æquanimiter ferebant, nec morte etiam filiorum repentina conſternati ſunt, quorum hic aliquos recenſebo.

Plut. de conſolatione ad Apollon.

Anaxagoras Clazomenius, cum in ſcholis de rerum omnium natura diſſereret, & ſubito filij mors ei nuntiaretur (quo nuntio alij de ſtatu mentis deiicerentur, ingemiſcerẽt, cœptamque lectionem intermitterent) modeſte ſeſe gerens, nec vultum ad triſtitiam componens, ad diſcipulos conuerſus ait: Nihil mihi inexſpectatum aut nouum nuntiatur: ego enim illum ex me mortali natum, ſciebam eſſe mortalem. O egregiam doctiſſimi hominis ſententiam, adnectam & aliam.

Periclis cõſtantia in morte filiorum.

Princeps Athenienſiũ Pericles intra quatriduum duobus mirificis adoleſcentibus filijs ſpoliatus, his ipſis diebus, & vultu priſtinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore concionatus eſt. Ille vero caput quoque ſolito more coronatum gerere ſuſtinuit, vt nihil ex vetere ritu propter domeſticum vulnus detraheret. O virtutem vere heroicam! ô exemplum efficax ad demonſtrandum, mortem vita multo eſſe potiorem!

Item Xenophontis.

Quid porro de Xenophonte Socratico dicemus? hic cum ſolenne Sacrificium perageret, è duobus filijs maiorem natu, nomine Gryllum, apud Mantineam in prælio cecidiſſe cognouit: nec ideo inſtitutum deorum cultum omittendum putauit, ſed tantummodo coronam deponere contentus fuit. Quam ipſam percontatus quonam modo occidiſſet, vt audiuit fortiſſime pugnantem interiiſſe, capiti repoſuit, numina quibus ſacrificabat teſtatus, maiorem ſe ex virtute filij voluptatem, quam ex amiſſione amaritudinem ſentire. Alius remouiſſet hoſtiam, abieciſſet altaria, lachrymis reſperſa thura extinxiſſet: Xenophontis cor pia religione ſtetit immobile, & animus in conſilio prudentiæ ſtabilis manſit, ac dolori ſuccumbere ipſa clade quæ nuntiata erat, triſtius duxit. Dicine quidquam aut cogitari poteſt generoſius? aliquidne etiam efficacius ad demonſtrandum vitam multis rationibus à morte in dignitate & emolumentis ſuperari? Dion Syracuſanus tyrannus maiorem mihi adhuc viſus eſt conſtantiam oſtendiſſe, cum enim cum ſuis familiariter ageret, ſubitumque tecti fragorem audiſſet, petentique quid rerum ageretur, dictum eſſet, filium collapſum exſpiraſſe, immobilis permanſit, & lachrymas & gemitum comprimendo cœptum ſermonem proſecutus eſt. Laudo hæc omnia, virtutem conſtantiæ deprædico, ſimulque iudico, mortem vita longe beatiorem eſſe, atque ideo votis omnibus exoptandam.

Dionis itẽ tyranni.

An non vos igitur pudebit, Chriſtiani, has hiſtorias dum auditis? an non erubeſcitis, cum tantum vobis mors horrorem incutiat? Pudor profecto eſt, vos ita meticuloſos eſſe, & panico quodam pauore percelli. Pudor eſt in amicorum vos morte tantopere. Alioi, ſepulchra eorum lacrymis perfundere. Ianec

lamentis laceſſere. Eſt hoc ingentis puſillanimitatis indicium, & animi nimirum effœminati & abiecti argumētum. Hinc magnus ille Lyciorum legiſlator, referente Plutarcho, voluit eos qui mortuos plangere, defunctorumque ſortem deplorare vellent, habitum virilem exuere, ſtolamq; muliebrem ſumere. Oſtendere volebat, morti bellum mouere, deque eiuſdem crudelitate, & acerbitate conqueri, fœmineum eſſe, & a virili & generoſo pectore penitus alienum.

Chriſtus cùm viduam de ciuitate Naim, cui vnicum mors filium, fulcrum familiæ, ſenectutis baculum, rerum præſidium, omniumq; facultatum ex aſſe hæredem rapuerat, conſolaretur, pauca hæc ad eam verba habuit, *Noli flere* (Luc.2.) Perinde ac ſi diceret, Quid ploras mulier? Siſte lachrymas, mortem eius æquo fer animo, diuinæ voluntati ac diſpoſitioni morem gere, & deſine ingemiſcere, quin imo lætari potius in filij morte te oportet, eiuſque felicitatem deprædicare: iam enim mortalitatis huius vinculis ſolutus eſt, iam ab omni prorſus debito immunis, omnibuſq; quibus vita hæc obnoxia eſt, calamitatibus ereptus.

V. His aliiſque hactenus allatis demonſtrare conatus ſum, nō eſſe ſancti hominis mortem metuere, quæ nimirum ingentia nobis & plurima commoda ipſamque beatitudinem afferre ſoleat: at bene ſcelerati atque impij, cui eadem æternam damnationem atque infernalia ſupplicia cauſatur. Atq; hinc eſt, quod pij & probi morientes exultent, ſcelerati vero & improbi, cum de ea vel loqui audiunt, inſtar folij tremant & metu exalbeſcant. De illis namque dictum eſt: *Beati mortui qui in Domino moriuntur* (Apoc 14.); de his autem: *Mors peccatorum peſſima* (Pſal 33.) Quod iam latius declarabo. Inprimis in Prouerbiorum libro ſcriptum eſt: *Non extinguetur in nocte lucerna iuſti* (Prou.31.); id eſt, in morte, & die illa tenebroſa robur eius aut conſtantia non concutietur. Eandem ſibi fœlicitatem pollicetur Dauid, dicens: *Veſpere & mane & meridie narrabo opera Domini.* (Pſal.54.) Mane ſcilicet, tempore pueritiæ, in meridie iuuentutis, & in veſpera ſenectutis: imo nec in morte iubilare, & laudem Domini enunciare deſiſtam.

Hic ſcilicet iuſtorum finis eſt, qui moriuntur cantando, & inſtar cygnorum moriendo cantant: Quam mortem Dauid non niſi iucundiſſimum ſoporem appellauit: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini* (Pſal.126.)

Voluit in veteri Lege Deus, vt bis de die (Exod 30.) ſummus Sacerdos templum ingrederetur, mane nimirum & veſperi; mane quidem ad lampades accendēdas, & incenſum Deo adolendum; veſperi vero, vt eaſdem lampades collocaret, ac tunc thymiama coram Domino ſempiternum accenderet. Adeo vt incenſum quo mane adolebatur, vſq; ad veſperam viueret; thymiama vero, quod veſperi renouabat, eſſet perpetuum. Hic ad oculum repræſentatam vides vitam iuſti: hunc enim à primo vitæ initio lampadem charitatis in anima oportet accendere, & thymiama deuotioni incendere, quod ad mortis vſq; veſperam duraturum ſit, & deinde in omnē æternitatem viuat. Et ſane mors ſanctis & pijs hominibus nonniſi ignis ardor, thus, deuotio eſt, impijs vero lachrymas, ſuſpiria, dolorem, angorem & calamitatem generat.

Iuſtos & impios ſimiles eſſe dico duobus (Simile.) æquor nauigantibus & tempeſtate iactatis, quorum primus finita nauigatione, nauique egrediens in patriā appellat, & inter amicos venit; per quem deſignari puto iuſtos: alter vero in alienum & inhoſpitum ſolum iactatur, in quo à piratis exſpolietur, & in carcerem perpetuum compingatur; per quem impiorum figurantur fata: de prioribus dictum eſt à Dauide: *Inebriabuntur ab vbertate domus tua, torrente voluptatis tuæ potabis eos* (Pſal.38.); de poſterioribus vero: *Famem patientur vt canes, mors depaſcet eos* (Pſal 58.) Ecce & aliam ſimilitudinem. Similes iidem etiam ſunt duobus (Simile.) captiuis, quorum vnus nonniſi propter actionem quandam ciuilem carceri traditus eſt, atque ideo in libera cuſtodia, nullis compedibus aut ferro grauatus, per omnia carceris loca ſecurus obambulat, alter vero criminis alicuius capitalis accuſatus eſt, qui propterea manibus & pedibus vinctus eſt, & tandem ad mortem condemnabitur. Ille à ſingulis carcerem ingredientibus ſe eximēdum, & in libertatem aſſerendum putat:

Digitized by Google

tat: hic vero è contra quamprimum vt portas carceris reſerari audit, tremit & pauet. in omnibus enim intrantibus carnificem metuit, a quo ad crucem & patibulum rapiatur. Idem omnino de juſtis atque impijs dicendum eſt, ambo namque corporis huius ergaſtulo incluſi detinentur: illi quidem propter ſola debita, atque ideo velut in libera cuſtodia ſunt; hi autem ob delicta quædam enormia & capitalia, ideoque compe-
Pſal. 118. dibus vincti ſunt. De quibus dictum eſt: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Illi dum
Pſal. 142. ſtrepitum aliquem per carcerem audiunt, id eſt, cum infirmitatem aliquam aut ægritudinem ſentiunt; exultant & plaudunt credentes jam ſe carcere educendos, & veræ libertati reſtituendos. Audite vt Rex quidam vinctus ad libertatem adſpiret, & diſſolui cupiat, *Educ de cuſtodia animam meam.*
Mors carnifex. Hi autem, cum vel minimum moriendi diſcrimen adeunt, cum de morte duntaxat quendam loquentem audiunt; metuunt cutu, & carnificem illam crudelem adeſſe putant, quæ eos carcere eductos ante iudicem ſiſtat, & condemnatos æternis ſuppliciis addicat.

Boni & impii, cygno & Sirenib. cōparantur. Tradunt Phyſici, cygnos, aues illas pulcherrimas, mori ſuauiſſimum carmen modulando; Sirenes autem marina illa monſtra, non niſi eiulando & plorando. Cum huius rei rationem redderet in Problematibus Ariſtoteles, id propter ſanguinis in vtriſque diuerſitatem ait prouenire: amborũ enim ſanguis multum inter ſe diſcrepat, qui tempore mortis ad cor ſe recipit, vt idipſum velut præcipuum vitæ fontem tueatur, & periculum ab eodem propulſet. Et, quia ſanguis cygneus humor quidam liquidus eſt, purus & aduerſus mentis impetus ſeſe defendens, ideo cum ad cor ſe recipit, efficit, vt animal in morte harmoniam edat ſuauiſſimam: at quoniam Sirenum ſanguis grauis eſt, ignobilis, & virulentus, ideo dum eodem ſe recepit, triſtitiam luctum & lachrymas cauſatur. Idem & nos de bonis & improbis dicamus: inſtar cygnorum enim ſunt iuſti, qui non niſi iubilando canendoque hinc diſcedunt: quia tum purus ille virtutum, meritorum, piorumque operum ſanguis ad cor ſe recipiens, & ob oculos verſans, lætitiam quandam ſingularem & gaudium cauſatur, magnaque illos morientes conſolatione perfundit: improbi vero inſtar Sirenum mille cum anxietatibus & doloribus exſpirant, impura enim illa & craſſa peccatorum ſanies, prauorumque operum tabes cum in mentem redit, eis dolorem non mediocrem & triſtitiam extremam ſolet afferre. Hinc porro fit, eos mortem metuere, & lamentando, gemendo, ſuſpirandoq; ex hac vita diſcedere. Vnde bene mihi dixiſſe de his viſus eſt Pſalmographus: *Mors peccatorum peſſima.* Pſal. 33.

Quamobrem ſumite animos Chriſtiani, hæc ſemper animo voluite, menti ſemper mortis memoriam inſculptam habete, ſecius de ea loqui nolite, nec animo erga eam hoſtili vos gerite, at eius fœlicitatem, bona, & emolumenta quæ è contra petere conſueuit, conſiderate. Videte, obſecro, præeuntibus nimirum gentilibus atque ethnicis, quantarum illa nobis vtilitatum cauſa exiſtat & occaſio: diſpicite, quantum illa proſit, è quot quantiſque illa nos educat miſeriis, quæ beneficia in nos conferat: atque ita fiet, vt eam nunquam formidaturi ſitis, aut hoſtili in eam animo futuri.

Deinde ſolam hanc cogitationem ſufficere puto, quo eius nobis amor & deſideriũ indatur, & quo omnes effrenes vitiorum motus compeſcamus. Toties hoc jam, me præ- Eccl. 7.
eunte, dixit Sapiens: *Recordare nouiſſima, & in æternum nõ peccabis.* Recordamini, inquam, & præſertim mortem, ad quod vos hodierna die poſtremum inuito; & etiam atque etiam vt faciatis rogo. Cogitate inprimis quid ipſa mors ſit, deinde vnde in hunc mundum venerit, mox quam certo illa nobis impendeat, quamque incerta tamen eiuſdem hora ſit, adhæc quid in ea vt plurimum ſoleat euenire; poſtremo quanta piis bona, impiis vero damna ſoleat arceſſere. Quod ſi feceritis, & abunde vt par eſt, feceritis, promitto ac ſpondeo, in æternum vos non peccaturos, ſed poſt vitam cum virtute tranſactam inſtar cygnorum, in morte ſuauiſſime cantaturos.

Digitized by Google

terribili judicii die verba facere, vt ſcilicet eius mentibus noſtris memoriam profunde inſculpat, atque eum ſemper ob oculos habeamus, velut diem omnium dierum terribiliſſimum, diem quo cælum fulgura & coruſcationes ejaculabitur, tonitrua terram quaſſabunt, & totus orbis quaqua patet, eiulabit & planget: quo hac nobis ratione eiuſdem terrorem incuteret, ſuam nobis iuſtitiam oſtenderet, legumque nos ſuarum redderet obſeruantiſſimos. Nouit ipſe namque horrendæ huiuſce diei memoriam ad plenam legis obſeruationem ſufficere & omnem aduerſus diuinam maieſtatem, eiuſque honorem ac gloriam conſpirationem tollere. Hæc ſunt quæ hodierna vobis die nuntio, licet triſtia & horrenda, quæque omnibus audientibus terrorem incuſſura ſunt. Vt porro eadem pro dignitate vobis recenſere, & materiam, qua par eſt, oratione deſcribere valeam, ad ſolitum noſtrum aſylum, Spiritum Sanctum nempe, confugiamus, qui vires & robur ſuggerat, atq; intemeratæ Virginis Mariæ ſuffragia, vt hactenus fecimus, poſtulemus.

AVE MARIA.

Apoc. 14. Nouus ille Triſmegiſtus Ioannes, Apoſtolus ſimul & Euangeliſta, nec minor Propheta, inter cæteros, quas in Pathmos inſula (in quam juſſu Domitiani Imp. relegatus erat) vidit viſiones & reuelationes, vidiſſe ſe profitetur Angelum per cælos volitantẽ, qui Euangelium æternum annuntiaret, atque alta voce inclamaret, *Timete Dominum, & date illi honorem quia venit hora iudicij eius.* Et ſane hoc ipſum quod hic ab Angelo denuntiari audimus, denuntiauit olim & alius Propheta, qui vniuerſis terrę incolis inclamat, quamuis non iiſdem verbis; *Psal. 2.* *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, Seruite Domino in timore, & exult te ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta:* quia dies indignationis eius imminet, & in breui exardeſcet ira eius.

Quid hoc nobis clamore inſinuare vultis Angeli, Prophetæ, reges? quid ſibi horrenda hæc de extremo die, deq; iudicio cœleſti volunt nuntia? Scio. Tacite hic nos admonet Deus, eſſe ſibi quam gratiſſimum, ſi ſua iudicia animo ſemper inſculpta habeamus. Nihil enim magis ad ſalutem neceſſarium, quam juſtitiæ eiuſque tribunalis aliquãdo recordari. Hinc Vincentius Ferrerius, *Hom. 11. in Euang.* Ordinis D. Dominici, qui ex zeloſiſſimis ſęculi ſui concionatoribus erat, vt è vitæ actis manifeſto patet, de extremo iudicio, vt plurimum, concionem inſtituebat: perſuaſum namque habebat, nihil eſſe aut efficacius aut ad animarum conuerſionem vtilius, quam diuini iudicii memoriam perpetuo conſeruare.

Eiuſdem etiam opinionis fuit Gregorius Pontifex; hinc in homiliis laudat eos, qui de iudicio extremo concionem interdum inſtituunt; *Ille*, inquit, *in ſancta ecclesia doctus prædicator exiſtet, qui & noua ſcit proferre de ſuauitate regni, & vetuſta de terrore ſupplicij, vt vel pœna terreant, quos præmia non inuitant,* quibus efficere voluit, diuinorum iudiciorum memoriam iugiter nobis in animo verſari debere, nec vllo vnquam tempore eſſe eradendam.

Interrogatus olim vetus quidam anachoreta, in cuiuſnam libri lectione eſſet aſſiduus, & quem Tractatum vt plurimum manibus tereret; quam primum ſubintulit, nullum ſe prorſus toto vitæ tempore librum legiſſe, quam alphabetum quoddam tribus conſtans foliis; quorum primum eſſet nigrum, ſecundum candidum, tertium vero rubicundum: è primo ſe triſtem & atram horam mortis legere, è ſecundo cœleſtis beatitudinis ſplendorem, è tertio autem ſeueritatem ac rigorẽ extremi iudicii, & aſſerebat, ſummo ſe ſtudio conatum huncce libellum firmiter animo imprimere: in quo nimirum contineretur, quod & cognitu optimum eſſet, ac maxime neceſſarium, & quo nihil vtilius in mundi huius ſchola diſci queat. Anachoretæ cuiuſdã ſtudium laudabile.

S. Hieronymus Stridonenſis, ſummus ille Eccleſiæ Doctor, (qui diſcendi amore flagrãs per varias Aſiæ & Europæ prouincias errauit, & doctiſſimos pręceptores ſibi acquirere ſtuduit, inter quos Gregorius Nazianzenus in Cappa- S. Hieron. ſemper iudicii memor vixit.

Cappadocia, S. Epiphanius in Cypro, Didimus in Ægypto) extremi judicii ſcientiam pleniſſime etiam didicit: omni enim hora & tempore, noctu & interdiu ſublimem hanc Philoſophiam animo voluebat. Itaque de ſe ipſo teſtatus eſt: *Siue dormiam ſiue comedam, ſiue quidquid aliud agam, ſemper auribus meis vox illa videtur intonare, Surgite mortui, venite ad iudicium.* Vnde manifeſte apparet, ſanctiſſimum hunc Doctorem judicii memoriam omnibus aliis cogitationibus, & huius cognitionem, omni humanæ philoſophiæ prætuliſſe.

Ser. 67. de tempore. Phœnix ille doctorum Auguſtinus, cum probe noſſet, quantum huiuſce judicii cognitio memoriaque conduceret, nihil tantopere auditoribus ſuis, quam horrendum illum judicij diem inculcabat; adeo vt cum verba illa Euangelij: *Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua,* pro themate ſumpſiſſet, & *Matth. 25.* Auditores tædio affecti peterent, quid toties eandem ſerram reciprocaret, & cramben pluſquam decies coctam ſibi manducandam apponeret, egregie reſpondit: *Dico vobis quod ipſemet CHRISTVS ſummus hominum magiſter, ſuis diſcipulis hoc per diuerſas parabolas ſæpiſſime prædicauit*: Quin & amplius.

Magnus ille Propheta Iſaias, qui ſingulari ſua doctrina prudētiaque octoginta quatuor annorum ſpatio Iudæorum ſynagogam moderatus eſt, atque Amos, Oſeæ, Michææ, Ionæ Prophetarum æqualis fuit, cum de Meſſiæ aduentu loqueretur, ideo potiſſimum eum in terram à Deo patre delegandum ait, vt judicij diem inſtare promulgaret. Audite verba eius: *Ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro.* *Iſa. 61.* Id eſt, Pater æternus, cuius miſſionem ſimul & proceſſionem habeo, (eiuſdem namque eſt mittere in diuinis, cuius eſt producere) ad pacem hominibus annuntiandam miſit me, ſimulque indicandum, diem judicij præ foribus eſſe. Vnde colligi poteſt, quanti momenti ſit diem hunc mente animoque verſare, cum ipſe Dei filius, deficientibus ſcilicet Angelorum viribus, è ſummo cœlo in terram deſcenderit, quo eum hominib. denuntiaret.

Ipſe Apoſtolorum caput Petrus, totiuſque Eccleſiæ Princeps aperte profitetur, inter cetera quæ Chriſtus hinc ad Patrem ſecedens diſcipulis mandauit, hoc vnum è præcipuis fuiſſe, vt nimirum hominibus diem judicii denuntiarent, eoſque ad illius memoriā iugiter conſeruādam excitarēt, cuius ſcilicet iugis recordatio magnum emolumentum, obliuio vero & neglectus non minus detrimentum allatura ſit. *Præcipit nobis,* inquit, *prædicare populo & teſtificari quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum.* *Act. 10.* Non ait, Dominum dumtaxat præcepiſſe vt judicii diem prædicarent, ſed etiam vt teſtificarentur, velut rem quæ ad ſalutem comprimis neceſſaria, atque inter præcipuos fidei articulos numeranda ſit.

Plura his adnectit Dauid, aitque Deum judicii ſui cognitionem & prædicationem adeo neceſſariam ducere, vt non Angelos, homines, & Apoſtolos modo eiuſdem præcones & teſtes adhibeat; ſed creaturarum etiam inanimatarum opera interdum vtatur, quo eundem per omnia diuulgent, & inprimis opera orbium cœleſtium. *Et annuntiabunt cæli iuſtitiam eius: quoniam Deus iudex eſt.* *Pſal. 49.* Et ſane terribilis huius iudicii memoria adeo ad ſalutem neceſſaria eſt, ac tanti momenti, vt Eccleſiaſticus crediderit, vnicam hanc ſufficere ad homines à peccatis auocandos, ſcelerumque filum abrumpendum, idque verbis quæ toties jam produximus: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* *Eccl. 7.* Erunt hæc ipſa verba hodie mihi ſcopus, in quem omnia verborum meorum tela dirigentur: primo operam dabo, vt demonſtrem, quam neceſſe ſit, iudicii extremi meminiſſe: deinde quanta eiuſdem memoria ſecum emolumenta trahat, quod vbi fecerimus, finem faciemus, oſtendemuſque, quod quemadmodum nihil judicio eſt terribilius, ita quoque nihil ſit, cuius nos magis ac diligentius oporteat meminiſſe. Quamobrem auſpicemur.

II. Quam neceſſaria

Omnes profecto ſancti & iuſti judiciorum diuinorum memoriam adeo neceſſariam

teſſe ſit de extremo iudicio cogitare.

tiam eſſe iudicarunt, vt, quamdiu in huius vitæ ergaſtulo fuerunt, aliud pene nihil ante oculos habuerint & propter eandem perpetua in anxietate & ſollicitudine fuerint. Teſtatur idipſum Hieronymus, qui de ſe confeſſus ait, ſe, quoties hunc diem in memoriam reuocaret, toto corpore trepidaſſe, & Iob, *Verebar omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti*, & nihil apud te futurum ſit impune. Vnde poſtea metuens & expaueſcens exclamat, *Quid faciam, cum ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi?* Hunc angorem præſagiens Dauid, vaticinans ait, *Videbunt iuſti & timebunt*. Eheu: quid agent peccatores, cum ante horrendum illud tribunal venerint, cum viri etiam ſanctiſſimi hoc vel ſolum in animum reuocantes, ita expauerint.

Hieron. ſuper Matth. *Iob. 9.* *Iob. 31.* *Pſal. 51.*

Eccl. 38. Salomon cum ſecum perpenderet, quam neceſſe foret diei huius meminiſſe, omnes nos, eius vt aſſidue recordaremur, adhortatus eſt, *Memento nouiſſimorum & noli obliuiſci, neque enim eſt conuerſio*: non ſatis ei fuit dixiſſe, vt nouiſſima diuinaque iudicia ante oculos haberemus, ſed voluit, ne vllo vnquam tempore eadem obliuiſcerentur, quaſi maximum in eorum obliuione diſcrimen ſitum ſit, & ſummum in recordatione emolumentum. Et quamuis terrorem eorum, vt plurimum, memoria etiam viris ſanctiſſimis incutiat, neceſſe tamen eſt eorundem meminiſſe. Ita id prædixit Pſalmographus, *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt*. Quin & ipſe tremebat, cum iudiciorum diuinorum recordaretur, quique infractus permanſit cum ante Goliadam ſtaret, coram hoc iudice nonniſi tremens conſiſtebat: ſic namque de ſe teſtatus eſt. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui*. Quæ verba Baſilius explicans ait, metaphoricam hic locutionē eſſe, ductamque translationem ab ijs qui clauis cruci affixi ſunt, & in neutram ſe partem, ne forte dolor ingraueſcat, mouere audent. Vnde ad horum dolorem rex alludens ait, ita obſecro Domine timore cor meum confige, timore inquam iudiciorum tuorum, vt fixum in iis impoſterum permaneat, ne vel in latus peccatorum, vel mundi propendeat.

Pſal. 103. *Pſal. 118.* Dauid Propheta diuina iudicia expauit.

S. Ioannes Damaſcenus, Conſtantinopolitan. Presbyter doctrina & eruditione præſtans, qui ſub Theodoſio Iuniore floruit, egregiam in hanc rem refert hiſtoriam. Rex quidam cum triſtem & luctuoſum hunc diē ſemper ob oculos haberet, ac quod de eodem aſſidue cogitaret, tetricus fieret & moroſus, à fratre admonebatur, triſtitiam vt exueret, hilaritatemq; aſſumeret, depoſitaque mentis nebula genios indulgeret. At ille fratris vt temeritatem argueret, quantaque eius fatuitas eſſet, oſtenderet, buccina mane ante fratris ædes ſignum dari præcepit, quod illo in regno mortis inſtantis erat indicium: ille ſigno audito mox ſe domo proripuit, tremenſq; regem adiit, à quo ſibi mortem denuntiatam putabat, fit ei ſupplex, miſericordiam vitæq; prolongationem implorat. Quo viſo rex ait, Quid tubam times frater, etiamſi nil morte dignum commiſeris & ipſe tubam iudicij DEI mei non timerem quem toties me ſcio offendiſſe? Noli igitur inſultare ijs, qui, quod Dei iudicium ſemper ante oculos habent, perpetuo in luctu verſantur, & in amaritudine dies ſuos ducunt. O dignum principe facinus!

Non minor quoque, mea quidem ſententia, fuit ſapientia D. Bernardi, qui diem hunc inprimis & quam maxime formidabat, perſuaſumque habebat, hunc præ reliquis diebus formidabilem eſſe. Ita namq; commentator in Pſalmum, *Qui habitat in adiutorio altiſſimi*, atque ita ratiocinatur, *Quid tam pauendum? quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſollicitudinis excogitari poteſt? quam iudicandum adſtare illi tam terrifico tribunali & incertam adhuc exſpectare ſub tam diſtricto iudice ſententiam?* O triſtem nuntium! Habet & alia non minus terribilia alia in homilia, *Quid horribilius morte? quid iudicio terribilius nam gehenna nihil poteſt intolerabilius cogitari, quid metuas, ſi quis ad iſta non trepidat, non extimeſcit, non timore concutitur?*

Ser. 8. in Pſalm. Qui habitat. *Pſal. 90.* *Serm. de primordiis medijs & nouiſſimis.*

Poſt Bernardum Gallum prodeat Anſelm. Anglus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui iudicij horrorem ita deſcribit, *Vndique mihi anguſtiæ, hinc erunt accuſantia peccata, inde*

Lib. de miſeria.

terrens iuſtitia, ſubtus patens horridum chaos inferni, deſuper iratus iudex: intus Vrens conſcientia, foris ardens mundus: iuſtus vix ſaluabitur, peccator ſic deprehenſus in quam partem ſe premet? conſtrictus Vbi latebo, quomodo apparebo? latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. O verba etiam petras motura, & leonibus terrorem incuſſura! Eadem pene Bernardus libro de interiori domo capit. 38. & Hugo de S. Victore li. 3. de anima cap. 23. Ecce omnes illi ſanctiſſimi viri iudicii terrorem perſpectum habebant, ſciebantq; quantum eiuſdem memoria homini ad bene viuendũ ſit neceſſaria.

Et bene quidem: nonne & ipſi gentiles in ſuperſtitioſis ſuis ſacrificiis ſimile quid iudicare voluiſſe viſi ſunt? Solebant enim, teſte Pierio, triplicem Ioui quotannis ſerpentem immolare, cuius primum caput canem, ſecundum leonem, tertium lupum referret. Canem imprimis adhibebant, quod is præteritorum quam maxime recordetur; leonem, quod quæ ante oculos habet, egregia ſuſtineat fortitudine: lupum autem; quod in futuris præuidendis induſtrius ſit, & ſagax. Fol. 40.

Hinc porro innuere volebant, hominem ſimilem interdum Deo victimam offerre debere non quidem ſerpentem, ſed proprium cor tribus hiſce cogitationibus inſtructum, quod nimirum præteritorum recordetur, de præſentibus anxium ſit, de futuris vero, & præſertim de extremo iudicio ſollicitum; itaq; nos cynolycoleontas futuros.

Aque hoc demum eſt vere hominem eſſe: ſola namque præſentia cogitare, velut ea perpetua forent & æterna, non eſt, mihi credite, ſapientis; ſolorum etiam præteritorum reminiſci, non eſt viri prudentis: at ambo hæc ſimul mente volutare, & in futura quin etiam oculos conii cere, hoc demum cordati hominis, & omnibus numeris abſoluti eſt, ac verum ſapientiæ indicium: Vnde Sapiens. Prou. 22. *Viri mali non cogitant iudicium, qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia*, & imprimis quæ futura ſunt.

Hoc nempe modo vitam inſtituebat Dauid rex ille ſanctiſſimus, atque inter regia negotia, regni adminiſtrandi difficultates, iudicij diuini interdum recordabatur. Vnde cum & omnes nos ſibi ſimiles vellet, poſteriſque bene in omnibus ſe gerendi rationem præſcriberet, ita Pſalmum, quo id efficere conatur, exorſus eſt, *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem*. Pſal. 48. omnes ecce ad audiendum vocat, ideoque ſubnectit, *Quique terrigenæ, & filij hominum, ſimul in vnum diues & pauper.* Ad quid opus tam prolixo exordio? dic quæ concepiſti, ô rex, totus ecce orbis ab ore tuo dependet, tuamque doctrinam exſpectabit: *Os meum loquetur ſapientiam & meditatio cordis mei prudentiam.* Nimis tergiuerſaris, tuaque præludia & prologus faſtidium generant: quid enim his omnibus innuere ſatagis? expedi nos, & omni dubitatione ſolue. Aliquid profecto magni ſignificare geſtit, tam alte deducto exordio; ſubnectit enim: *Cur timebo in die mala?* perinde ac ſi dicere voluiſſet, Ipſa, extremi iudicij dies eſt, quæ me perterret, dies inquam, quæ omnes mortales, ac me quoque inter illos percellit: *Cur timebo in die mala?* ſcio quidem neceſſe eſſe, vt timeam, ſed cur timeam ignoro. An quod amplum & magnificum hoc palatium deſerendum ſit, quod vxores & mulierum turba relinquenda, libris hiſce meis valedicendum, diuitiis & amicis cedendum. *Cur timebo?* An, quod cœlum terribilibus ſignis abundabit, virtutes cœlorum mouendę ſint, homines percellendi, totus terrarum orbis opem & auxilium inuocaturus. Nequaquam. Sed quod ante iudicem ſeueriſſimum me comparere neceſſe ſit, qui de totius vitę ſerie rationem ſit exacturus; meque iudicaturus, atque inter reprobos, vel electos numeraturus.

Atque hoc eſt quod formido, hoc eſt, quod me perterret: tunc enim mille me peccata vallabunt, mille me crimina vrgebunt, quæ iuſtitiam exigent, & vindictam aduerſus animam meam à ſummo & æquiſſimo iudice poſtulabunt. Hoc nempe denotant mox ſubſequentia verba, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, Pſal. 48. Vere igitur hæc timenda ſunt.

Digitized by Google

da ſunt ô Propheta, atq; neceſſario in mente habenda.

III. Peccatoris cæcitas de iudicio ne minimum ſolliciti.

Cæterum ô inſenſate & ſtolide peccator, cum vides Reges, Prophetas, hominesque ſanctiſſimos iudicium hoc ſemper ante oculos habuiſſe, eiuſdem ſemper meminiſſe, ac nihil magis formidaſſe, an non erubeſces? an non confunderis, qui nunquam eius recordaris, in actionibus illud tuis ante oculos non habes, nec minimum de eodem ſollicitus es. Forſitan intra triduum, aut ad ſummum quatriduum, infœlix, coram horribili illius tribunali citaberis, in quo condemnatus ad inferos detruderis, perpetuis flammis & ſuppliciis puniendus. Morti tamen cum ita vicinus ſis, rides & laſciuis, in ipſo propemodum naufragio cantas; vix vnquam recordaris, eſſe tibi ſtrictiſſimam de toto vitæ curſu rationem reddendam, nunquam iram iudicis animo voluis, nunquam pœnitentia peccata eluis, itaq; eum tibi propitium reddis Sed quid? verſipellis ille Satan præſtigiis te ſuis circumuentum faſcinat; omni quippe ratione conatur hanc hominum animis memoriam eradere, ac iudicij extremi reminiſcentiam obliuionis tenebris inuoluere.

In Sermone quodam.

Quod inſigni exemplo aptaque ſimilitudine confirmat S. Antonius Patauinus: ſolent bombyces, inquit, tantopere tonitru perhorreſcere, vt eius audito fragore ſtatim emoriantur, & ipſe glomus iis loco ſepulchri ſit. At qui eoſdem alunt, quo eos ab interitu eripiant, ſonitu quodam exiguo quotidie excitato ad eius maiorem fragorem excipiendum aſſuefacere ſolent, ne, cum repente forſitan tonitrui fragor intonuerit, confeſtim emoriantur. Eadem plane induſtria, ne dicam verſutia, vtitur & aduerſarius noſter diabolus: quippe cum probe norit, nihil magis ad peccata in animabus ſuffocanda & exſtinguenda conducere, quam ſonitum, ſtrepitum; & diuinorum iudiciorum fragorem; omni ratione conatur eam ad mundana crepitacula, id eſt, ad exiguos quoſdam & fractos vanitatis, inanis gloriæ, & ambitionis tinnitus, aſſuefacere, vt poſtea rei adeo neceſſariæ memoria amiſſa, etiamſi diuinorum iudiciorum fragorem ex concionatoris detonantis ore excipiant, parum aut nihil moueantur, vitamque ſecure ſine vlla prorſus formidine traducant, & ſane ſolent mundi huius fragores & ſtrepitus, quibus nos diabolus aſſuefacit, aures nobis obtundere ne diuinorum iudiciorum, quæ inſtar tonitruum reboabunt, ſonitum & fragorem audire valeamus.

Tradunt hiſtorici, accolas Nili, qui fluuius impetuoſiſſimus eſt, magnaque vehementia confragoſis montibus delabitur, ſurdaſtros eſſe, idque propter continuum aquarum magno cum impetu decurrentium auditum. Mundus hic, Auditores, non eſt quidam torrens, non fluiuus aliquis Nilo comparandus, ſed Oceanus turbulẽtiſſimus, tempeſtatibus obnoxius, & procellis infamis, tantisque turbinibus agitatus, vt qui ad eum accedunt, eiuſque vndis approximant, in tantum obſurdeſcant, vt diuinorum iudiciorum ſtrepitus ac fragores percipere nequeant, ſuggeſſit hoc mihi Propheta Iob, qui nimiam hanc in ſe ſurditatem demiratus ait: *Super hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo*; & rationem addit: *Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inueſtigabitur, cum audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce ſua miſerabiliter, qui facit magna & inſcrutabilia.* O ſurditas incomparabilis! ô confidentia nimis debili nixa fundamento! *Iob. 37.*

Huc optime facit ſomnium, quod, vt in hiſtoria Eſther legitur, hic enarrabo: *Apparuerunt voces & tumultus & tonitrua & terræ motus, & conturbatio ſuper terram: & ecce duo dracones magni, paratique contra ſe in prælium. Ad quorum clamorem cuncta concitatæ ſunt nationes, vt pugnarent contra gentem iuſtorum. Fuitque dies illa tenebrarum & diſcriminis, tribulationis & anguſtiæ, & ingens formido ſuper terram.* Ecce, ait Mardochæus, ad clamorem duarum duntaxat beſtiarum omnes nationes, omneſq; orbis populos conſternatos fuiſſe; & homo ad terribile diuini iudicij tonitru non conſternabitur, vultum non immutabit, non expalleſcet, ceruices non dimittet, imo vix vnquam eiuſdem recordabitur? O rem deplorandam! ô ſtuporem

Eſth. 11. Somnium Mardochæi.

porem incomparabilem! ſed expergiſcere, expergiſcere peccator, Memorare nouiſſima tua, diuina tonitrua formida, iudicia cœleſtia pertimeſce: nihil enim, vt à peccato præſerueris, aut melius, aut magis neceſſarium eſt: deinde, nihil quoque eodem vtilius; quod in ſecunda concionis parte iam latius deducam.

IV. Quam vtile ſit extremi iudicij recordari.

Tantam porro vtilitatem adfert iugis diuinorum iudiciorum memoria, vt nullum eſſe peccatorem putem, etiam peruerſiſſimum, ac flagitioſiſſimum, qui vitam in melius non ſit commutaturus; peccatiſque ac prauis conſuetudinibus valedicturus, modo vel aliquoties eadem animo voluter Si enim Aſina Balaam, viſo Angelo ſtrictum mucronem vibrante, perterrita progredi noluit, ſed retroceſſit: progredi ne audebit homo ratione præditus ac iudicio pollens, in cognitionum ſuarum ſemita, iudicem Deum, qui toties in Scripturis Angelus teſtamenti nuncupatur, obuium & ante oculos habens, ſtricto enſe minitantem? An non illo viſo, complanatam illam quæ ad perditionem ducit viam deſeret, vt anguſtam illam ſemitam, per quam ad vitam æternam iter eſt, ingrediatur: Audiamus, quid hac de re Vates regius ſcripſerit: *Niſi conuerſi fueritis*, ô inſenſati peccatores, aſinis ſtupidiores, *gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum*, quamobrem crudelem hunc Angelum cauete, recedite de via praua, atque omni ratione contendite, eius ne iram incurratis, & ne in vos ille deſæuiat. Huc optime quadrant inſignia Baſanis Regis Sicambrorum, qui, teſte Paradino, nudum in iiſdem effingebat enſem, inque eius extremitate laqueum implexum, hac addita epigraphe: *Diſcite iuſtitiam moniti*; vt hac ratione metum ſubditis incuteret, iuſtitiæque ſe tenaciſſimum oſtenderet, nec quemquam impune delicto commiſſo habiturum. Summus ille Rex regum Deus eadem inſignia, eandemque omnino epigraphen præfert: de prioribus hoc Dauidis eſt teſtimonium: *Gladium ſuum vibrauit*, ecce enſem; *arcum ſuum tetendit*: ecce laqueum & neruum, inſcriptio autem hæc eſt: *Seruite Domino in timore*. Atque

Num 22.

Pſal. 7.

In Sim. fol. 245.

Pſal. 7.

Pſal. 2.

hæc quidem omnia, vt homines edoceret, eſſe ſe vindicem iuſtitiæ acerrimum, inque delictis caſtigandis nemini omnino parcere; deinde vt peccatores, eius iudiciorum metu, ac timore iuſtitiæ, à peccando deſiſterent. Adque hoc plurimum conducit, iudicij extremi recordari. Hinc Oſius Epiſcopus Cordubenſis vt Conſtantinopolitani Imperatoris audaciam retunderet, his eum verbis aggreſſus eſt: *Deſine quæſo, & memineris Imperator, te mortalem eſſe, reformida diem iudicij, ſerua te in illam diem purum, nec te miſce in Eccleſiaſticis.* Ecce, vt maximo Imperatori metum incutiat, atque inſolentem animum intra rationis limitem reuocet; aliud remedium vir ſanctus non adhibuit, quam extremum ei iudicium in mentem reuocare. Eodem argumento vſus eſt, & B. Bernhard. ad peccatores à vitijs retrahendos: *Time, ô homo, quod in terribili iudicio ei præſentandus es, in cuius manus horrendum eſt incidere: & ab eo examinandus, quem nihil latet.* Sufficere ſcilicet putabat ad animæ puritatem conſeruandam adaugendamque, diuinæ iuſtitiæ ſeueritatiſque meminiſſe, iudiciſque ſibi rigorem proponere. Eiuſdem opinionis fuit etiam Dauid, doctor ille Regius, qui perfrictam hominum audaciam & ſecuram illam negligentiam miratur, quod nimirum Deum, a quo ſe iudicandos norunt, offendere etiamnum præſumerent: *Propter quid*, inquit, *irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo: Non requiret.* & in eodem loco: *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua a facie eius*: vbi translatio Hebraica, ac Chaldaica Paraphraſis habet *Eloyn*, quod denotat, *Iudices*. Atque ita dicere vult, Viæ impiorum corruptæ & abominabiles factæ ſunt, tota eorum vita non niſi vnum peccatum eſt, diuinis iudiciis oculos occludunt, ne iudicem intueantur: quos ſi vel paululum aperirent, iudicemque agnoſcerent, ita eos conſternandos exiſtimo, vt vitam agerent innocentiſſimam. Ethnici quoque, licet à Chriſtiana religione multum alieni, iuſtitiæ tamen ſectatores ac ſcelerum vindices fuere acerrimi, atque ideo deam vltionis, quam Rhamnuſiam vocabant, cuiuſque Poeta meminit:

S. Athanaſ. epiſt. ad Anachoretas.

Serm. de primordiis, mediis & nouiſſ.

Pſal. 9.

Ibid.

Exiget

Catharin. li. de imag. de r. *Exiget at iuſtas vltrix Rhamnuſia pœnas*, rotæ inſidentem pingebant, quę frena ac retinacula manu haberet: quo emblemate denotabant, nihil eſſe, quod rectius vniuerſam orbis machinam moderetur ac dirigat, meliuſque ac citius eiuſdem volubilitatem ſiſtat, quam diuinam juſtitiam & vindictam perſpectam habere, ac ſcelerum punitionem ſemper ante oculos gerere: atque illam præſertim, quæ in cœleſti illo tribunali, in quo omnia exactiſſime examinabuntur, peragetur. Non poſſum, quin vos laudem Ethnici, vobiſque ſuffragatus inſuper addam diuini iudicij terrorem ac formidinem velut frenum quoddam in ore impiorum eſſe; nihil quippe hoc in mundo reperire eſt, quod melius animas; dum à peccato tranſuerſum abripiuntur, reducat, aut melius intra rationis limitem contineat, ſi luxuriari & inſoleſcere nitantur, quam metus vindictæ ac flagellorum, cruentæque juſtitiæ repræſentatio. Qui de animalibus ſcripſere, tradunt ceruas, natura pauidas ac meticuloſas, non niſi Ioue tonante & cœlo temugiente fœtum edere. nam ex repentino illo fragore metus quidam naſcitur, qui occultos naturæ meatus dilatans & extendens, fœtum elicit, & in luminis auras producit. Ad eundem modum peccatorum animæ, quæ ceruæ quædam timidæ ſunt, delictorum vterum ferentes, monſtroſum illum fœtum eiicere non valent, ſed mox vt terribile illud diuinorum iudiciorum tonitru percepere, metu perterritæ, facili negotio ſarcinam illam grauem deponunt. Huiuſce allegoriæ teſtem habeo Danidem: *Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*: id anima peccatis grauida facta, mox vt judicii fragorem percepit, dolorem de ijſdem ac contritionem concepit, atque infelicem illum præuaricationis abortum elicit. Huc alluſiſſe viſa eſt Anna Samuelis mater, cum diceret: *Dominũ formidabũt aduerſarij eius*, id eſt, peccatores, vitamque in melius commutabunt & quamobrem: *ſuper ipſos in cœlis tonabit*: id quia judiciorum ſuorum tonitru ſuperintonabit, quo audito, vitiis ſtatim valedicent. Pharao non prius timuit, quam grandinem vidit, quę totam Ægyptum depaſta eſt ac vaſtauit, & ingruentia tonitrua audiuit, ac tunc primum perterritus & percuſſus fuit; & quod priora prodigia minime efficere potuerũt, ſolus tonitruum fragor, & clamor ille meteorologicus præſtitit; ac qui nullis antea plagis nec minis concuti videbatur, ferroque & marmore erat durior, cœleſti illo boatu manſuetus factus eſt, & agno mitior, quique omnes ferro & igne delere decreuerat, tyrannidem exuit, iracundiam depoſuit peruicaciamque in benignitatem commutauit. *Miſitque Pharao, & vocauit Moyſem & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc: Dominus iuſtus, & ego & populus meus impij.* Si tanta tonitruum communi naturę curſu prouenientium vis eſt, vt peruicaciſſimi tyranni cor ære, & ſaxo durius emollire potuerint, diuinorum tonitruorum terror vnius peccatoris animam non percellet? Speculum illud patientiæ Iob, aliud ad peccatores ſui æui conuertendos argumentum non adhibuit, eoſque ad vitæ emendationem pelliciendos, quam diuina judicia. Hinc exclamat: *Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe iudicium.* Satis ipſe clamaſti, ô Iob, tua ego jam verba vſurpabo, & peccatoribus inclamabo: *Peccatores fugite à facie gladij, & ſcitote eſſe iudicium*: poſt quod vita aut mors æterna, neceſſario ſubeunda erit. Magnus ille Gẽtium doctor Paulus, Felicem, qui ex liberto Imperatoris, totius Iudææ Præſes factus eſt, ad fidem Chriſti cõuertere cum vellet, & jam ſermonem exorſus eſſet de extremo iudicio locuturus, timuit Præſes & tremuit: *Diſputante do iuſtitia & caſtitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix reſpondit.*

Ceruæ cœlo tonante edunt fœtũ.

Pſal. 7.

1. Reg. 2.

Exod. 9.

Iob. 19.

Actor. 24.

Quæ verba Chryſoſtomus exponens, ait: *Tanta erat vis verborum eius, vt & principem deterrerent.* Quid? gentiles audita judicii mentione percelluntur, & Chriſtiani idipſum exſibilant? Timent ſibi Principes, & plebeij non metuunt, ſecuri penitus, ac ſine vlla anxietate. Prouinciarum Præſides cum eius mentionem fieri intelligunt, perhorreſcunt, & rei, deque multis criminibus accuſati ne hilum curant. O veſaniam intolerabilem! ô caſum vere deplorandum!

Homil. 50.

Digitized by Google

Hom ſuper illud Iſa. c. 1. Diſcite benefacere.

Baſilius Magnus Cappadox, Magnique Gregorij, cognomento Theologi condiſcipulus, de ſupremo hoc iudicio in hunc modum locutus eſt: *Habete in oculis terribilem diē iudicii, & habete eum pædagogū.* Scio, ſcio quid velit innuere. Nam quemadmodum diſcipulus aliquis, quamdiu coram pædagogo eſt, eiuſque ferulam timet, nihil indecorum, aut præter rationem audet admittere, ita quoque peccare deſinent aut ſaltem erubeſcent peccatores, quandiu extremum iudicium præ oculis, velut pædagogum habebunt, & quamdiu rigidum illum judicem virgam juſtitiæ vibrantem ſibi repræſentabunt. Hactenus quidem de vtilitate quæ ex aſſidua diuinorum iudiciorum meditatione naſcitur: jam è contra quantum mali ex eorūdem obliuione pullulare ſoleat, videamus: hanc enim omnium malorum peccatorumque quæ per orbem committuntur originem & radicem appellauit Pſalmiſta, nullamque aliam enormium, quæ ſua ætate graſſabantur ſcelerum rationem reddere potuit, quam quod homines diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem examiniſque rigorem ante oculos non haberent: verba eius hæc ſunt:

Pſal. 9.

Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius: quæ ſi interdum animo voluerent, ac cogitatione percoquerent, non tam præcipites in omnem impietatem ruerent. In eadem ſententia fuit & Daniel; nam impudicitiam & laſciuiam ſenum illorum iniquorum, qui Suſannæ matronę honeſtiſſimę pudicitiam violenter expugnare contendebant, coarguens, aperte teſtatur, nullam aliam ob cauſam, eos ad tantam mētis cæcitatem veſaniamq; prolapſos eſſe, quā ꝙ animū à diuinis iudiciis auertiſſent.

Dan. 13.

Et auerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum ſuorum. Quare, ſi decrepiti illi Penelopes ſponſi interdum oculos in cœlum ſuſtuliſſent, iuſtaque quæ illic iudicantur judicia animo voluiſſent; ardens illud amoris ac libidinis incendium facile exſtinxiſſent: nec peccati fomes, qui ſub æſtuanti corde dudum delituerat, in tam inhoneſtam apertamque flammam erupiſſet.

Prioribus his ſuffragatur Propheta Iob, qui diuinam miſericordiam benignitatemq; magnopere deprædicans, ait plurimis eam viis hominibus ſeſe declaraſſe: ac præſertim, quod impios iudicij ſui horrore perterreat, effrenes refrenet, inſoleſcentes compeſcat, áque peccatorum deuio tramite ad veram virtutum ſemitam deducat. *Nunquid tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea?* Obſcura quidem hæc & perplexa, at expoſita hunc ſenſum efficient. Quam immenſa, Deus bone, tua eſt erga homines miſericordia, quam infinita bonitas! peccatores enim, qui velut extrema terræ ſunt, benignitate tua conſeruas, ac veluti capillis apprehenſos, ne in pecccatorum prærupta ac voraginem corruant, in altum libras: iudiciorum deinde tuorum horrore eoſdē concutis, quo è peccatis educti ad veram vitæ emendationem ſinceramq; pœnitentiam feſtinent. Nemini autem mirum videatur, ſi per extrema terræ peccatores & impios intelligam: eo quod nec ad exactam rationis menſuram, nec ad prudentiæ perpendiculum, (quæ, iuxta Ariſtotelem, non ſecus ac cæteræ virtutes, ſemper in medio conſiſtit; vti & vitium extrema occupat, vt Angelicus doctor ait) vitam inſtituant. Ad hęc nihil eſt à Deo remotius, quam peccatores, de quibus Pſaltes locutus eſt, cū dixit: *Longe à peccatoribus ſalus.* Deus enim & peccator duæ extremitates ſunt, ac duo termini à ſe inuicem remotiſſimi. Deinde eleganter extrema mundi, ac naturæ ſcabellum & propudium vocitantur, quod nihil peccatore vilius aut abiectius haberi poſſit: adeo vt quamuis dignitate reges ſint ac principes, ſi peccato ſe vel minimo fœdare præſumant, totius vniuerſi fæces ſint & peripſema, & creaturæ infames quam quæ maxime, tam coram Deo & Angelis, quam hominib. Meritiſſimo igitur mundi ac terræ extrema appellari queant, ſed ad lineam nunc credeamus.

Iob. 38. *2. Ethic c. 6. 8. 9.* *1.2.q.64.ar.1* *Pſal. 118.*

Quamobrem dicendum eſt, ingens peccatoribus è diuinorum iudiciorum memoria emolumentum naſci, eoſq; ſtatim vt illa ante oculos habere cœperint, præſeruari, ne in peccata proruant; etſi adhuc, quæ humana fragi-

Digitized by Google

fragilitas eſt atq; imbecillitas, in eadem prolabantur, quamprimum iiſdem emergere. Samſon cum injuriam ſibi à Philiſthæis illatam vindicare conſtituiſſet, ad tempus vſque meſſis vindictam diſtulit, ac tum trecentas vulpes, ſibi inuicem caudis colligatas, quas flammantibus facibus inſtruxit, in ſegetem eorum immiſit, quam penitus vaſtauerunt. Praua veſtra, ô peccatores, deſideria, nefariæ veſtræ cogitationes & conceptus, ſcelera quoque veſtra, verſutæ quædam vulpeculæ ſunt: quas ſi ſemel comprehendere potueritis, diuiniq; iudicii ignem caudis earum ſubnectere; fugient quamprimum, perque zizaniorum agros diſcurrentes, à dæmonibus qui hoſtes tui ſunt, te liberabũt, atq; omnia peccata veſtra, quę veluti meſſis ſunt, quæ ex nefanda prauarum cogitationum ſemente enata eſt, penitus ſuccendent ac deſtruent. *Iud. 15.*

Et profecto firmiter mihi perſuadeo, exiguam ac tenuem quandam iudicii huius reminiſcẽtiam, plurimum ad homines permouendos conducere. Vnde Iſaias Propheta: *Viderunt inſulæ & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt, & appropinquauerunt & acceſſerunt.* Per has inſulas & extrema terræ peccatores intelligit: qui, quantum terræ extremitates & poli à centro, tantum à Deo centro ſuo remotæ ſunt, & eodem, quo de illis locutus eſt Propheta, modo tremunt: adeo vt præ timore ad Deum, cum eiuſdem iuſtitiæ incidit mentio, accedere non præſumant. Eadem propemodũ vaticinatur Pſalmographus, audite melos, *Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longe. Turbabuntur gentes & timebunt qui habitãt terminos à ſignis tuis.* Ex omnibus porro, quæ hactenus dicta ſunt, concludere poterimus, quam neceſſe ſit iudiciorum diuinorum ſępius recordari, quantamque ſecum vtilitatem eorum recordatio trahat. Nemo igitur veſtrum hac de re dubitẽt, Auditores, ſed omnes luculentam illam Eccleſiaſtici ſententiam, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*, in animo ac mente habeant. *Iſai. 41.* *Pſal. 64.* *Eccl. 7.*

Ita porro ſe res habet ô æterne & omnipotens Deus: neque enim fieri poteſt, quemquam in te peccare poſſe, qui tam horrendam, terribilem adeoque intolerabilem diem ſemper ob oculos habet: diem inquam, in qua tam ſtricte peccata diſquirentur, diſquiſita mature ponderabuntur, ponderata vero ſeueriſſime punientur. Si enim tonitrua quæ naturaliter eueniunt, tantum in homines virium habeant, vt his auditis ceruices dimittant, palleſcant, conſternentur, tremant, ac toto corpore obſtupeſcant; quid non horrendi illi boatus ac terribilia iudiciorum tuorum tonitrua in animabus facient? Quis enim credat, aliquem adeo proiectæ audaciç, ac tam ſaxeæ frontis futurum, vt in peccatis perſeuerare præſumat, ſi eadem vel ſemel audita in animum admiſerit, non potius actutum peccatis valedicturus ſit? Viuat igitur hæc in nobis memoria, viuat inquam, nec vllo vnquam æuo conſeneſcat: atque illa efficiet, Domine, ne vnquã vel leuiſſime offendamus, ſed vt in lege tua voluntatem habentes, iudiciique tui rigorem iugiter animo verſantes, à peccando abſtineamus; quo hac nobis ratione paretur iter ad æternam beatitudinem conſequendam: quam elargiri dignetur Pater, & Filius, & Sanctiſſimus Spiritus.
Amen.

FERIA

FERIA SECVNDA.

DE SIGNIS QVAE VNIVERSALE IVDICIVM PRAEceſſura ſunt.

Partitio.

I. De horribilitate ſignorum quæ iudicium præibunt.
II. De ſignis in Sole & cælorum virtutib.
III. Cur talia in creaturis monſtra ſint edenda.
IV. De ſigno in Luna & ſignorum allegoria.
V. De ſignis ſtellarum.

Memorare nouiſſima tua, & imprimis ſigna & prodigia, quę Iudicium vniuerſale præcurrent, *& in æternum non peccabis.* Eccleſ. 7.

FIGVRA.

2. Mach 5 ANtequam funeſtum illud vrbis Ieroſolymitanæ excidium, quod impius Rex Antiochus ei interminatus erat, quo deinde octoginta hominum millia ferro vaſtâte deleta ſunt, & non pauciores in captiuitatem abducti, & in quo ſuperbum illud ac magnificum templum direptum ac profanatum eſt, immineret; apparuerunt quadraginta ante diebus armatorum acies in aere diſcurrentiũ & aduerſus ſe mutuo digladiantium: quod fuit certiſſimum calamitatis ſtragiſque vrbi ſanctæ imminentis præſagium. Ita quoque, vti toties in ſacris litteris legimus, non minora, ante generalem magnę illius ciuitatis, mũdi ſcilicet, deſtructionem & excidium ſigna euentura ſunt, certiſſima nempe futuræ calamitatis & deſolationis argumenta & prænuntia. Sol etenim defectum patietur, luna non dabit lumen, at furuo amicta velamine intra nubes ſeſe abſcondet, ſtellæ cælo cadent, mundus concutietur, animalia horribili modo remugient, cœlum tonitrua eiaculabitur, & alia ſexcenta, quæ præcurrent ſigna. De his latius hodierna die loqui eſt animus, & ſingula examinare accuratius. Illuſtra tu modo æterne & ter maxime Spiritus ſplendore tuo ingenii nebulas, tuque adeſſe digneris intacta Mater & Virgo. Idcirco te cum paranympho Gabriele ſupplices, magnaque animi demiſſione ſalutatione ſolita ſalutamus.

AVE MARIA.

Inter omnia ſummi illius artificis opera, Auditores, nullum eſſe conſtat, docente nos Scriptura, terribilius aut magis horrendum, quam opus iuſtitiæ & vindictæ. Ita namque de eodem teſtatur Propheta Abacuc, *Admiramini & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credat cum narrabitur.* Vocat illud opus, cui vix quiſquam credat: & bene quidem. Quis enim ſine admiratione & ingenti ſtupore cogitet ea, quæ in ſupremo illo & terribili die, cum vniuerſale judicium peragetur, euentura ſunt? Cum ipſemet Dominus cum dilecto ſibi Moyſe locutus, ita opus illud appellare non dubitarit, Verba eius hæc ſunt: *Signa faciam, quæ nunquam viſa ſunt ſuper terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iſte Domini terribile quod facturus ſum.* Quaſi diceret, Vix me nouit mundus, quis eſt qui cognitam habet potentiam meam? Ecce populus hic me derelinquit, vt diuinos idolis honores tribuat. Sed oſtendam breui, me Deum eſſe, illos vero mihi ſubditos & creaturas meas: ſigna quoque eadem, qualia à nulla hominum memoria facta quis meminerit, & iis terrorem incutiam, quo nomen meum & legem reuereantur. Opus ecce hoc vocat *terribile*, idque propter ſigna quę apparebunt tunc tẽporis in cœlo, in terris ſurſum & deorſum, perq; omnia mundi climata, quib. omnes orbis incolę percellendi ſunt.

I.

Abac. 1.

Exod. 34.

Ioel autem terribiliora longe de eodem tradit, *dabo*, inquit, *prodigia in cœlo & in terra ſanguinem & ignem & vaporem fumi, Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Verborum horum ſenſus hic eſt. Vidiſtis jam olim ô Philoſophi duodecim illa Zodiaci ſigna motu ſuo naturali laben- Ioel. 2.

Digitized by Google

labentia, vnumque poſt alterum exoriens: vidiſtis Leonem, Piſces, Virginem, Capricornum, Libram, Arietem, & reliqua: at modo alia producam ſigna, qualia vos vidiſſe vix credo, ſigna nimirum prodigioſa, ſanguinea, ignem & fumum ſpirantia: cælum quippe ſtillabit ſanguine, vt hinc euidens fiat, omnia morti eſſe deſtinata: terra exæſtuabit, vt oſtendat, omnia igne & flamma delenda, aer denique fumabit, vt hinc pateat, tenebris omnia inuoluenda: ſed loco verbi *horribilis* in ſuperiori loco, ſeptuaginta legunt *illuſtris*, & Lucas primo Actorum capite eundem vocat, *manifeſtum*. Primus huius diei horrorem, alij ſignorum quæ præceſſura ſunt, euidentia indicant, ita vt ab omnibus eadem videnda ſint, & futura ſint velut triſtia quædam præſagia & horribilis caſus prænuntia.

Exod. 7.8.9. 10. Præmiſit Deus antequam Pharaonem omnemque Ægyptiorum exercitum mari rubro obrueret, diuerſa ſigna ac prodigia, velut futuræ ſtragis regnique excidij præludia, quod inſinuauit Dauid Propheta cum diceret, *Miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes ſeruos eius,* (*Pſal.* 134.) ait, *prodigia*, vt magnum quid innueret: deinde *in medio*, vt hinc manifeſte oſtenderet, ſigna hæc non in obſcuro aliquo angulo, non regni extremitate, ſed in meditullio Ægypti facta eſſe, quo ab omnibus viderentur, communemque toti regno metum inijcerent, itaque cautiores fierent. Simili plane modo, priuſquam vniuerſalis mundi ruina communiſque totius vniuerſi interitus eueniant, & homo qui eiuſdem velut Pharao & Rex eſt, rubicundum diuinorum iudiciorum mare ingrediatur, ſummus ille Iudex plurima prodigia velut præcurſores & anteambulones emittet, quæ non in obſcuro aliquo angulo, non in vna prouincia, ſed in medio cœli, quod terræ globum ambit, & per vniuerſam terram, quæ vniuerſitatis centrum & vmbilicus eſt, videbuntur, vt ſibi peccatores caueant, prudentioreſque fiant.

Fulmina non ſine præuio tonitruo ac fragore euibrari ſolent; hæc enim in aeris regione reboantia, triſculum fulminis telum inſtare denuntiant. Non aliter quoque horrendum illud iudicij fulmen plurima ſigna velut tonitrua antecedent, quæ incipientibus metum & terrorem incuſſura ſunt. Ita locutus eſt Pſalmographus dicens, *illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra*: non dicit, commotos homines, non animalia, non plantas, ſed ipſa bruta elementa, lapides, petras, marmora, ipſam denique terram tremuiſſe & commotam fuiſſe. *Pſal.* 69.

Qui mari contermini ſunt, certa quadam experientia norunt, quando mare alluere vel defluere ſoleat: nam antequam accedat, plurimæ per littora aues circumuolitant, quæ reciproco volatu & ſtrepero garritu eos qui in littore hærent admonent, vt in continentem tranſeant, ni à ſuperueniente æſtu obrui velint. Quod hic naturaliter in fluxu, & refluxu maris contingere videmus, idipſum ante vniuerſalem mundi interitum etiam certiſſime euenturum conſtat. Nam antequam vaſti illius & rubri diuinorum iudiciorum maris æſtus ingruere cœperit, non quidem aues, ſed horrenda quædam ſigna & prodigia antecedent, quibus admoneantur homines ſibi vt caueant, ſeque in tuto collocent, ne incauti forſitan à violentis illius torrentis fluctibus obruantur, quem conceptum regius vates confirmat, *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* *Pſal.* 59.

Ioſue Hebræorum ductor, de tribu Ephraim antequam vrbem Iericho quæ in tribu Beniamin ſita erat, obſidione cingeret, aut conflictum iniret, exercitum forinſecus circumduxit, idque per ſeptem dies, præcedente nimirum Arca Domini, magno adhæc edito clamore, ſacerdotibus quin etiam tubarum clangore ſtrepentibus; quæ erant velut futuræ ſtragis & excidij prænuntia: nam ſtatim deinde muri ad terram conciderunt, omneſq; à minimo vſq; ad maximum, à puero vſque ad decrepitum gladio interfecti ſunt. Iericho, vt ait Origenes, Lunam denotat, ac veriſſimus mundi typus eſt, qui non ſecus ac luna, creſcit, decreſcit, renouatur, ac deliquium patitur. Ieſus Chriſtus eandem expugnaturus, ferroque & igne delendus, *Ioſ.* 6. *Hom.* 69. *in Ioſue.*

rus, plurima circum muros eius ſigna edet, omnem creaturarum ſuarum exercitum ante portas eius explicabit, cumque prodigiis velut gladiis accinctum, idq; per ſeptem, i.e. plurimos dies, (ſeptimus enim numerus ſæpenumero in ſacris literis pro infinito vſurpatur, vti in verbis illis Dauidicis: *Septies in die laudem dixi tibi*, id eſt, ſæpius.) Deinde cum videmus quotidie Solem, Lunam, & Stellas, quæ toties in ſacra ſcriptura, *militia cœleſtis* nuncupantur, curſum in ſuo quæque orbe peragere; an non dicere poſſumus, videre nos quaſi tot circuitores circum vniuerſi huius muros circumeuntes, & velut excubias diſcurrendo agentes? Quid de his dictis Euangeliſtæ? *Erunt ſigna in Sole & ſtellis.* Audientur præterea eiulatus, clamores, ſtrepitus ac tubarum ſonitus.

Pſal. 118.

Tuba mirum ſpargens ſonum,
Per ſepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Imperfectio tãtum orbis & locitum deſtruetur, exſcindetur.

Quibus omnibus peractis fortis ille locus deſtruetur, totus orbis excindetur, omneſq; eius incolæ morte, & ea quidem crudeliſſima, delebuntur.

Apoc. 10.

Diuina id reuelatione ſcire videbatur Ioannes, cum in Apocalypſi ſcriberet, *In diebus ſeptimi Angeli cum cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium.* Quid denotant hæc omnia? quænam hic latent myſteria? demonſtratur, Deum, plurimis ſignis præmiſſis, quæ inſtar Angelorum ac nuntiorum mundi conſummationem inſtare denuntiantium futura ſunt, & poſtquam tuba, quæ vltimus nuntius futura eſt, ſonuerit, ad iudicium venturum, ac tum omnia myſteria finem habitura. E quibus omnibus manifeſtum redditur, multa & euidentia ſigna prodigiaque horrendum illum diem præceſſura; at ſigna adeo horrenda & formidanda, vt ſi eorum interdum recordari vellemus, aut eadem in mentem reuocare, cum qui iudex illic futurus eſt, in æternum non offenderemus. Ita namque id credit Salomon, vtque omnes id credant, conatur ſufficere: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Futurum eſt hoc hodiernæ concionis ſubiectum, in qua de tribus potiſſimum ſignorum generibus agendum erit, ſignis inquam in Sole, in Luna, & ſtellis, quæ vniuerſale illud iudicium antecedent. Interea autem dum de his indiciis & ſignis iudicij prænuntiis, acturus ſum, ſigna quæſo beneuolentiæ & attentionis ſedulæ mihi demonſtrate. Incipimus.

Eccl. 7.

Inter omnia ſigna & prodigia, quæ horrendum illum Domini diem præcurrent, ſigna in Sole velut prima, Prophetæ & Euangeliſtæ poſuere, eaque velut præcipua & maxime formidanda in primo agmine collocarunt, & merito quidem. Nam quemadmodum decrepitæ ſenecturis indicium eſt oculorum lippitudo, viſus amiſſio, membrorum tremor & concuſſio, & omnis caloris naturalis defectus: ita quoque ſi oculi mundi in ſenſum declinantis caligare incipiunt, ſi Sol & Luna lumine ſuo deſtituantur, ſi ſol obſcuretur, & luna lumen neget, ſi omnia mundi membra tremant ac febris ardore concutiantur, (*Et erunt motus per loca*) manifeſtiſſima ſigna ſunt, finem eius & interitum imminere, iudicium extremum inſtare, atq; mox eum extinguendum.

II. Eoſdem cum in ſe defectus morboſque Iſaac Patriarcha perſpiceret, morti ſe vicinum agnouit, *Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat, vocauitque Eſau filium ſuum maiorem, & dixit ei, fili mi vides quod ſenuerim, & ignorem diem mortis meæ.* Dico igitur, verbis Patriarchæ huius inhærendo, cum duo illi oculi mundi caligare inceperint, & ſol cum luna obſcurari; certiſſimum hoc argumentum eſſe, mundum in ſenium vergere, eiuſque finem atque excidium inſtare; quibus viſis merito dicere poterimus, *Iuxta eſt dies perditionis & adeſſe feſtinant tempora*, & inprimis cum vaſti huius corporis membra trement & concutientur.

Gen. 27.

Matt. 24.

Ingentes terræ motus futuri ante mundi finem.

Aſt adeo terribiles & violentæ hæ conceſſiones futuræ ſunt, vt turres etiam excelſiſſimæ iiſdem euertendæ ſint, arces ad terram proſternendæ, vrbes in ruinas ac rudera redigendæ, montes etiam altiſſimi, petræque duriſſimæ cõcutiendæ, homines præ metu & horrore vociferaturi, ipſi quin etiam Angeli trepidaturi. Vnde hoc conſtat?

Digitized by Google

Matt.24. Luc.21. Ex textu Euangeliorum: *Virtutes cælorum mouebuntur.* Non ſunt horum verborum exoticæ quædam aut nouæ expoſitiones cudendæ, nec per virtutes has cœlorum influxus aliqui cœleſtes intelligendi, qui tunc nimirum mouendi ſint, id eſt, diſtemperandi: quaſi vero virtutes illæ quæ hæc inferiora dirigunt ac moderantur, illo die omnia confuturæ ſint, atque vniuerſam rerum machinam turbaturæ. Non ſunt præterea per virtutes has cœleſtes, Angeli illi intelligendi, qui cœlos mouent, dirigunt, impellunt: quaſi vero eorum tunc moderamen abiectum ſint, ipſique cœlorum orbes huc illucque, rectoribus carentes, ſine vllo ordine, aut menſura at promiſcue euagaturi. Quamuis hæc interpretatio aliquomodo tolerari queat, & Apoſtolus hic viſus ſit reſpexiſſe, cum in Epiſtola ſua Canonica ait: *cæli magno impetu tranſient*; id eſt, promiſcue, nullo ſeruato ordine ferentur. Item Iſaias Propheta: *Super hoc cælum turbabo, & mouebitur terra de loco ſuo propter indignationem Domini exercituum.* Tamen de ipſis Angelis, de ſubſtantiis, inquam, illis, corporis expertibus, hæc capienda ſunt: qui cum quantitate ac dimenſione careant, & ſola virtute & potentia conſtent, vt ſcribit Euſebius, vere etiam virtutes cœlorum nominari queunt. Adeo vt Euangeliſta per verba hæc, *virtutes cælorum mouebuntur*, innuere voluerit, ipſos etiam Angelos viſo iudicii horrore trepidaturos. Vnde de diei huius amaritudine & terrore facile iudicare poſſumus, cum Angeli, beati illi ſpiritus hic tremant & percellantur.

2.Pet 3.

Iſai.13.

Matt.24.

Cur angeli die iudicij mouendi ſint.

Sed dicite mihi, obſecro ſanctiſſimi ſpiritus, cæleſtes, inquam, mentes, quam ob cauſam mouendi ſitis, vnde tremens ille motus proueniet? an fortaſſe, quod cœlos impellere ac moderari deſinetis? an vero, quod cura & ſollicitudo quam erga mortales ſemper habuiſtis, finem accipiet? an vero, quod in rigido illo ac ſeuero iudicio cum hominibus improbis condemnari, & ad inferos detrudi metuatis? Huius quidem opinionis fuiſſe videtur Chryſoſtomus, ſed ipſe ab eadem quam longiſſime abeſt: neque enim vllam eadem veri ſpeciem habet, hinc namque fieret nullam eos de beatitudine ſua certitudinem habere. Aliud [illegible] ſentiunt, atque aſſerunt, ideo potiſſimum, beatas illas mentes trepidaturas ac mouendas, quod tam horrenda ingentiaque prodigia conſpicaturæ ſunt. Reſpicere huc voluit Iob, cum ait: *Columnæ cæli pauent, & contremiſcunt ad nutum eius.* Iob.26. Quod Gregorius Pontifex exponēs ait: *Quid facient tabulæ quando tremunt columnæ*, id eſt, Angeli, qui ſunt velut mundi baſes, atque Atlantes, quibus cœlum & orbis innituntur: metuant igitur homines Therſita timidiores, arundines illæ leniſſimo vento moueri & concuti ſolitæ. Magiſter ſententiarum aliter adhuc locum hunc explicat, aitque Angelos idcirco motum iri, quod peccatores atque impios magna ſeueritate ac rigore à iudice Deo caſtigari videbunt, adeo vt & ipſi non parum formidaturi ſint. In quo imitabuntur filium quendam familias, qui dum videt patrem aduerſus ſeruos inſurgere, eoſque acriter caſtigare, ſibi nihilominus metuit, quamuis ſe tenerrime atq; vnice à patre diligi norit. Li.4.diſt.48.

At nihil horum mihi arridet, ô Angeli, aliam motus veſtri cauſam videor reperiſſe. Mouebimini ſcilic. quia ad res inſolitas, nouas, à nulla hominum memoria viſas vel auditas, & quas antea geri etiam poſſe negaueratis, vos rerum arbiter Deus deſtinabit. Accendetis nimirum ignem, tempeſtates ciebitis, tubas inflabitis, ſolem obſcurabitis, lunæ defectum cauſabimini, ſtellas cœlo deturbabitis. Quam opinionem Euangeliſta confirmans dixit: *Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis*, ſigna vbique, ſurſum ac deorſum, intus & foris. Luc.21.

Simile.

Cum pater aliquis familias in mortis articulo conſtitutus eſt, deq; eius iam vita medici deſperant, omnes domeſtici ſummo in luctu & dolore verſantur, famuli lamentantur ac gemūt, parietes pulla ac lugubri veſte conueſtiuntur, vicini & noti plorant, morientisque caſu ingemiſcunt: quæ omnia, teſte Auguſtino, magis ſunt ſolatia viuorū quam ſubſidia defunctorū: Ita quoque, cum homo qui magni huius palatij, mundi, inquam, caput eſt ac princeps, in extremis erit, & iamiam animā efflaturus; omnes creaturæ [illegible] Lib.1.de ciuit.c.12.

vt eius vſui ſeruirent, à Deo conditæ ſunt, lugubrem quemdam habitum induent, ac manifeſta doloris ſigna dabũt. Aues quippe garrire deſinent, beſtiæ horrendum in modum vlulabunt, herbæ exareſcent, fontes exſiccabuntur, montes trepidabunt, cœlum tonabit, ſtellæ cœlo decident, ſol deniq; radios atro tectus velamine abſcondet, & in hominis caſu, præ cæteris creaturis, ingemiſcet.

Apoc. 6. Teſtatur id in Apocalypſi ſua Ioannes: *Cum aperuiſſet ſigillum ſextum, ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus*, ſigilli huius apertio bene, mea quidem ſententia, & ex Sanctorum Patrum mente, ad iudicij tempus refertur. Solem vero nigreſcere ac cilicium induere, quid aliud eſt, quam manifeſtũ doloris, quem ex hominis ille calamitate habebit argumentum? ſignum quippe doloris eſt ac pœnitentiæ, cilicium geſtare. Sed ob duas potiſſimum cauſas oculus ille mundi lugubrem hunc habitum induet, & dolorem præ ſe feret.

Duæ rationes, ob quas Sol luctum induet in die iudicij.

Tunc nimirum, hominum impietate eorumque aduerſus creatorem ingratitudine perſpecta, ſimulque viſis peccatis quæ vindictam clamabunt, quin etiam viſo in omnẽ eos æternitatem, ſine vlla redemptionis ſpe tartareis ſuppliciis excruciandos; tum propter iuſtam iram, qua aduerſus impios accendetur, tum quod erga eos commiſeratione afficietur; quando nimirum cernet, malum eorum & exitium adeo vicinum eſſe, dolens quin etiam tanta ſe ingratis beneficia contuliſſe, motu nimirum ſuo illis ſuccurrendo, lumen præbendo, influxus ſuos communicando, pudore ſimul & pœnitentia commotus, radios retrahet, vultum abſcondet, mundoque caliginoſus, ater, cilicioque indutus (quomodo pœnitentes indui conſueuere) apparebit.

Saccus & cilicium mortificationis indicium eſt, vt ait Origenes, vel, vt Gregorius, apertiſſimum contritionis teſtimonium. Solem igitur in ſenectute ſua atque vltima ætate ſaccum & cilicium non aſſumere, non deſignat aliud: quã homines cum hoc prodigium perſpexerint, ſi ſalutẽ conſequi, diuinam vindictam declinare, & à tanta ſe calamitate immunes præſtare veline; ſaccum induere, cilicio membra domare, pœnitentiãque agere debere: atq; ideo, vt dixi, *ſol niger factus eſt: pro ſiet, tanquam ſaccus cilicinus.* Apoc. 6. Nec ſol modo, ſed & orbes cœleſtes, qui veluti parietes ac muri ipſius vniuerſi ſunt eodẽ ſchemate veſtientur. Teſtatur id Iſaias: *In increpati. ne mea induam cœlos tenebris, & ponã ſaccum operimentum eorum*; Iſai. 50. quaſi corpora illa cœleſtia dolerent, tot ſe hominibus adeo ingratis & impiis beneficia contuliſſe: vel quaſi eis compatiendo, hoc lugubri illos ſigno admonerent, vitam vt in melius commutarent, & pro delictis pœnitentiam, cuius ſaccus euidens argumentum eſt, agendo, à tanto ſe infortunio & caſu defenderet.

Niniuitarum Rex auditis Prophetæ interminationibus, ſententiaque mortis in ſe atque in vniuerſum regnum lata, vt eam auerteret, regnumque a funeſto exterminio tueretur, regium paludamentum in ſaccum & cilicium commutauit, edictoq; publico per cunctos regni terminos promulgato, eadem quoque veſte ſubditos omnes indui præcepit mandauitque, vt à viis prauis ad Deum conuerſi pœnitẽtiæ incumberent, diuinamque maieſtatem quam ad iracundiam prouocauerant, propitiam redderent. Ecce verba edicti: *Operiantur ſaccis homines, & conuertatur vir à via ſua mala.* Ion. 3. Non aliter etiam, diuino iudicio imminente, ſol, tanquam omnium inanimatarum creaturarum rex ſaccum, & cilicium induet, atque hunc omnis cœleſtis nobilitas, luna ſcilicet, planetæ, cæteræque ſtellæ imitabuntur, quo hac homines ratione commonefaciant, vt à peccatis abſtineant, itaque furorem diuini iudicij euadant. Erunt igitur ſigna in ſole.

O horror horrorum! ô ſpectaculum ſpectaculorum, exclamat Hieronymus, cum diei huius furorem ſignorumq; horum terrorem conſideraret. Quid? an non ſatis eſt, aquas ſumma montium cacumina tranſcendere? plãtas ſanguineo rore perfundi, domos ad terram proſterni, eiulare vrbes, aquas exæſtuare, homines ſimul & Angelos trepidare? an præterea neceſſe eſt ſolem vultum abſcondere, lunam pati deliquiũ, ſtellas moueri & deturbari: Neceſſe plane id erat, inquit III.

Grego-

Rationes, cur ſigna in ſole eſſe debeant. Gregorius; nam, cum omnes creaturæ ſoli homini velut principi ac domino obſecutæ ſint, ipſe vero peccando toties earum obſequiis abuſus, cur, quæſo, aduerſus eum in illa die non exſurgant, vt eum percellant, eique horrorem ac metum incutiant; & præſertim ſol, luna & ſtellæ? Erunt igitur ſigna in ſole.

Simile. Neceſſario id ita debere fieri refert D. Thom. Si enim vniuerſa familia ad injuriam patrifamilias irrogatam commouetur, atque eandem vindicare deſiderat: ſi rege injurijs affecto omnes ſubditi eaſdem ſumptis armis vlciſci contendunt: cur, quæſo, creaturæ non concitentur, cũ tam enormes & graues creatori ſuo ac principi irrogatas injurias conſpiciantur; cur nõ in vltimo illo die judicij omnes arma ſumant, quibus inimicos principis ſui debellent, deque illata injuria vindictam ſumant, atque eius partes tueantur? Aliquid innuere voluit Sapiens, cum ait: *Omnis creatura tibi creatori deſeruiens excandeſcit in tormẽtum aduerſus iniuſtos.* Atque ideo ſigna in ſole futura ſunt. Atque hoc eſt, iuxta ſententiam Chryſoſtomi, rationi quam maxime conſentaneum, ſi enim omnes creaturę ad vnius hominis vſum conditæ ſunt, atq; ipſe earum caput conſtitutus ac princeps (de quo ſcriptum legimus: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris:*) an non æquiſſimum eſt, eaſdem lachrymis, luctuſque ſignis inſolitis, principis ſui caſum deplorare, iiſdemque oſtendere quo in eum animo & affectu ſint; & præſertim cum extremo in diſcrimine verſatur? Et ſi in amara Paſſionis Dominicæ die, inſenſibiles creaturæ, ſenſum quendam habuiſſe viſæ ſunt, doloremque haud mediocrem demonſtraſſe, cum Creatorem ſuum morientem viderent? Si ſol radios retraxerit, caligine ſe cooperuerit, ſi cœlum nubes texerint, ſi terra tremuerit, ſi petræ ſciſſæ ſint, & monumẽta aperta, ſi nulla denique tunc creatura fuerit, quæ in ſupremo illo Conditoris omnium conflictu ac certamine luctum lamentaque non præ ſe tulerit, cur non & ipſum faciat in magno illo iudicii die, cum hominem qui earum rex eſt & dominus, in mortis articulo, & quidem æternæ, viderit

Sap. 16.

Pſal. 8.

eſſe conſtitutum? *Erunt* ergo proculdubio *ſigna in Sole.*

Id autem ita fieri debere putauit Auguſtinus: cum enim homo è duobus compoſitus ſit, ſpiritu nimirum & carne; veriſimile eſt, Deum cum ad hominem judicandum venerit, vtrumque hoc etiam adhibiturum, quo nimirum aduerſus eum iuſtitiam exerceat, & creaturas ſenſibiles vna cum inſenſibilibus aduerſus eumdem armaturum: *Erunt* itaque *in Sole ſigna*, ecce ſenſus expertes.

Adhæc, vt noſtrum huc etiam ſymbolum afferamus, eſt etiam longe æquiſſimum, hæc prodigia contingere: quemadmodum enim ciuitas quæ dudum tyranni cuiuſdam jugo preſſa fuit, illo eiecto, arma aduerſus eum capit, inque eius perniciem cum omnibus ciuibus conſpirat: Ita etiam mundus, qui ingens quædam ciuitas eſt, cuius peccator vi & tyrannide dominatum inuaſit, & quem toto vitę tempore poſſidet, & in quo omnes ei ciues, id eſt, creaturæ, inuitæ licet, parent & obſequuntur: cum in vltimo iudicio tyrannum hunc eiici viderit, arma ſumet, vires aduerſus eum exeret, omnes creaturæ quæ huius Reipubl. ciues ſunt, in eius perniciem & interitum conſpirabunt, ac bellum eidem crudeliſſimum indicent. Vnde Sapiens: *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Ideoq; *erunt ſigna in Sole.* Sap. 5.

Nemo igitur miretur, ſi tot ſigna & prodigia & maxime in ſole, horrẽdum illum diem præceſſura ſint: nam quoniam tunc poſtremus dæmonis conflictus futurus eſt, veriſimile eſt, omnes eum creaturas in aciem producturum, & aduerſus hominem concitaturum; ſi enim, antequam templum Ieroſolymitanum excinderetur & profanaretur, varia in eodem prodigia viſa & audita ſunt, vt Ioſephus & Hegeſippus tradunt; cur judiciũ extremum plurima etiam ſigna, velut calamitatis & excidij generalis pręambula, quo pulcherrimum mundi huius templum euertendum eſt, non præcedant?

Occurrit mihi & alia horum ſignorum ratio. Tantopere ſcil. Deus peccatum hominum deteſtatur & odit, vt mutas etiam ob

Digitized by Google

idipſum creaturas puniat; quod nimirum illæ peccato viam ſtruxerint, occaſionem dederint, peccatorique obſecutæ ſint. Quod è Sacris litteris abunde confirmari poteſt. Iuſſit olim in Deuteronomio Deus in vrbis cuiuſdam impiæ direptione, omnia ferro & flāma deleri, ipſos etiam muros vrbis. In Exodo voluit etiam beſtias ſceleris abominandi administras expiari. *Qui cum iumento peccauerit, moriatur & iumentum.* In Ioſue vero ipſa ſaxa & lapides vltionem ſenſere. At quoniam omnes omnino creaturę toties peccatoribus auxiliatę ſunt, eorumq; in ſceleribus adminiſtrę & ſociæ extiterunt; ideo par eſt, eaſdem etiam vindicem Dei manum perſentiſcere, diuinæque juſtitiæ flagellum experiri, ac notas iracundiæ in ſe oſtendere, & inprimis lucidū illud aſtrum ſolem, qui eiſdem velut famulus obſequētiſſimus ad nutum famulatus eſt, lucemq; prębuit, cum vitiis operam darent. Æquum eſt igitur, & rationi quam maxime cōſentaneum, ſigna & prodigia in creaturis apparere, & præſertim in Sole.

Exod. 22.

David Vates cum eminus hæc ſigna conſpiceret, obſtupeſcens exclamat: *Oſtendiſti populo tuo dura*, intellige ſigna, id eſt, prius quam ad iudicium venias, ſigna prodigioſa pręmittes. Iob quoque cum pluribus vitæ huius vanitatem, ac miſerias deſcripſiſſet, mox ſubiungit: *Et dignum ducis ſuper huiuſce modi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Contra folium, quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam.* Non enim videtur æquum Domine adeo fragilem te, te, inquam, creaturam tam acriter inſequi, totque præuiis ſignis eam perterrere, nec te aduerſus eum inſurgere. Satius ſcilicet foret, Angelo cuidam hocce negotium committere. Vlterius ne tēde, vir ſanctiſſime, eſt namq; neceſſarium, vt hæc omnia eueniant, & docuit Sacra Scriptura, ſigna in ſole futura.

Pſal. 59.

Iob. 14.

Tunc igitur ô aſtrum lucidiſſimum, horrendæ huius diei præ cæteris creaturis ſigna dabis? Prædixiſſe id olim viſus eſt Moyſes, cum de te deq; ſorore tua Phœbe locutus eſt: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem: & ſint in ſigna ac tempora.* Fuiſtis quidem ambo hactenus in ſignum, tu diei & illa noctis, indicatis adhæc horas & mēſes, pluuias & grandines præſignatis; at eritis etiam in fine mundi futuræ calamitatis miſeriarumque imminentium indicium & ſignum. Confirmat id Scriptura dicens: *Erunt ſigna in Sole.* Quid? anne in Sole?

Gen. 1.

Matth. 24.
Luc. 21.

Quid! oculus ille totius vniuerſi diei delicium, cœli decus, totius vniuerſitatis columen, omnium planetarum princeps, omniū mobilium ſummum, omnium horologiorū director, influētiarum theſaurus, ſummi Dei imago, in ſignum adhuc futurus eſt, qui toties ante in ſignum fuit. In libro enim Ioſue eundem legimus fixum ſteiſſe, mediumque curſum interrupiſſe, vt populo Dei in ſignum victoriæ foret. In libris regum decem cū gradibus retrocedentem videmus, vt regi piiſſimo reſtitutæ ſanitatis indicium foret. In die Paſſionis Dominicæ vidimus deliquium paſſum, atque intra nubila ſeſe occultantem, vt hac ratione oſtenderet morienti ſe creatori compati. Porro iterum in ſignum futurus eſt, quando vniuerſa hæc rerum machina diſſoluetur, tunc ſcilicet cilicium induet, atroque velamine ſeſe cooperiet, vt hominis ſe caſu & calamitate affici oſtendat, ac proinde apparebunt ſigna in Sole.

Sol toties in ſignum fuit.
Ioſ. 10.
4. *Reg.* 20.

O ſigna horrenda, ac vere terribilia! quænam porro videtur ratio tot tantorumque ſignorum producendorum? Rationes ſunt variæ ac multiplices. Primo, vt hinc colligeretur mundi finem inſtare; deinde, vt impiis, qui poſt paucos dies condemnandi ſunt, metus ac formido incuteretur; adhæc, vt his viſis peccatores in extremis illis diebus ad pœnitentiam conuerterentur, peccataque deſererent: poſtremo vt ex his mortales certiores redderentur, diuitias omnes in breui deſerendas, amplas has & ſuperbas domos propediē derelinquendas, turres excelſas & cœlo injuriam facturas, in cineres & fauillam redigendas, omnes denique voluptates ac delicias finem accepturas. Cuius rei figuram in libro Exodi legimus.

Rationes cur ſigna horrenda iudicium præceſſura ſint.

Cum Deus peruicaciam ac duritiem impij Pharaonis caſtigare diſpoſuiſſet, omnia prius Ægypti idola confregit, & ad terram deiecit; adeo vt eadem ipſa qua Ægypto Hebræi egreſſi

Exod. 12.

Digitized by Google

greſſi ſunt nocte, omnia ſimulacra in fruſta comminuta ſint. Ita quoque vnum è præcipuis futuræ egreſſionis mundi huius ſignum erit, omnium rerum, quas peccator, nouus ille Pharao, velut idola quædam adorabat, vt ſunt caſtella, palatia, deliciæ & facultates, deſtructio & euerſio: cuius rei euidens in ſole ſignum videbimus, & non minus etiam in luna: de cuius ſignis jam loqui incipiamus, vt ita ad alteram orationis partem deſcendamus, in qua noua ſigna cernere licebit.

IV. Apparebũt etiam ſigna in luna. Neque enim ſolus ſol ſigna & prodigia editurus eſt, ſed etiam luna, quæ partibus ſuis hic quoq; non deerit, nec fratri hac in re concedet. Tunc namq; cornua amittet; ſcriptum eſt nempe, *Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo* (*Iſai.* 13.) Ezechiel vero ait, *Operiam: cum extinctus fueris cœlos, & nigreſcere faciam ſtellas eius: ſolem nube tegam, & luna non dabit lumen ſuum.* (*Ezech.* 32.) Ioel autem, *Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum* (*Ioel* 2.) At Euangeliſta, *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo* (*Matth.* 24.) Apoſtolus Petrus, *Sol conuertetur in tenebras & luna in ſanguinem, antequam veniet dies Domini magnus & manifeſtus* (*Act.* 2.), & poſt omnes in Apocalypſi ſua Ioannes; *Sol factus eſt niger, ſicut ſaccus cilicinus & luna facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ ceciderunt de cœlo ſuper terram.* (*Apoc.* 6.) Deſuntne igitur nobis ſacræ ſcripturæ loca, è quib. aſtruamus, ſigna in ſole, luna & ſtellis futura?

Cur Luna apparitura ſit rubicũda. Sed cur ſanguineum potiſſimum tunc luna colorem induet? cur rubeſcet? anne indicare vult, inſtare procellas, turbines, & tempeſtatem; iuxta illud, *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat?* forſitan, vt nobis mortem, ſtragem & totius mundi interitum inſtare demonſtraret. Tamberlanes totius Orientis terror, vrbes cum obſidione premeret, quæ ſe primo die victoris poteſtati tradere detrectarent, altero die ſanguinei coloris tentoria explicabat, vt hinc obſeſſi intelligerent, omnia, ni ſe dederent, morti, ſtragi, & cædi eſſe deſtinata. Hoc ipſum quoque de rubicundo lunæ colore dicere quid vetat? At erit fortaſſe præſagium, è quo de triſti totius vniuerſi ruina excidioque ominari licebit? quod verius exiſtimo, quodque figura quadam è veteri teſtamento deprompta confirmabo.

Exod. 12. Antequam Iſraelitæ Ægypto egrederentur, omneſque Ægyptiorum primogeniti ab Angelo mactarentur, poſtes & ſuperliminaria agni immolati ſanguine tingi voluit Deus. Ita quoque antequam mundi hæc machina eſſe deſinet, omneſque à Deo creaturæ occidentur (quod circa finem mundi accidet) ſuperliminaria illa & tigna magni huiuſce mũdi palatij, ſol inquam & luna, rubicundo & ſanguineo colore tingentur. Hinc in Apocalypſi legimus, *Et luna tota facta eſt ſicut ſanguis.* (*Apoc.* 6.)

Signa in ipſomet Chriſto, qui ſol eſt. Et ſane quando oculos in ſplendidos illos planetas conijcio, eoſdemq; attentius intueor, nouos in animo conceptus efformo. Et quid? diceris, attendite, paucis aperiam. Sol ille, qui triſtitię illa ſigna pręſeferet, Chriſtum Redemptorem, Luna vero Deiparam Virginem Mariam, ſtellæ autem vniuerſum ſanctorum cœtum denotare videntur. Quot, Deus bone, ſol ille, luna ac ſtellæ terribili illo die ſigna dabunt? In Chriſto imprimis, qui toties in ſacris litteris ſolis nomine nuncupatur, (vt in illo loco Malachiæ, *Orietur vobis timentibus nomen meum, ſol iuſtitiæ*) (*Malach.* 4.) ſigna horrenda, ſigna vltionis, iuſtitiæ, atque iracundiæ apparebunt. Tunc nimirum ſol ille obſcurabitur, tunc obtenebreſcet, tunc miſericordiæ radios monſtrare deſinet, tunc benignitatem peccatoribus denegabit, tunc nimis ah ſera erit pœnitentia. Hoc eſt nempe quod Samuel olim dixit, *Porro triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine nõ flectetur* (1. *Reg.* 15.), quod teſtimonio deinde ſuo confirmat Salomon: (*Prou.* 6.) *Zelus & furor viri*, id eſt, Chriſti Ieſu, *non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus nec accipiet pro redemptione dona plurima.* An nõ igitur ſigna hæc in ſole, luna, & ſtellis horrenda ſunt? Sed erunt & alia, & quidem longe maiora, ac numquam prius viſa, nimirum paſſionis Dominicæ inſignia, glorioſum vexillũ crucis ac trophæa montis Caluariæ: *Tunc parebit ſignũ filij hominis*, ecquę Deus bone ſigna? (*Luc.* 21.)

Erunt, vti dixi, ſigna præterea in luna, in glorioſa inquam Virgine Maria quæ toties in li-

in libris ſacris lunæ nomine dicitur, (*Pulchra vt luna*) Eheu! reſplendens illa luna, lucidum illud aſtrum, mater gratiæ ac miſericordiæ, modo quidem in hæc inferiora, noſque homines ſanctum influxum ac lumen emittit, peccatoribus quoquo modo auxiliatur, adeſt, ſuccurrit, pro iiſdem apud filium orat & ſupplicat, veniamque obtinet: ſed in die illa horrenda, *erunt ſigna in Luna*, & quidem horrenda; non enim dabit *lumen ſuum*: mera tunc nox erit, vndique horror & tenebræ, & caligo denſiſſima. O triſte ac lugubre nuntium; ô verba metuenda ac formidinem incutientia!

Matth. 24.

Signa in Virgine Maria.

Illa Virgo, fons ille miſericordiæ, gratiarum Oceanus exuberantiſſimus, quæ vniuerſo mundo ſalutem attulit, quæ commune omnium peccantium refugium eſt, miſerorum ac deſperantium aſylum ac pharos, ad quam omnes omnino mortales in vitæ huius nauigatione reſpiciunt; tunc lumen ſuum amiſerit, immitis, dura, immiſericors erit, benignitatis viſcera exuet, ſanguinem ſpirabit, vindictam in peccatores exercebit, flammiſque eos acribus addicet. Tunc igitur vere Luna obſcurabitur, & ſigna in Sole & Luna apparebunt.

Luna, vt Aſtrologi docent, ipſaque experientia demonſtrat, quo à ſole remotior, quo & clarior eſt: & quo ei redditur vicinior & plenior, quo & obſcurior: ac tum deliquium pati ſolet. Idem omnino de Virgine hac credendum eſt: nam quamdiu in hac vita agimus, à filio illa ſuo videtur abeſſe quam remotiſſime; peccatoribus tamen tunc maxime illucet, ſuis apud filium precibus pro iiſdem intercedendo, auxiliumque iis ſuum oſtendendo. Sed in horrendo illo die, filio ſuo, ſoli juſtitiæ, quam proxima futura, ac beatitudine pleniſſima, deliquium patietur, lumẽ denegabit impiis, vt cum hoc mundo in interitum ruant; ſanguineum adhæc colorem induet, ac furore & iracundia in peccatores accenſa, eoſdem ad necem & mortem ſempiternam proſequetur.

Eſth. 7.

Regina Eſther cum aduerſus Aman Purpuratum exacerbata, eundem ad necem quæſiiſſet, ſtatim quod petiit obtinuit, mox enim vt poſtulata Aſſuero regi propoſuit, Aman in crucem actus eſt. Ad eundem etiam modum illuſtris illa totius vniuerſi regina, glorioſa mater & virgo vindictam in peccatorem, qui verus ille mundi huius purpuratus eſt, poſtulans, quamprimum à filio exaudietur. Tunc quoque, quod notandum eſt, atque è quo iram eius colligere licet, omnia impiis beneficia & gratias, quas eius aliquando patrocinio & interceſſione obtinuere, exprobrabit; quo illis hæc omnia in maius iudicium cedant, maioriſq; damnationis ſint occaſio: Forſitan & illa Ieremiæ verba ad filium ſuum, qui tunc velut Iudex præſidebit, commota & exacerbata habebit: *Recordare, quod ſteterim in conſpectu tuo, vt eloquerer pro iis bonũ, & auerterem indignationem tuam ab eis: propterea reduc eos in manus gladij.* Exclamare igitur mihi licet, ô ſigna, ô prodigia, ô res penitus admirabiles!

Ierem. 18.

Erunt adhæc etiam prodigia in ſtellis; eheu quã luctuoſa hęc prodigia erunt, quantamque calamitatem portendent? Quando enim lictores capitales veſte ſanguinea, aut lugubri induti apparent, & tuba jam inſonat; ſignum eſt maleficum quendam jamjam ad ſupplicium rapiendum: Ad eundem etiam modum, quando ſol, luna & ſtellæ, quæ ſunt veluti ſatellites & adminiſtratores ſummi illius Prætoris Chriſti (*ignis, grando, nix, glacies, & ſpiritus procellarum, faciunt verbum eius*) accinctæ erunt juſtitiæque habitum aſſument; Sol nimirum tenebras, luna ruborem & colorem ſanguineum; ſtellæ vero deliquium; & quando tuba illa horribilis per ſepulchra regionum mirum ſonum ſparget: an non tum colligere licebit, peccatores jamjam cõdemnãdos eſſe, & æternis ſuppliciis mancipãdos?

Pſal. 148.

Sed neceſſe ne erat, prodigia in ſtellis apparere? an non ſufficiebat, eadem in duobus illis luminaribus maioribus conſpici? an non ſatis erat, ſolem obtenebreſcere, lunam rubicunda veſte indui, vt & in ſtellis ſigna eſſe neceſſe fuerit? Quid ni? Cur non eædem ſint in ſignum, & velut præcurſores ſecundi aduentus Domini, cum fuerint & primi: ita namque Herodi Magi locuti ſunt:

Vidimus

Digitized by Google

Matt.2. *Vidimus ſtellam eius in Oriente*: & alius Euangeliſta ita de ſecundo aduentu aſſerit. *Erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis*: deinde & alibi, *& ſtellæ cadent de cœlo*, id eſt, cadere videbuntur, Matt.24. vt ab aliis aliquib. eadem verba exponũtur; vel, vt ab aliis, obſcurabuntur. Alij vero per has ſtellas, nonniſi cometas quoſdam in aere creatos, & impreſſiones quaſdam meteorologicas deſignari putant, quæ ſtellæ quædam cœlo, id eſt, aere, decidentes eſſe, videbuntur, eo loquendi modo, quo in ſcriptu- Pſal.6. ris aues quæ per aera volitant, *volucres cæli*, dicuntur.

Aliter hæc intelligit Origenes, aſſeritque per ſtellas has viros doctiſſimos, & magna rerum cognitione præditos intelligi: quaſi plurimi eorum, quamuis in religione ſint firmiſſimi, atque ad inſtar ſtellarum reſplendeant, Antichriſti præſtigiis & verſutiis in fraudem inducti ac circumuenti, cœlo caſuri ſunt, id eſt, æterna beatitudine priuandi. Nec id omnino abs re: nam ad eundẽ modũ Dan.2. Sanctos in Daniele Propheta ſideribus comparatos legimus, *Deiicit de fortitudine, & de ſtellis conculcauit eas*, in quibus verbis Hebræa Lib.30. phraſis, *Deiecit* pro *deiiciet*, obſeruanda eſt. Moral. c.10. Quod Gregorius clarius adhuc exponens ſcribit, *Quia nonnullos & luce iuſtitiæ reſplendentes, & virtute operis robuſtos Antichriſtus franget*. Quod & Ioannes in Apocalypſi ſub viſionis cuiuſdam myſticę inuolucris aperte demonſtrat, dum dicit, draconem cauda ſua tertiam ſtellarum partem auulſiſſe: quod vnuſquiſq; ad libitum interpretetur: equidem de Antichriſto hoc intelligi malim, qui circa mundi finem, ad inſtar truculenti cuiuſdam draconis, graſſando & ſæuiendo, tertiam pene Sanctorum partem, qui à Deo deſtinati erant, vt veluti lucida quædã ſidera in cœleſti firmamento aliquando collucerent, cauda ſecum in perniciem & damnationem trahet. Ah Deus bone, ſi ipſæ ſtellæ firmamenti, quę fixæ eſſe videbantur, tunc deciſuræ ſunt: timeant terreni illi, qui nullo alio firmamẽto niſi mũdi inconſtantia, & vanitate nituntur, timeant inquam, ne in interitum ruant.

V. [...]cti ſtel[...] compa[...]tur. Sed nondum veri ſcopum attigimus: nam quoniam Chriſto ſolem, Mariæ lunam comparauimus, neceſſe quoque eſt per ſtellas, de quibus hic agitur, Sanctos intelligere, idque ex mente ſacræ ſcripturæ, & præſertim Apoſtoli, *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia ſtellarum*, id eſt, vt non eadem omnium ſtellarum claritas eſt & ſplendor, ita quoq; nõ eadem Beatorum in cœlis eſt gloria. Hoc nomine & ſanctos nominauit, *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Dan.12. In Apocalypſi etiam video mulierem in capite coronam duodecim ſtellarum geſtantem, Apoc.12. ac per eandem deſignari arbitror Eccleſiam, quæ duodecim Apoſtolis non ſecus ac duodecim ſtellis lucidiſſimis, coronata ſit.

Et ſane, ipſi Sancti ſæpius in ſacris litteris ſtellis comparantur, & non immerito: nam quemadmodum ſtellæ cœli gloria ſunt, ac veluti gemmæ & vniones, & cœleſtium orbium ſpecies, vt eas nuncupat Salomon: ita Eccl.43. quoq; Sancti, qui modo in cœlis gloria perfruuntur, decus ac gloria Eccleſiæ dici queunt. Ac ſicut ſtellæ per diem latent, in tenebris vero reſplendent, ac tota nocte collucẽt, Sic etiam Sancti, interea dum in nocte vitæ huius ambulant, inter mundi tenebras, inter impios ſc. ac ſceleratos, in medio Eccleſiæ, virtutibus, bonis operibus, aliiſq; ędificationis exemplis reſplendent. Vt pluribus oſtendit Magnus Gregorius lib.4. Moralium, cap. 14. Vel fortaſſe, quod per diem dum lætior fortuna affulget, probi deliteſcere ſatagant, obſcuri eſſe eligentes meritaque non oſtentantes; in nocte vero aduerſitatis ac perſecutionis tenebris reſplendent, longeq; maiores eſſe videantur, vt aſſerit Bernardus.

Equidem aliam adhuc his comparationem ſubnectam: nam quemadmodum, iuxta philoſophos, ſtellæ in cælo fixæ ſunt, nec Serm.27. in Cantica. ſingulæ motu quodam particulari mouentur, at nonniſi mouente orbe cui infixæ ſunt, ſic & de Sanctis dicemus. Licet enim in hoc inferiori mundo viuant, eorum tamen conuerſatio in cœlis, atque eorum animæ Deo velut firmamento inhærent: neue aliam voluntatem aut motum à quo dirigantur habent, quam qui illis cœlitus infixus ſit; qui eos iuxta diuinum beneplacitum quocunq; dirigit & impellit. Ita namque olim neſcio quis locutus eſt, *In ipſo viuimus, mouemur, ac ſumus* Philip.14.

Act.17. *mus.* O ſtellæ præſtantiſſimæ, ſtellæ quæ ſigna dabunt & prodigia operabuntur!

Ac ſigna vere terribilia. Sic enim id prædixere Prophetæ,
Iſa 13. *Stellæ non expandent lumen*
Ioel.26. *ſuum*, ait Iſaias & Ioel, *Stellæ retraxerunt lumen ſuum.* Per ſtellas vtrinque intelligendi ſunt Sancti: tūc nobis ſuccurrere & auxiliari deſinent: eorum vero lumen, eſt auxilium & protectio, quibus nobis adſunt, ſunt preces, quas quotidie ob hominum ſalutem coram Deo repræſentant. Sed in terribili illa die ſigna in iiſdem apparebunt: tunc enim auxiliari, protegere, proque nobis intercedere ceſſabunt. Modo quidem inſtar ſtellarum fixarum in firmamento beatitudinis, nos illuminant, iuuant, ſuos nobis influxus communicant, at in lugubri illa die lumen detrahent, proque nobis interpellare deſinent. An non hæc terribilia quædam ſigna futura ſunt? tūc nimirum recitatæ litaniæ non proderunt, Sanctorumq; inuocatio caſſa penitus erit & inutilis, atq; omnes preces & auxilij imploratio in vanum fiet. Omnes adhæc ſancti cū Iudice Chriſto Ieſu cœlo, velut in aciem prodituri, egredientur, vt de inimicis vltionem ſumant. Docuit hoc me vates regius, qui de
Pſal.139. Sanctis ita vaticinatur, *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus* Per has exaltationes triumphantium iubilos intelligo, quibus victorias quas de inimicis retulere, coram iudice detonabunt: per gladios porro ancipites auctoritatem, quam à Chriſto accepere ad vniuerſum mundum cum eo diiudicandum, ac vindictam de illo ſumendam. Irridebunt ipſos præterea peccarores, ac ſexcenta in eoſdem infamiæ improperiorumque plauſtra exonerabunt, hæc forſitan
Deut.32. Deuteronomij verba vſurpantes. *Vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? ſurgant & opitulentur vobis: & in neceſſitate vos protegant.* Deinde, quod multo erit grauius, in interitu quoq; ac pernicie eorum videbunt, auditaq; damnationis ſententia in eoſdem prolata
Pſal.37. plaudent. Obſeruauit id Pſalmiſta cum ait, *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris* Denique aduerſus ipſos impios conſpiraſſe videbuntur, nam teſte Sapiente, *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt* An non igitur hæc ingentia ſigna in ſole, luna & ſtellis? Aperite igitur oculos veſtros Chriſtiani, atq; horum ſignorum tenorem vobiſcum diſpicite, videte ſigna in ſole, luna ac ſtellis, atq; horrēdum hunc diem iugiter ob oculos habetote, potens eſt enim nos è peccatorum cœno extractos in virtutis ſemitam reuocare, quia ſcriptum eſt, *Memorare nouiſ-* Eccl.7.
ſima tua, & in æternum nō peccabis. Neq; enim fieri poteſt, vt Deum offendatis, qui prodigia hæc futuri iudicij & ſigna præuia interdū in memoriam reuocat. Minima namque eorundem conſideratio, mihi credite, ad conſcientiam percellendam, etiam in peccando obſtinatiſſimam, & peccatis plurimis grauatos, conuertendos, & ad pœnitentiæ lachrymas eliciendas ſufficiat.

Tu porro omnium peccantium refugium, ac toti' orbis iudex Deus, gratiam, obſecro, nobis concede, vt ſæpius diei huius meminiſſe valeamus, vt nimirum viſis ſignis calamitates non guſtemus, vt audito tonitru, à fulgurāte manu tuti & immunes maneamus. Et præſta ô miſericordiæ Pater, vt quamuis ſol, luna, ac ſtellæ apertiſſima iuſtitiæ tuæ ſigna editura ſint, faciei tamen tuæ ſolis lumē nobis ſplendeat, neue miſericordiæ tuæ radij à nobis retrahantur, neu fax illa lucidiſſima in tenebras denſiſſimas conuertatur. Idipſum de luna, ſanctiſſima ſcilic. matre tua dictum eſto: ne videlicet illa defectum aliquem patiatur, ne lucidum illud aſtrum ſanguineo aſſumpto colore nobis comminetur, ne iraſcatur, inſurgat, ac vindictam de nobis ſumere præſumat, ſed interceſſionum eius iubar nobis iugiter adeſſe ac lucere dignetur: vtque ſtellæ id eſt Sancti, in noſtro ſemper hæmiſphærio fulgeant, rutilent ac ſplendeant, nec vllo vnquam tempore eorum influxibus, id eſt, precibus, ſuffragiis, atque interceſſionibus fruſtremur. Quo ſole, luna, ac ſtellis nobis, interea dum in hoc inferiori orbe commoramur, propitiis, ad æternam tandem gloriam ac beatitudinem peruenire valeamus, quam concedere nobis dignentur, Pater, & Filius ac ſanctus Spiritus, Amen.

FERIA

FERIA TERTIA.

DE HORRIBILI IVDICII DIE.

Partitio.

1 *De horrore diei iudicialis.*
2. *De ignorata illa & immeritoria noctu die.*
3. *De ignibus diei.*
4. *De tempeſtate in quatuor elementis.*
5. *De nominibus diei.*

Memorare nouiſſima tua, *atq; imprimis horrendum iudicij diem*, & in æternum non peccabis. *Eccleſ.* 7.

FIGVRA.

Deut. 32. MOyſes Propheta, calamitates & infortunia, quæ Deus ingratiſſimo populo interminabatur, prophetico ſpiritu cum præuideret, famem ſcil. bellum ac ferorum animalium incurſum, ſermonem concludens, diem quo illa omnia euentura erant: diem perditionis, deſolationis ac deſtructionis appellat. Senſu quidem litterali hic de Iudæorum calamitate flagelliſque qui in eos euibraturus erat Deus, locutus eſt, at allegorice & figuratiue diem iudicij delineauit, quæ vere dies perditionis, calamitatum, miſeriæ ac totius mundi deſolationes vaſtitatiſque futurus eſt: diem in qua non niſi ignes conſpicientur, non niſi tonitrua audientur, non niſi de morte erit ſermo, non niſi de bellis agetur, diem, inquam, terribilis iudicij: cuius vt anguſtias, & lugubrem cataſtrophen explicare valeamus, & Paraclitum Spiritum, ac ſimul ad Deiparam Virginem confugiamus, vt ille gratia intellectum illuminare, hæc vero precibus apud Filium ſuum nobis patrocinari velit, ſalutationem igitur Angelicam eidem offeramus:

AVE MARIA.

I. *Iſai.* 21. Euangelicus ille Propheta Iſaias cum exoticam quandam viſionem vidiſſet, eamque deſcriberet; ita ſermonem exorſus eſt: *Viſio dura nuntiata eſt mihi, propterea repleti ſunt lumbi mei dolore & anguſtia parturientis, corrui, cum audirem, conturbatus ſum, cum viderem, emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me.* Quænam hæc potuit fuiſſe viſio, quæ ſanctum hunc Prophetam adeo conſternarit, terruerit, concuſſerit? Viderat ſcil. in ſpiritu vrbem Ieroſolymitanam euertendam, ciues eius ferro delendos, bona ac facultates eorum diripiendas, altaria profananda & conculcanda, Sacerdotes iugulandos, & lapidem in ea non manſurum. Porro vnica hæc cogitatio in tantum eum perterruit, vt omni prorſus motu, ſenſu voceque perdita mori ſibi viſus ſit.

At aliam longe terribiliorem vobis hodie viſionem denuntio, Auditores, ac nuntia multo triſtiora affero: non vnam vrbem, nō vnam prouinciam, vel vnum regnum deſolandum, orbem euertendum, & in cineres ac fauillas redigendum. Viſionem, inquam, cui ſimilis nulla vnquam viſa eſt, in quam ſi vel tantum oculos coniicio, vndique concutior ac tremo, comæ præ horrore arriguntur, expalleſco, animus ac vox deficit, & ſanguis inſtar glaciei congelaſcit. Viſionem denique, quam priuſquam exponā, exclamare cogar cum Propheta: *Ollam ſuccenſam ego video*; cerno eheu diem ardentem, & flammeſcentem, *Ierem.* 1. incendio æſtuantē, ſed incendio nouo prorſus & inaudito, incendio quod deuorabit, delebit omnia, quodq; & imas montium radices exuret. Hinc de eo bene ſcripſit Moyſes: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitq; terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.* *Deut.* 32. Merito igitur exclamem, O diem horrendam, funeſtam ac lugubrem! ô diem inter cæteros dies metuendam, ac terribilem! Atq; hoc eam nomine & Paulus nuncupat: *Terribilis quædam exſpectatio iudicij eſt, quæ conſumptura eſt aduerſarios*, bene ait, *terribilis*, *Heb.* 10. nihil namque tunc in mundo reperire erit, q non horrorem ac metum incutiet, atq; ideo hoc eam ſchemate depinxit Gregor. Niſſenus: *Illic namque traſcetur iudex, elementa iracundiam præ ſe ferent, cœli furorem ſpirabunt, atque omnes omnino creaturæ aduerſus hominem inſurgent.* *Orat.* 2. *in* 1. *c. Gen.* Vere igitur dies terribilis, cui null

 vnqua-

vnquam ſimilis exſtitit, aut vllo vnquā tempore exſtabit.

Ezechias Rex cum procaces minas, quibus Rabſaces præfectus militiæ Regis Aſſyriorum, ſanctæ ciuitati Ieruſalem, totique adeo regno Iudaico inſultabat, audiſſet, adeo conſternatus & perculſus fuit, vt ſciſſis veſtibus ſaccoq; indutus, ad templū ſe contulerit, palatiiq; profecto & populi ſenioribus ad ſe vocatis, cilicio eos amictos ad Iſaiā

4. Reg. 19. Prophetam miſerit, cui hæc referrent: *Hæc dicit Ezechias, Dies tribulationis & increpationis, & blaſphemiæ dies iſte.* Si ſola militis proterui procacia magnanimum hunc principem adeo percelluerit, vt diem illum anguſtiatum, tribulationis & terroris nuncupauerit: quo nos pacto conſternari fas eſt, auditis comminationibus Ieſu Chriſti, totius vniuerſi Iudicis, auditoq; nuntio vniuerſam rerum machinam euertendam & exſcindendam? An non hic induere ſaccum oporteat, cineres aſſumere, & ad pœnitentiam recurrere? annon dies ille dies tribulationis, calamitatis & miſeriæ appellandus eſt?

Mardochæus Iudæus cum litteras ab Aſſuero Rege obtinuiſſet, quibus ei in Perſas Iudæis aduerſantes ſæuiendi licentia data erat, tradit Scriptura, ob quingentos vno die Perſas in Suſis internecione deletos, & decē de familia Aman in crucem actos diem illum

Eſth. 8. diem vltionis appellatum eſſe; *Et conſtituta eſt per omnes prouincias vna vltionis dies.* Quod ſi propter paucorum hominum necem dies illa, dies vltionis appellata eſt, quo nos quæſo nomine horrendam illam iudicij diem nuncupabimus, in qua omnia ſanguine madebūt, in qua maxima edetur ſtrages, in qua per omnes mundi angulos vindex gladius deſæuiet? Vere igitur dies hæc dies vltionis ac vindictæ dicenda eſt.

Dauid Vates cum diei huius mentio inci-diſſet, tantum eius horrorem terroremque eſſe ait, vt terra motu concutienda ſit, ac totus orbis formidaturus. Audite verba eius:

Pſal. 57. *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua, de cœlo auditum feciſti iudicium tuum, terra tremuit, & quieuit, cum exurgeret in iudicio Deus;* quaſi diceret: In die illa non homines duntaxat aut beſtiæ, ſed ipſa etiam ligna, rupes, petræ, & quicquid in terra eſt, quamuis inſenſibile, tremet & pauebit.

Plura adhuc habet Sophonias. Scribit enim tantum illius horrorem futurum, vt ipſi etiam Cæſares, Sampſones, Hercules, & quicumque viribus fuere nobiles, inſtar folij trepidaturi ſint. *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis:* ipſi quin etiam Angeli percellendi, quod teſtatur Scriptura: *Et virtutes cæli commouebuntur.* & dilectus multo Pſalmographus: *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, a facie Domini iudicantis, omnis terra.* Per montes illos, liquidos, angelos, aut etiā homines vitæ ſanctitate conſpicuos intelligere poſſumus, qui omnes præ metu ac formidine trepidabunt. — Sophon. 1. — Matt. 24. — Pſal. 69.

Fidelium omnium pater Abraham, qui toties in S. Scriptura amicus Dei vocitatur, cuique nullus vnquam virtute obedientiæ propriæque voluntatis reſignatione par exſtitit, cum rigidum hocce iudicium animo volueret, non mediocriter turbatus fuit, ac ſubito horrore perculſus, *Cum ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus atque tenebroſus inuaſit eum: apparuit clibanus ardens, & fumans, & lampas ardens.* Quæ verba ſanctiſſimus Auguſtinus exponens ait: *Clibanus ardens & fumans, ſignificat diem iudicij, in quo erit fletus & ſtridor dentium, in quo erit vlulatus & lamētatio, & tarda pœnitentia quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vſq; ad inferos* — Gen. 15. — Serm. 54. de temp. & Pſ. 103. conc. 3.

Vnus ex amicis Iob cum amarum hunc & lugubrem diem in mentem euocaret, frigido ſudore perfuſus, animique anguſtia preſſus dicebat: *In horrore viſionis nocturnæ quando ſolet ſopor occupare homines, pauor tenuit me & tremor & omnia oſſa perterrita ſunt.* Magnus Pontifex Gregor. in hunc Prophetam commentatus, verba hęc ſcitiſſime iudicio extremo adaptat. Bene autem mihi Iob viſus eſt diei huius memoriā *horrorem viſionis nocturnæ* appellaſſe; coincidit enim hæc appellatio cū verbis Prophetæ Sophoniæ: *Dies iræ, dies illa: dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis.* Horrenda profecto epitheta ac nomina metum ac formidinem pauidis incutientia, dies denique tremenda ac formidanda. — Iob, 4. — Lib. 5. Moral. c. 23. — Sophon. 1.

Hęc

Hæc eſt enim dies, cuius ſi iugem memoriam haberemus, in æternum nullis Deũ criminibus offenderemus. Noſtrę huic aſſertioni accedit Sapiens: *Memorare nouiſſima tua*, & imprimis horrendum iudicij diem, *& in æternum non peccabis*. Hunc vobis horrorem pluribus hodierna cõcione deſcribam, cumque vt ſemper ante oculos geratis, auctor & ſuaſor ero; & quoniam dies hæc, dies confuſionis ac perturbationis eſt, confuſe etiam, nulla ſeruata certa materia, ac ſine vllo ordine procedendum eſt: vos tantum benignas aures accommodate. *Eccl. 7.*

II. Nullus noſtrum eſt, Auditores, quin ſciat, idq; ſuadente fide, præter particulare vniuſcuiuſq; judicium, quod ſinguli, anima corpore jam egreſſa, ſubeunt, & in quo animę aut condemnantur, vel æterna beatitudine dignæ judicantur, eſſe & aliud vniuerſale atq; generale, in quo omnes omnino homines vnum in locum collecti pariter iudicabuntur. Sed quonam id die aut qua hora futurum ſit, penitus ignoramus: neque enim vlla id à nobis ratione ſciri poteſt. Eſt namque dies, cuius ortus non à ſolis directione, non à motu cœlorum, non à cauſis naturalibus, non à neceſſitate indiſſolubili immutabilique, neque fato, quibus omnibus vniuerſa ſcientia naturaleſque rationes innituntur, ſed pure, ſimpliciter, immediateque à Dei ſummi omnium rerum directoris voluntate dependent: ille enim agens quoddam liberrimum eſt, quod in operibus cogi aut violenter cõpelli non poſſit; de quo apud Pſalmiſtam ſcriptum legimus: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit*. *Pſal 39.*

Miraculum illud naturæ Ariſtoteles, qui res etiam profundiſſimas ſubtiliſſimaſque ingenii bolide explorauit, nunquam eatenus pertingere potuit, vt mundi initium inueſtigare, aut eius nouiſſe originem potuerit: adeo vt dicere coactus ſit, ab omni hunc æuo & ab ęterno extitiſſe. Porro ſi ſummus ille Philoſophus mundi initium & ortum ignorarit, multo magis finem illius & interitum: cum vtrumque ab eadem prorſus cauſa dependeat, & humani captum ingenij longe excedat. Quod igitur ſublimis Ariſtoteles nequit cõprehendere, quis, quæſo, noſtrum id intelligere aut inueſtigare præſumat?

Nullus enim Scripturæ locus eſt, è quo aliqua de eius certitudine haberi certitudo poſſit, ſed omnes eiuſdem libri docent, ſecretum id penitus eſſe & inſcrutabile: ait namq; Malachias: *Ecce venit Dominus Deus exercituũ, & quis poterit cogitare diem aduentus eius?* Zacharias vero: *Et erit dies vna, quæ nota eſt Domino, non dies neq; nox*. Ac poſt vtrumque Euangeliſtæ: *De die illo vel hora nemo ſcit, neq; Angeli in cœlo, neq; filius, niſi Pater*. *Malach. 3.* *Zach. 4.* *Marc. 13.*

Lucas Euangeliſta, qui etiam de Apoſtolorum geſtis luculentiſſimum commentariũ conſcripſit, refert primos illos Eccleſiæ Doctores, Apoſtolos cum huiuſce rei certi eſſe cuperent, idque à Domino, curioſitati ſatisfaciendi ergo, ſæpius poſtulaſſent, acriter ab ipſo reprehenſos ac taxatos fuiſſe, hisque caſtigatos verbis: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in manu ſua*. Perinde ac ſi diceret, nolite curioſe hoc inquirere, nolite de rei huius incertæ certitudine anxij eſſe, quam nec Angeli, nec ipſe filius Dei norint. *Actor. 1.*

Scio quidem, fuiſſe olim Rabinos quoſdã Hebręorum, qui de huius quaſi rei certitudine adepta gloriabantur, de quibus conſulere eſt Galatinum, & Picum Mirandulanũ. Credebant enim, mundum, quod ſex diebus cum omnibus omnino creaturis à Deo conditus fuerit ac perfectus, ad ſex annorum millia duraturum: eo quod mille anni in Scriptura aliquoties pro die vno capiantur (vt in illo Pſalmi loco: *Mille anni ante oculos tuos, tanquã dies heſterna quæ præterijt*, adeo vt qui ſex dierũ ſpatio conditus eſſet, ſex quoq; dierum, id eſt, ſex mille annorũ ſpatio euoluto eſſe deſineret, ac tum etiam iudicium fieret: Id autẽ tradunt ex Prophetia cuiuſdam Eliæ, quæ in Talmud, in tractatu de Sanedrin cap. Halec, & in tractatu de idololatria, cap. Libne, & in tractatu de Sabbatho relata eſt. Sed doctiſſimus Genebrardus, Aruernorum decus, ac Sorbonæ noſtræ lumẽ, eos erroris redarguit, & validiſſimis iuxta ac doctiſſimis rationib. euincit, non fuiſſe illam prophetiã Elię Theſbitæ, quem nos vt Prophetam tenemus ac ſuſpi- *Gal. 2. l. 4. c. 6. Picus. Miran. l. 7. Nephtali. c. 4.* *Pſal. 89.* *Initio Chron*

ſuſpicimus, ſed alterius cuiuſdam recentioris Cabaliſtæ nugiuenduli, qui ſuis ſimul & nobis hac ratione conatus eſt imponere: tandẽque ex ſentẽtia omnium ſanctorum Patrum, & conformiter opinioni meæ concludit, diẽ hunc nemini omnino mortalium cognitum eſſe.

Quod cum ita ſit, dico, diem hunc adeo funeſtum ac terribilem fore, vt, ſi eum homines comprehendere valerent, nullus omnino inter eos reperiretur, etiam audaciſſimus, animiq; inuictiſſimi, qui non timeret, ac concuteretur: Ioannes Apoſtolus, qui diuina duntaxat reuelatione, cum perſpectum habebat, cum vidiſſet ſcilicet iudicem flammãtibus & igniuomis oculis ſcintillantem, & cuius ab ore anceps gladius prodibat, adeo perterritus fuit, vt exanimis in terram corruerit. *Apoc. 1.* Quid hic audio, Deus bone. Ecce dilectus Deo diſcipulus, Chriſtique corculum, variis cœlitus prærogatiuis dotatus, quique ſupra pectus Domini in cœna recubuit, cum diem hunc nonniſi in ęnigmate contemplatur, tremit, palleſcit ac tantum non emoritur.

Ipſemet Redemptor noſter Chriſtus, cum Apoſtolis de hoc die loquens, inſolita eam quadam loquendi ratione depingit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi* *Matth. 24.* Eritne igitur hæc maior Domine, quam ipſa tribulatio diluuij, quam vniuerſa terrę ſuperficies aquis cooperta cum vniuerſis orbis incolis atque animantibus, ſenſit? *Gen. 7.* anne maior, quam afflictio Sodomitarum ac Gomorrhæorum, quando quinque ciuitates cœleſti incendio deflagrarunt? *Gen. 19.* anne horribilior quã Ægyptia, in qua fluuij in ſanguinem conuerſi ſunt, in ſerpentes virgæ, vrbes in ranarum paluſtria commigrarunt, atque omnes totius regni primogeniti ab Angelo exterminatore occiſi interiere? *Exod. 8.* eritne crudelior clade maris rubri, in qua Pharao cum vniuerſo exercitu in momento ſub vndis ſepultus pœnas dedit? *Exod. 14.* Sine dubio. Nam talis tunc tribulatio erit, qualis non fuit ab initio mundi, & qualem ſe quiſquam vidiſſe vel audiuiſſe non meminit.

Dies extremi iudicij

Erit igitur tunc, non dico dies, ſed obſcuriſſima quædam nox tenebris obſita denſiſſimis, qua nihil amplius promereri dabitur, nocti comparata. nox, inquam, de qua loquutus videtur Euangeliſta: *Venit nox in qua nemo poteſt operari*: *Ioan. 9.* nox denique, quam ſub parabolæ inuolucris Dominus ſpectandam dedit, *Matth. 20.* in qua de operariis in vineam miſſis eſt ſermo: idq; diuerſis diei horis, ſed qui omnes cum nox ingrueret, & tenebræ eſſent, mercedem ex pacto accepere. Denotat hęc parabola, quandiu vitę huius dies durat, nos à magno illo patrefamilias Deo, diuerſis temporibus & omnibus ætatis horis, in Eccleſiæ vineam mitti, vt dignos in ea pœnitentiæ fructus faciamus: at quamprimũ vt mortis iudiciiq; extremi nox ingruit, laborandi finem fore, amplius promereri nõ licere, pœnitentiam acceptã non eſſe, & ſtrenuos tunc operarios mercedem ex condicto recepturos: *vt recipiat vnuſquiſq; prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum ſiue malum*. *2. Cor. 5.*

Inſinuauit id etiam aliquomodo Pſalmographus, cum diceret: *Exibit homo ad opus ſuũ, & ad operationem ſuam vſq; ad veſperum*: *Pſal. 103.* ideoque quamdiu dies eſt, operandum eſt, nec à bonis operibus ceſſandum, at meritorũ meſſis colligenda: nam cum ſuprema iudicii nox aduenerit, amplius laborare aut promereri non licebit.

Apoſtoli cum tota nocte piſcati nihil prendiſſent, Domino ſuperuenienti dixere: *Tota nocte laborantes, nihil cepimus.* *Luc. 5.* Scio quidem hæc de obſcura nocte & tenebroſo peccati ſtatu intelligi, in quo dum quis detinetur, nihil meritorum aut virtutum comprehendere poteſt. Sed quid ni & de obſcura judicii nocte id intelligi queat, in qua fruſtra ingemiſcemus, omnis ſpes inanis erit, pœnitentia irrita, in qua bona deſideria nihil lucri afferent, nihilque amplius promereri poterimus, in qua nullus indulgentię, miſericordię, aut gratię locus? Hoc vobiſcum cogitate peccatores, nam quamuis tunc tota nocte laboretis, ploretis, ingemiſcatis, lamentemini nihil capietis: Operamini igitur dum tempus habetis, dum ſol in axe eſt, dum dies durat, & cogitate noctem ad operandum penitus inutilem eſſe.

Hæc enim videtur nox, de qua Salomon locutus eſt: *Solis autem illis ſuperpoſita erat grauis nox* *Sap. 17.*

nis nox imago tenebrarum, quæ ſuperuentura erat illis, in qua ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus echo, deficiẽtes faciebant illos præ timore. An non nox hæc imago noctis eſt illius horrendæ, de qua hic loquimur, noctis inquam, in qua petræ inter ſe collidentur, montes ad inuicem concutientur, animalia vlulabunt, homines lugubriter ingemiſcent, voces horribiles audientur, ac triſtia ſpectacula videbuntur, quæ cunctis terrorem incutiant? *are ſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione eorum, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.*

Luc. 21.

Matth. 25.

Anne recordamini noctis illius, quam nobis in parabola Seruator deſcripſit, in qua ſpõſo ad nuptias veniente, clamor factus ? cum quo virgines prudentes, ſumpto ſecum oleo, ad nuptias ingreſſæ ſunt, fatuæ vero, oleo deſtitutæ, excluſæ. In nocte hac veram noctis extremi iudicii imaginem cõtemplor, in qua nonniſi clamores, vlulatus, voces lugubres ac lamentabiles audientur. Erit quippe nox illa, in qua animarum noſtrarum ſponſus, Ieſus eaſdem ad æternę beatitudinis nuptias introducturus veniet: & tunc, quæ prudentes exſtitere, quarum ſcilicet lampades oleo inſtructæ ſunt, id eſt, quæ animam multis virtutum ornamentis cõdecoratam habuerint, magno cũ honore adoptatas illas agni nuptias admittentur, at ſtolidæ, id eſt peccatores, quarum lampades exſtinctæ erunt, igne ſcil. charitatis non collucentes, nec oleo bonorũ operum ſecum ſumpto, fores occluſas inuenient, neue ad beatitudinis nuptias intrabũt. Neq; enim tunc olei coemendi, meritorum coaceruandorum, pœnitentiæq; agendæ tẽpus erit: vitæ dies ad operandum conceditur, nox vero ad operandum inepta.

Exod. 16.

Quamdiu Hebręi in deſerto & inculta ſolitudine ſubſiſtebant, ſingulis diebus, præterquam Sabbatho, manna cælitus decidebat. Docemur his, diuinæ miſericordiæ manna, quamdiu in mundi deſerto degimus, magna copia, idque ſingulis vitæ diebus operi deſtinatis, decidere: at in extremi iudicii die, qui inſtar Sabbati futurus eſt, ac veluti omnium rerum quies, ne micam quidem miſericordiæ ad nos deſcenſuram, nec vllam tunc gratiam, aut indulgentiam exſpectãdam eſſe. Egregia quidem hæc figura, ecce & aliam.

Sex annis continuis agros excoli olim voluit Deus, ſeptimo vero anno omnes nouales eſſe & ab aratione quietem habere, *ſex annis ſeres agrum tuum, ſeptimo ſabbathum terræ erit.* Exod. 23.
Denotabat hoc conſcientiæ noſtræ agrum, ſex annis, id eſt, ſex vitæ huius ætatibus, diligenter excolendum, ac bonorum operum ſemente conſerendum: ſementis autem hæc, virtutes ſunt, merita, ac pœnitentiæ fructus. His enim annis euolutis ſeptimus aduenict, nempe Sabbathum illud æternum, in quo nihil amplius laborare, promereri, pati, ſubire poterimus, & in quo omnia ſancta piaq; exercitia finem accipient, *A modo iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Ideoq; magno nos affectu Paulus monet, & etiam atq; etiam adhortatur, vt dum tempus acceptabile habemus, dũ dies ſalutis adhuc in orizonte eſt, bonum operemur. Sed noctem hãc relinquentes, diem diſcutiamus, ac tragicum illum diem, de quo nouos & nunquam auditos conceptus producamus.

Apoc. 14.

2. Cor. 6.

III.

Prophetarum ille Rex ac regum Propheta Dauid, cum diei huius mentionem faceret, de eo non ſecus ac de diluuio quodam locutus eſt, *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno, veruntamen in diluuio aquarum multarum ad te non approximabunt.* Perinde ac ſi diceret, Nunc quidem ô æterne Deus, omnes ſancti noſtri patrocinium ſuſcipiunt, tibique pro nobis ſupplicant, ſed vbi horrenda & procelloſa illa dies aduenerit, cum nimirum omnes furoris tui aquę exundabunt, nemo pro nobis intercedere pręſumet. Reuocat hoc & aliud mihi in mentẽ quod refert Plut.

Pſal. 31.

Cleon vir in rebus gerendis induſtrius, cum ad reipubl. gubernacula ſuſcipienda euocatus eſſet, omnibus notis & conſanguineis vnum in locum vocatis ait, omnem ſeſe nunc amicitiæ, familiaritatis ac ſanguinis memoriam iuraque deponere, ne fortaſſe cęco quodam erga eos affectu abductus à iuſtitiæ tramite & æquo dijudicando deflecteret.

In tractatu de iis, qui rẽp. gerunt

ret. Idem hic de Ieſu Chriſto dicere velle videtur Pſaltes, qui à Patre ſuo ad vniuerſum hunc mundum judicandum vocatus, omnes amicos, dilectos ac ſanctos vnum in locum colliget (*Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant*
Pſal. 49. *teſtamentum eius*) priorique amicitiæ ac priſtino amori valedicere quodammodo videbitur, ne quam poſt hac ab eo gratiam, aut indulgentiam expectent. Hoc nempe eſt, *In*
Pſal. 31. *diluuio aquarum multarum ad te non approximabunt*.

Diluuio inquam penitus nouo, atq; horribiliori illo, quod tempore Noe orbem ſubmerſit, non enim aderit tunc arca, quæ hominum reliquias vndis eripiat: ſed erit diluuium ignis & flammarum exundantia, quo nomine id Daniel Propheta nuncupauit, *Fluuius i-*
Dan. 7. *gneus rapiduſque egrediebatur de ore eius*, atque i-
Pſal. 67. dem quidem qui ſupra Dauid, *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*. Ecquod Deus immortalis, illud erit diluuiũ, ecquæ conflagratio? longe profecto terribilior quam incendium Sodomiticum. Terribile quidem fuit, quinque ciuitates igne cœleſti deflagrare, vnoque pariter incendio in fauillas redigi, ſed erit, mihi credite, horribilius, eodem tempore videre Aſiam cum Africa fumantem, Europam cum America deflagrãtem, & per quatuor mundi angulos & cardines Vulcanum laxatis habenis debacchantem.

Gen. 19. Loth vxor cum Gomorrhæum incendium curioſius reſpectando vidiſſet, adeo repente exhorruit, vt in ſtatuam ſalis conuerſa, inſenſibilis, immobilis ac ſine vita permanſerit. Et ſane, nullum omnino hominem eſſe exiſtimo, qui ea quæ in extremo judicio euentura ſunt, fulmina inquam, atque orbis totius incendium reſpiciens attentiuſque contemplatus, non percellatur, vitæ rationem ac mores mutet. atq; inſtar ſtatuæ in rerum mundanarum affectu, guſtu, ſenſuq; immobilis & omnis ſenſus expers non reddatur.

Ioannes Babylonis exſcidium deſolationemque in Apocalypſi prænuntians, tam horrendam eam ac tragicam futuram eſſe ait, vt omnes tranſeuntes tanta rerum attoniti vertigine, ac caſu perculſi, cineribus caput conſpergendo, aeraque lamentis gemitibuſq; implendo, dicturi ſint, *Va, væ, ciuitas illa* Apoc. 18.
magna, in qua diuites facti ſunt omnes, vna hora deſolata eſt. Quid igitur dicturi ſunt homines, cum non vnius horæ, ſed longe breuiori ſpatio, vaſtam illam mundi vrbem in cineres & fauillam redactam cõſpicient? quos tunc gemitus, quas lachrymas, quos vlulatus edent? quanta tunc omnium erit anxietas, quanta anguſtia?

Ipſe quin etiam Redemptor noſter Iero- Luc. 19.
ſolymitanæ ciuitati appropinquans, eiuſque deſolationem excidiumque præſagiens, lachrymas effundere vbertim cœpit, itaque eiuſdem ſortem querulis vocibus deplorare: *Quia venient dies in te & circumdabunt te inimici tui vallo. & coanguſtabunt te vndiq;, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent lapidem ſuper lapidem*. Saluator, ecce, noſter vnius vrbis excidio ruinaque in tãtum permouetur, vt lachrymas fundat, gemat & ploret, tu autem effrenis peccator in omnia ſcelera effuſe, non moueberis aut flecteris, cum generalem & communem vniuerſæ mundi machinæ vaſtitatem ac ruinam conſpicaberis. Veniet enim, eheu! tempus, quo vniuerſus orbis vallo arctiſſimo circumcingetur, omnia peſſum ibunt, omnes jugulabuntur, ignis per omnia inualeſcet, mors vbique graſſabitur, omnia denique ad terram proſternenda ſunt, nec lapis ſuper lapidem manſurus. O excidium ſanguineis lachrymis deplorandum? ô ignem, ô diluuium!

Vere igitur tunc diluuium aquarum multarum, plurimarum inquam miſeriarum, exiſtet (hac enim nomenclatura ſæpius miſeriæ, & calamitates in ſacris libris appellantur,) quando nimirum ſummus ille Deus, ſummus Iudex, ac vindex, furoris ſui atque indignationis cataractas hactenus occluſas relaxabit, vt vniuerſum terrarum orbem diluuio inuoluat. Nam quemadmodum torrens rapidiſſimus, diu obicem & repagula paſſus, adeo tandem excreſcit & augetur, vt clauſtra effringens, repagulaque ſupergreſſus, omnia circumquaque cooperiat, & ſata læta boumque labores vnico momento atque impetu deſtruat: ita quoque rapidus

illæ

Digitized by Google

ille ac violentus diuinæ iuſtitiæ torrens, iam enim à quinque annorum millibus, aut amplius in ſuperno ille habitaculo retentus eſt, idque per obicem & remoram quam diuina miſericordia obiicit, per repagula quæ Dominica crux, ac ſanctorum omnium interceſſio opponunt, ſed in tantum nouis quotidie aquis accedentibus inflatur, vt in ſupremo tandem iudicio magna vehementia & impetu erumpens, vniuerſo mundo cladem & interitum ſit allaturus. Hunc mihi conceptum Iſaias propheta ſuggeſſit, dicens, *Ecce validus & fortis Dominus, ſicut impetus aquarum multarum inundantium*, atque apertius adhuc Dauid, *In diluuio aquarum multarum.* Hoc igitur mente volue anima mea, ac vide, ne hoc te diluuium inuoluat.

Iſai. 28.

Pſal. 81.

Ceterum torrens ille adeo violentus & impetuoſus exiſtet, tantiſq; inſurgens tempeſtatibus, vt Iob omnes mundi huius miſerias, calamitateſque enumerans, eaſdem vt leuiſſimas ac velut nullius momenti, earum reſpectu duceret, non ſecus ac ſi quis aquæ guttam cum vaſto Oceano compararet. Earum itaque magnitudinem admiratus, ait, *Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Vocat ecce afflictiones mundi huius, inter quas numerantur peſtis, fames, bella, aliæque calamitates, quæ Deo exacerbato cuiuis eueniunt, non niſi guttam. Quid? Omnia ne hæc ô Iob, non niſi ſtilla ſunt, cum iis quæ tempore iudicii euentura ſunt comparata? quantus igitur miſeriarum ille Oceanus erit quantumque diluuium.

Iob. 2.

Referam & alia longe mirabiliora, in illa etiam die ingens illa procella & tempeſtas ingruet, de qua toties Pſalmographus locutus eſt, *In circuitu eius tempeſtas valida.* Quando enim Iudex ille ad iudicium venturus eſt, tempeſtas, & fragores eius erunt velut anteambulones, tonitrua veluti tubam inflabunt, & fulgura coruſcationesque lateri eius non ſecus ac laterones aſtabunt. Et alibi, *Sicut ignis qui comburit ſiluam, & ſicut flamma cōburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos.* Symbolum quoque ſuum huc conferat, Iob, *Apprehendet eum quaſi aqua inopia, nocte opprimet eum tempeſtas.*

Pſal. 49.

Pſal. 82.

Iob. 17.

Hem quænam tempeſtas, quænam procella! erit profecto illa toti orbi communis, & quocumque terrarum diffuſa, perque omnia elementa deſæuiet, tempeſtas ſcil. in mari, tempeſtas in terra, tempeſtas in aere, denique per omnia mundi climata diſperſa, Quod diductius nonnihil in ſingulis declarabo. Erit igitur tempeſtas in mari: tunc namque venti carceribus ſuis erumpentes, perque Neptuni imperium laxatis habenis debacchantes mille naufragia cauſabuntur, fluctus concitabunt, aquas in altum tollent, Oceanum incendent, vndarum gurgites cœlo tenus eleuabunt, eoſdemque eleuatos ad ima barathri depriment, piſcibus horrorem incutient, adeo vt vndis relictis, ac liquido habitaculo, præ metu amareſcentes, anhelanteſque in littore exſpiraturi ſint. Ipſe quoque maris ſonitus & mugitus fluctuum, repercuſſioque reciproca adeo horribilis erit, vt homines ea audita propemodum ſint emorituri, *Areſcentibus hominibus præ confuſione ſonitus maris & fluctuum*, & in Pſalmis, *ſonuerunt & turbatæ ſunt aquæ*: item alibi, *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi, &c.* item alio in loco, *Non me demergat*, Deus meus, *tempeſtas aquæ.* Luc. 21. Pſal. 45. Pſal. 76. Pſal. 68.

Non minor quoque tempeſtas erit in terra. Tot namque in ea motus, concuſſiones, agitationeſque erunt, vt montes ad terram proſternendi ſint, arces & exſtructiones in ſublime euolaturæ, totus denique orbis ſedibus mouendus mutuaque colliſione euertendus: dicit enim Euangelium, *Erunt motus magni per loca.* Quæ tunc concuſſiones per omnia mundi loca exiſtent? omnia nempe à ſedibus imis & ab ipſis fundamentis mouenda ſunt, teſtatur id Pſalmiſta, *Mouebuntur omnia fundamenta terræ*, & alio in loco, *Moueatur mare, & plenitudo eius orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo.* Cuius rei rationem ſubnectit, *Quoniam venit iudicare terram: iudicabit orbem terrarum in iuſtitia & populos in æquitate.* Porro motus hi adeo vehementes erunt, vt terra ſedibus mouenda ſit locoque ceſſura: de quo hoc Iſaiæ teſtimonium

Tempeſtas per terram.

Marc. 13.

Pſal. 81.

Pſal. 79.

Iſai. 13. nium habemus: *Super hoc cœlum turbabo, & mouebitur terra de loco ſuo propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ*

Ierem. 4. *furoris eius*: item Ieremiæ. *Vidi montes & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati ſunt, intuitus ſum & non erat homo, & omne volatile cœli receſſit: aſpexi, ecce Carmelus deſertus, & omnes eius vrbes deſtructæ ſunt à facie Domini, & à facie iræ furoris eius.* Atque omnium grauiſſimum Ioannis in reuelationibus,

Apoc. 16. *Et terræ motus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram.*

Tempeſtas in aere. Tempeſtas quoque non minor in aere. Omnia enim tunc in tribus illis regionibus ſublunaribus in motu & tumultu erunt, prodibunt tunc ex illis fulgura, corruſcationes, tonitrua, fragores, grandinumq; copia:

Pſal. 96. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra*: item, *Miſit ſagittas ſuas & diſſi-*

Pſal. 17. *pauit eos: fulgura multiplicauit & conturbauit*

Apoc. 11. *eos.* & in Apocalypſi. *Et facta ſunt fulgura, & voces & terræ motus, & grando magna*: & mox

Apoc. 16. eodem in libro, *Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus eſt magnus & grando magna ſicut talentum deſcendit de cœlo in homines.* Quid igitur in die illa tremenda facturus eſt homo, in die illa procelloſa, quo te conferes? mare conſcendes vt enauiges? ſed ipſum tempeſtatib. horrendis infeſtum erit, deerunt etiam naues quæ exuſtæ erunt, ipſi quin etiam piſces incendium deuitantes pelagus deſerent, & abditos receſſus quærent: per agros diſcurres vagabundus & pauidus? non poteris, fulgura enim & tonitrua capiti tuo ſuperimminebunt. At nondum hic finis.

Ignis quoq; elementaris tempeſtatem experietur, ille namque extra ſphæram & orbem recedens omnia hæc inferiora conſu-

Pſal. 96. met: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quos hic inimicos intelligit? ipſos nimirum peccatores: ſcriptum

Pſal. 5. eſt enim, *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem*, ipſas etiam beſtias, plantas, terras, & ceteras creaturas, aquas omnes ignis deuorabit, eo quod peccatori in peccatis quodammodo lenocinatæ ſunt, atque inſtrumenta peccatorum & ſcelerum fuere: *Pluet ſuper*

peccatores laqueos, ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum, quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit. Pſal. 10. Hæ namque creaturæ, eius iuſtitiæ executrices erunt, *Ignis gran-* Pſal. 148. *do, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* O dies, ô tempeſtas! ô procella, qualis ab initio mundi viſa non fuit! nam Ægypti plagæ cum his comparatæ ludicrum quid ac propemodum nihil eſſe videntur. Ægypti ſiquidem flumina nonniſi in ſanguinem mutata ſunt, at pelagus & Oceanus tunc ignis naturam induet: in Ægypto nonniſi tenebræ ſpiſſæ fuere, at hic ſol vultum teget caligine amictus, luna quoq; deliquium patietur, ſtellæ adhæc lumen non dabunt: illic ſoli primogeniti ab Angelo percutiente occiſi ſunt, hic vero omnes homines vna cum beſtiis interibunt. Non ſatis tibi erit ô tempeſtas quatuor elementa concutere? vlteriuſne etiam progrediere?

Sine dubio, Auditores: nam ad ipſos vſq; cœlos eadem pertinget, omneſque globos cœleſtes concutiet, atq; huc trahere poſſumus verba illa Dauidis, *& in ira tua turbabis* Pſal. 82. *eos*, & maxime Iſaiæ, apertius illud innuentis: Eſai. 13. *ſuper hoc cœlum turbabo.* Porro tam horrenda tempeſtas hæc in cœleſtibus orbibus graſſabitur, vt omnes cœleſtes influxus ceſſaturi ſint, cœlorum motus finem accepturus, ſtellæ cœlo caſuræ, ipſi quoque ſpiritus eoſdem orbes dirigere atque impellere ſoliti, pauore & formidine percellendi, ſol obſcurandus, luna ſanguineum colorem aſſumptura, planetæ denique lumen negaturi. An non igitur horrenda hæc tempeſtas erit, cum nimirum virtutes cœlorum mouebuntur? adeo vt vere dies tempeſtatum appellari poſſit, cum per vniuerſa & per omnes mundi angulos eædem graſſaturæ ſint.

Toties de his olim locuti ſunt Prophetæ, & imprimis Ezechiel, *Erumpere faciam ſpiri-* Ezech. 13. *tus tempeſtatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandes in ira in conſumptionem.* Dicit plurali numero *tempeſtatum*, quia nulla tunc tempeſtas erit, quæ non graſſabitur, & nullus locus in quo non graſſetur, in cœlo nimirum, in aere, mari & terra, perque quatuor mundi cardines. Poſt hunc prodeat Daniel magni quoque

que

Digitized by Google

Dan.11. que nominis Propheta, *Quaſi tempeſtas veniet.* & Nahum, *Dominus in tempeſtate, & in*
Nahum.1. *turbine via eius.* Omnes ecce d em hunc tempeſtatem vocant. Exclamare itaq; vere poſſum: ô diem ſanguinolĕtum, funeſtum, terribilem! diem quem luculentioribus adhuc epithetis Scriptura inſigniuit.

Sophon.1. Sophonias enim Propheta de eodem agens, vocat illum diem iræ, calamitatis & miſeriæ: iræ, inquam, ſanctiſſima namque Trinitas tunc ſæuiet & excandeſcet, cum furore ſcilicet deſcendens, ad vniuerſum mundum diiudicandum; Angeli quoque exacerbati erunt, hominibus enim adeſſe & opitulari deſinent: cœli etiam iracundiam præ ſe ferent, curſum namque ſuum abrumpent, ac volui deſinent: elementa quin etiam furorem videbuntur induiſſe, ignis enim continuo ardebit, aer tonitrua edet, Oceanus inſurget & ſpumabit, terra tremet, irataque nullum amplius fructum gremio ſuo effundet, dæmones adhæc furent, quia omnes tūc infernalibus abyſſis prodibunt, vt in nos deſæuiant: totus denique mundus indignari videbitur, quidquid enim hic reperietur, peccatoribus bellum mouebit, iuſtitiam & vindictam de tot tantisque peccatis depoſcens. Vere igitur dies iræ, dies calamitatis. Nullæ namque tunc ſupererunt vrbes, arces nullæ, aues garrire deſinent, animalia ſolitudinem deſerent, totus denique orbis nonniſi incultum quoddam & ſterile deſertum videbitur. Erit adhæc dies miſeriæ. Vbique namque animalia vlulabunt, homines eiulabunt: hic paries ad terram concidet, illic integra cum fundamentis palatia terræ motu conuellentur, flamma ſumma montium cacumina tranſcendet, grando per agros ſæuiens ſata proſternet, cadauera quoque varia per terram ſparſa videbuntur. Dies igitur miſeriæ & calamitatis, quia tunc dæmones ſolutis vinculis in homines inſurgent, Angeli furorem induent, ſancti, qui nobis auxiliati ſunt hactenus, indignabuntur, & homines æternis ſuppliciis addicentur.

Tres ſunt dies notabiles. Ideo quoque dies indignationis & furoris appellatur, quod tres ſint dies penitus admirabiles. Primus eſt dies vitæ huius, quia interea dum hic vitam ducimus, indignatur interdum Deus, interdum vero, cum viſum fuerit, conſolationes abundanter immittit; nonnunquam caſtigās, nonnunquam etiam gratia ſua demulcens. Secundus dies perfectam, puramq; pacem habet, benignitate refertus eſt, ac nonniſi delicias continet, ille autem nō niſi in cœleſti beatitudine habebitur, vbi perfectum & liquidum gaudium & exultatio obtinetur. At tertius iram ſolum & indignationem continebit, dies videlicet extremi iudicij, & iam adeo grauem & atrocem, vt Propheta verbis eam ſe exprimere poſſe diffidat. *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ? &* Pſal.89.
præ timore iram tuam dinumerare? Porro ipſemet tantum eam futuram putat, vt mente illam voluens in terram ſe proſternat, oculisque in cælum ſublatis, ad Dominum conuerſus & lachrymans exclamet: *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.* Pſal.6.

Non minus eandem exhorruit Propheta Abacuc, vt mori ſe malle teſtatus ſit, quam hunc iudicis furorem experiri: *Audiui & conturbatus eſt venter meus, à voce contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis.* Abac.3.

Dies hæc aliis adhuc in Sac. Scriptura nominibus indigetatur, Iob namque Propheta vocat eam diē belli & certaminum, *Quæ præparaui in diem pugnæ & belli.* Quidni & huc trahi poſſint verba Pſalmographi, *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli.* Quam graue porro & cruentum hoc bellum, ex verbis eiuſdē Iob colligi poſſe videtur, cum id abſolute, bellum velut per antonomaſiam, nullo alio addito vocabulo, appellet, *Memento belli, nec vltra addas loqui:* perinde ac ſi dixiſſet, Vltimum hunc conflictum in mente tantum habe, ad iudicij huius certamen te præpara, deque nullo alio conflictu eſto ſollicitus. Dies iudicij dies belli appellata. Iob.38. Pſal.139. Iob.40.

Et vere dies hæc, dies belli, ſtragis & ſanguinis, dies, quæ toti orbi rupta pace bellum indicet, atque ideo in huiuſce rei ſignum, tubæ per ſepulchra regionum perſtrepent, & clangorem bellicum edent, aſt adeo horribilem, vt ad imos vſque Antipodas audiendus ſit, & ad illius auditum quidquid hic in terra eſt, proſternendum. An non profecto admirabile fuit ad ſolum Hebræicæ Ioſ.6.

Digitized by Google

tubarum ſonitum muros Jerichuntinos ad terram concidere, & Iſraelitis aditum hac ratione patere? at longe, mihi credite, erit admirabilius, ad primum buccinæ iudicij clangorem videre concidentes pyramides excelſiſſimas, montes altiſſimos tremere, inferni clauſtra reſerari, mortuos ſepulchris egredi, ac totum omnino mundum metu concuti.

Iud. 6. 7. 8. Gedeon Manaſſites, qui quadraginta annorum ſpatio Iſrael iudicauit, Madianitas, colliſis inter ſe lagenis flammantibus, tubiſque perſtrepentibus in fugam egit, fugienteſque profligauit. Dux hic typus fuit Seruatoris noſtri Chriſti, qui iiſdem prorſus armis in die iudicij inimicos debellabit; Matthæus ait: *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna.* *Matth. 24.* Joannes vero: *Septem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparauerunt ſe vt tuba canerent.* *Apoc. 8.* Sophonias quoque: *Dies tubæ & clangoris.* *Sophon. 1.* Hæc quidem quoad tubas; de igne etiam euidens eſt: *ignis ante ipſum præcedet.* *Pſal 96.* & alibi: *Ignis in conſpectu eius exardeſcet.* *& 49.* E quibus manifeſte apparet, Gedeonem illum Chriſtum in flamma, & buccinæ ſtrepitu mundum debellaturum. Quid agitis, Chriſtiani? nondum trepidatis? nondum expalleſcitis? nondum vobis genua labant, arrectæq; horrore comæ?

Exod. 20. Cum Deus Legem ſuam in monte Sinai, anno mundi 2453. Moyſi daret, fulminaque tonitrua, coruſcationes, fragores, procellæ, turbines ventorum, & tubæ circumquaque audirentur; in tantum populus cõſternatus fuit, vt præ metu ac formidine propemodum exanimaretur. Quid igitur vos agetis, Auditores, quando in valle Joſaphat, præcurrentibus flammis præuio furore & tubarum ſonitu, procelliſque ingruentibus, non lex aliqua, ſed mortis & condemnationis ſententia in impios pronunciabitur? atque imprimis flammis, quæ non ſecus atq; olim vndæ diluuij, altiſſimorum montium faſtigia quinq; cubitis tranſcendent, vt ex Auguſtino colligere eſt. *Lib. 20. de ciuit. c. 18.*

Hæc item dies, vocatur dies Domini: *Prope eſt dies Domini, dies Domini veniet crudelis,* ait Eſaias, & Joel, *Magnus dies Domini & terribilis.* *Eſai. 13. Ioel. 2. Sophon. 1.* Sophonias autem: *Iuxta eſt dies Domini, dies iræ, dies illa, dies tribulationis.* & Apoſtolorum principes, *Dies Domini ſicut fur.* *Apoc. 16. 2. Pet. 3. 1. Theſſ. 5.* Joannes vero in Apocalypſi, *Diem Domini magnam* nuncupauit. Luculenta profecto teſtimonia, quæ hoc ei nomen aſſignent: ſed cur factum putamus, vt hoc nomine diceretur? res ad oculum patet, & demonſtratio placebit, vt arbitror, omnes vitæ huius dies, noſtri ſunt, eoſque impendere quiſque poteſt prout ſibi videtur: legimus enim in Sacris litteris: *Ducunt in bonis dies ſuos,* dicit *ſuos,* vt *Iob. 21.* oſtendat, annos, menſes, dies, horas, omniaque vitæ huius momenta noſtra eſſe, & quia noſtra ſunt, eadem vel virtutibus, vel vitiis incumbendo nos poſſe traducere. At dies iudicij non niſi Domini futurus eſt, quem ille totum ſibi ſeruabit, vt in eo vindictam de peccatoribus ſecundum beneplacitum ſumat, atque eſt hoc ſane quam æquiſſimum.

Nam quoniam ſuum potentia diem habuit, nimirum cum vniuerſam hanc rerum machinam ex nihilo conderet, & miſericordia ſuum, quando ex mera bonitate benignitateque humanum genus, quod propter delicta morti ac damnationi perpetuæ obnoxium erat, morte liberauit, neceſſe quoque eſt, vt & iuſtitia habeat ſuum. Deinde cum infinita illius bonitas viginti vel triginta dierum millia plus minusve, ſecundum vitæ huius dimenſionem, nobis conceſſerit, vt gratiam ſuam interea nobis communicaret, miſericordiam & clementiam oſtenderet, an non rationi maxime conſentaneum eſt, vnum vt ſibi ad minimũ è tot millibus diem reſeruet, quo delicta noſtra ingratitudinẽq; puniat, opera examinet, ſuamque iuſtitiam exerceat? dies autem ille, dies iudicij futurus eſt, hunc ille ſibi delegit, hunc deſtinauit, vt in nos iræ tela detorqueat.

Agite igitur, Recordamini nouiſſima veſtra, & in æternum non peccabitis. Recordamini, inquam omnia, quæ horrendo illo die euentura ſunt, perpendite angores quos patiemini, cum vos vndique obſeſſos & circumuallatos intuemini: ante vos aderit ignis, à tergo patens orci gula, à latere adſtabunt horrenda illa dæmonum monſtra. Si enim Elizæi puer, cum Domini ædes ab hoſti-

Digitized by Google

hoſtibus obſeſſas videret, exclamauit: *Heu, heu, heu, Domine, quid faciemus?* quomodo vos trepidare ac pallere par eſt, cum vndequaque vos hoſtes obſidebunt? Anne deliteſcere cupietis? ſed illi fulmine deflagrabunt: arces locaque munitiora adire? ſed eadem ad terram iacebunt proſtrata ac diruta: per agros euagari? ſed fulmina capiti ſuper imminentia impedient: deniq; ab imminenti vos plaga tueri? ſed fruſtra. Quamobrem optime ac ſapienter conſulenti credite Salomoni, ac nouiſſima veſtra ſemper ante oculos gerite, atq; ita fiet, vt à peccatis tuti futuri ſitis. *4. Reg. 6.*

Et ſane quis adeo effrons, tamque profligatæ audaciæ futurus eſt, Domine, qui te offendere præſumat, à quo ſe iudicandum nouit? quis peccare audeat horrendum hunc diem iugiter mente voluens? diem, inquam, in quo omnia quæ in mundo ſunt, igne conſumentur, quæ in cœlo, mouebuntur, quæque in abyſſis, in apertum prodibunt diem, quo ira & furore æſtuabit, quo homines pauebunt, omneſque creaturæ trement & palleſcent? diem iræ, calamitatis & miſeriæ, diē, noctem potius obſcuriſſimam & tenebris obſitam, cum in eo lucidiſſima illa mundi fax extinguenda ſit, luna defectum paſſura, ſtellæ obſcurandæ, lumenque negaturæ: diem adhæc caliginoſum, in quo præter fragores tonitrua fulguraque horrenda nihil audietur. Quamobrem, Domine, animarum noſtrarum Redemptor, gratiam præſta, diei vt huius iugiter in nobis memoria vigeat, teque rogamus, tunc vt nobis digneris ſuccurrere, & noſtri in die illo calamitatis patrocinium ſuſcipere. Salua nos è diluuio hoc furoris per humanitatis tuæ arcam, ſis animarum conductor, noſque à naufragio in die illo horrendo, die tempeſtatibus & procellis infami defende. Et quoniam dies hic, etiam dies belli vocatur, in quo totus terrarum orbis confliget & decertabit, tu ſumme exercituum Deus, gratiam concede, vt victoriam tecum conſequi, deque mundo ac dæmonibus triumphare mereamur, ac te velut ducem laureati coronaſque victoriæ geſtantes ſequendo, in cœleſti habitaculo, rei bene geſtæ præmium, ipſam nimirū beatitudinem, qua cœlites fruuntur, percipere valeamus: quod concedant nobis, qui iuſtos coronaturi ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, AMEN.

FERIA QVARTA.

DE IVDICE, QVI HVIC IVDICIO præſidebit.

Partitio.

1. *De Iudice tremendo.*
2. *Quis futurus Iudex.*
3. *Qui eius aſſeſſores.*
4. *Quæ ſeueritas eiuſdem.*
5. *Quis illius comitatus.*
6. *Quam eius vox horribilis futura.*

Memorare nouiſſima tua, *& imprimis iudicium, ac iudicem, qui omnes iudicaturus eſt, tibi propone*, & in æternum non peccabis. *Eccleſ. 7.*

FIGVRA.

PRopheta Daniel, is, inquam, cuius ſapiētiam quinque olim potentiſſimi Reges ſuſpexere, Nabuchodonoſor ſcil. Euilmerodach & Baltaſſar, Chaldæorum Monarchæ, Darius Medorum, & Cyrus Perſarum reges; poſtquam carceres, leonum lacus, aliaq; innumera mala ſuſtinuiſſet; ſuper omnes tandem regni Babylonici Satrapas, ad imperij gubernacula capeſſenda, iuſtitiamque vniuerſis adminiſtrandam, euectus eſt. Penitius hanc hiſtoriam conſideranti in mentem venit, Chriſti Redemptoris noſtri fortunam hic & caſus deſignari: ille enim poſtquam in tyrannico hoc mundi regno carceres, mille ærumnas, ſupplicia, tormenta, ipſam denique crucem ac mortem ſubierit, tandem aliquādo ſupra totius vniuerſi principes ſublimabitur, vt viuorum ſimul ac mortuorum Iudex conſtituatur, ac iudicio huic vniuerſali cum plenaria & abſoluta auctoritate præſit. Hac de re hodiernam concionem in- *Dan. 6.*

ſtituam, ac iudicem illum ſtrictiſſimum, ſeueriſſimum, iram ac furorem ſpirantem vobis depingam. Sed paracleti prius opem & Virginis Beatiſſimæ patrocinium depoſcamus: Angelica eam igitur ſalutatione compellemus;

AVE MARIA.

Quemadmodum nullum omnino inter homines reperire eſt, qui non omnipotẽtem quendam creatorem ac rerum opificem admirabilem, qui omnibus eſſe ſuum dederit, eademque infinita ſua potentia è nihilo produxerit, agnoſcat & confiteatur: ita nullum quoque eſſe arbitror, qui negare auſit, venturum aliquando iudicem rigidiſſimum, qui iuſtitia inſtructus omnes homines diiudicaturus ſit, omnibusque iuxta opera mercedem redditurus. Suadet hoc ipſa ratio, ac Theologica Pſalmographi verba nos edocent: *Semel locutus eſt Deus, Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera ſua.* Et hoc præterea vnum è præcipuis fidei noſtræ capitibus: *Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.* Pſal. 61.

Porro certo certius eſt, ſupremum quemdam iudicem eſſe deſtinatum, qui totum orbem diiudicet, omniumque hominum cauſas diſcernat, ſed huiuſmodi, eheu! iudicem, quo nullus vnquam maioris auctoritatis extitit: ipſum nimirum totius vniuerſi Deum: (*quoniam Deus Iudex eſt*:) nullus quoq; maioris maieſtatis: quippe, qui omnibus Angelis ſtipatus ad iudicandum deſcendet, (*Aduocauit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum*:) nullus quoque magis formidandus, (*Ignis enim ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*,) Iudex denique adeo furens, & horrendus, vt nullus vnquam Sanctorum extiterit, qui, vt vigilemus, non ſit adhortatus, & præſertim Euangeliſtæ, *Vigilate & orate, qui neſcitis diem neque horam.* Pſal. 7. Pſal. 49. Pſal. 96. Matth. 24. Mar. 13. Luc. 12.

Vt quemadmodum belli tempore, hoſtibus vrbem aliquam obſidione cingere parãtibus, quicunq; eius commodis & ſaluti ſtudent, litteris dudum ante præmonent, ſibi vt ab hoſtili incurſione caueat, quæque ad propugnationem munitionemque neceſſaria ſunt, in tempore, antequam hoſtes vlterius procedant, præparet: ita quoque ſancti iam inde a mundi exordio, viſis & præuiſis iudicis huius molitionibus, qui totum aliquando orbem iudicaturus, ſtricteque omnia diſcuſſurus adueniet, de hominum ſalute commodiſque ſolliciti, iiſdem ab omni memoria & nullo non loco inſinuarunt, ſibi vt cauerent, & diligentiſſime excubantes omnem in partem circumſpicerent, ne quod forte ab eo detrimentum impendeat. E Prophetis audiamus quid præmoneat Eſaias: *Dominus ad iudicandum venit cum ſenibus populi & principibus eius.* Alius quoque nuntius ab extremo oriente deſtinatus, nempe à Iob, *Fugite à facie gladij: quia vltor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe iudicium.* Reges etiam ipſi certos nos reddunt, atque imprimis Rex Iſrael: *iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate:* nolite igitur peccatores benignitati Iudicis confidere, aut ſperare gratiam coram eo reperire. Recens quoque iam nuntius ab Apoſtolis deſtinatus has nobis litteras defert, *Videbunt filium hominis venientem in nube, cum poteſtate & maieſtate magna.* Ecquæ Deus bone inſinuationis ecqui nuntij! quantæ anguſtiæ! æquum eſt igitur eaſdem præcauere, iudicisque furorem declinare, ne inopinato ab eodem opprimamur. Eſai. 5 Iob. 19. Pſal. 95. Luc. 21.

Vidit Ioannes initio Apocalypſeos, in medio ſeptem candelabrorum aureorum, quendam ſimilem filio hominis, cuius oculi inſtar flammæ ſcintillabant, & cuius vox aquarum cum impetu fluentium fragorem referebat: ab ore autem eius gladius anceps prodibat, cumq; vidiſſet, præ metu & formidine exanimatus in terram concidit. Fulgor ille vultus, maieſtatẽ diuinam denotat: vox illa rauca, ſeueritatem, oculi illi ſcintillantes, iram: anceps ille gladius, potentiam qua in animam ſimul & corpus deſæuiet. Apoc. 1.

Eadem pene habet Daniel: *Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quaſi chryſolithus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt, vſque ad pedes quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius vt vox multitudinis.* & addit: *vidi viſionem grandem hanc, & non* Dan. 10.

& non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Quam viua hæc iudicis noſtri deſcriptio, quam ingens terror! cum & Prophetæ ſibi metuant, Euangeliſtæ exalbeſcant, atque omnes omnino homines eiuſdem metu conſternentur, quod variis exemplis confirmabo.

Refert in vita Hilarionis Anachoretæ Hieron. eum cum iam in extremis eſſet, & ſeuerum ſtrictiſſimi huius iudicis tribunal mente volueret, adeo exhorruiſſe & timuiſſe, vt his ſe verbis conſolari debuerit, Egredere anima mea egredere, quid timeas? ante iudicem te ſiſte, tribunal hoc tremendum adi, & in eo de tota vitæ ſerie rationem redde. Alius quoque Anachorata, Agathon nomine, cum in eodem conflictu eſſet, ſudauit, iudicemq; hunc inexorabilem ſibi proponens toto corpore tremuit & expauit, rogatusq; cur timeret; tremula voce reſpondit: Alius longe iudex eſt Deus, quam homines, aliaque eius iudicia, alia mundi tribunalia.

Exempla eorum qui iudicis huius ſeueritatem timuerunt.

Non aliud quoque remedium, vt peccatores à peccatis auerteret, adhibuit Iuda rex Dauid, quam iudicem illis hunc depingere, eiuſque ſeueritatem deſcribere: dicit enim, *Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Et mox, *niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit.* Item alio loco cum præmiſiſſet, *Quoniam iudex eſt,* mox addit, *Intelligite hac, qui obliuiſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.*

Pſal. 6. *Pſal. 49.*

Salomon quoq; rex non minus ſapiens & prouidus quam pater, idipſum vt plurimum peccatoribus inculcare ſolebat, credebatque ſolam huius iudicis memoriam ſufficere ad peccatores à vitijs retrahendos, prauos affectus cohibendos, cupiditatesque effrenatas compeſcendas: ait enim, quod toties iam repetiuimus, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Quæ verba de iudice qui iudicio huic terribili præſidebit, hodie explicabimus, quod vt cum vtilitate fiat, primo demonſtrabimus: quis ille futurus ſit, ac deinde, quanta eiuſdem ſeueritas & rigor: quæ duo vbi in aciem prodierint, pugnamq; depugnarint, receptui canemus. Quamobrem arrigite aures, & fauete linguis, interea dum conflictum auſpicamur.

Eccleſ. 7.

Chriſtus futurus iudex in extremo iudicio.

Iudex qui huic iudicio præſidebit, non erit alius quam ipſe Dei Filius, orbis redemptor. Ita namque de ſe olim teſtatus eſt, *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Atque ita Apoſtolus Petrus Cornelium Centurionem edocuit, vt in Actis legitur, *Hic eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Perinde ac ſi diceret, Is quem Iudæi in crucem egerunt, Corneli, cuius nos Euangelium prædicamus, idem ipſe eſt, quē Pater æternus in ſanctiori illo concilio iudicem viuorum ac mortuorū, id eſt, iuſtorum & impiorum, conſtituit. (Hi namque per peccatum mortui ſunt, illi vero per gratiam datam viuunt.) Deinde quoniam iudicabit tam eos, qui iam inde à mundi exordio vſq; ad diem iudicii mortui ſunt, quam qui in fine ſæculorum adhuc victuri ſunt. Atque hæc omnia iudex à ſummo Patre delegatus.

Ioan 5. *Actor. 10.*

Quod & Apoſtolus ad Timotheum ſcribens aperte indicat, *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex,* & inſolita quadam viſione Danieli oſtendit Deus, *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce filius hominis veniebat cum nubibus cœli.* Ceterum per nubes has cœli ſanctos intelligere oportet: quos hoc nomine apud Ezechielem nominatos reperio, tum propter conuerſationem cœleſtem, qua cœli quodammodo puritatem imitati ſunt: tum vero propter glorioſa eorum corpora, quæ quoniam agilia, ſubtilia, impaſſibilia, aliiſque glorioſis dotibus inſignita erunt, inſtar nubium per aera volitabunt. E quibus omnibus manifeſtum redditur, nullum præter Ieſum Chriſtum iudicio huic præfuturum.

2. Tim. 4.

Notandum igitur eſt, quod quamuis, iuxta D. Thomam hominum Angelorumque iudicandorum poteſtas per abſolutam auctoritatem, tribus SS. Trinitatis perſonis conueniat: iure tamen appropriationis ad Ieſum Chriſtum, in quantum ipſe humanam naturam aſſumpſit, ſigillatim eandem pertinere: idque ob quatuor rationes luculentiſſimas, quarum hæc prima eſt Humiliauerat ſe olim Chriſtus infra omnes homines, imo ad vſque infamem crucis mortem, atq; idcirco propter ſummam hāc humilitatem, iudici-

3. part. q. 59. art. 1.

Digitized by Google

etiam præ cæteris creaturis poteſtatem promeruit. Vnde ad Philippenſes Paulus, *factus* (Phi. 2.) *obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*: nomen ſc. Iudicis, Aſſeſſoris, & vniuerſalis ſuper omnes homines Præſidis.

Secunda porro hæc eſt, Chriſtus non ſolum in quantum Deus, verum etiam in quãtum homo, totius Eccleſiæ caput, ac ſimul hominum atq; Angelorum princeps eſt conſtitutus. Quod Paulus ex profeſſo plurimis in locis oſtendit, ac præſertim ad Epheſios, (Epheſ. 1.) *Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius*, Item ad Coloſſenſes, (Coloſſ. 1.) *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*, atq; etiam D. Thomas, 3. *parte q.* 8 *art.* 1. Porro capitis eſt, in cætera membra dominari eademq; gubernare, ipſa a iudicatio actus ſupremi cuiuſdam dominii eſt. Chriſtus igitur, etiam in quantum homo, in ſupremo illo die iudex erit hominum ſimul & Angelorum. Quod confirmat idem qui ſupra Paulus, (Phil. 2.) *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, tereſtrium, & infernorum*. In quibus verbis *nomen* pro poteſtate atque auctoritate accipitur.

Tertiam hanc ponimus. Par erat, ne dicam neceſſe, Chriſtum noſtrum eſſe iudicem, propter ſingularem illam ſympathiam & ſimilitudinem, quæ homines inter & ipſum reperitur; quippe qui præter diuinitatem humanitatem etiam aſſumpſit. Et quemadmodum Deus effecta per ſecundas cauſas producit, ita quoq; homines per hominẽ, id eſt, Ieſum Chriſtum, iudicaturus eſt, ne fortaſſe, ſi diuina maieſtas ad iudicium deſcenderet, nimis ſeuerum eius in homines iudicium foret. Notat id Paulus ad Hebræos, (Heb. 4.) *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris*. Sumite igitur animos peccatores, nolite propter iudicii huius rigorem in deſperationis abyſſum prolabi: at cogitate potius, datum vobis iudicem, qui non ſecus ac vos homo ſit, quiq; infirmitatibus & imperfectionibus, quibus humanitus obnoxii eſtis, compati poſſit.

(Exod. 4.) Moyſem vt legem populo promulgaturus, cum monte deſcenderet, faciem adeo reſplendentem habuit, vt velo eandem cooperire neceſſe habuerit, ne fortaſſe intuens eum populus metu percelleretur. Fuit hoc præſagium, verum illum Moyſem Chriſtum, mõtibus æternis deſcendentem, legem vt Euangelicam mundo annunciaret, rutilantem diuinitatis ſuæ vultum, humanitatis noſtræ velo velaturum, ne ſeuerus nimium in iudicando, legemque ferendo, videretur hominibus, qui fortaſſe metu maieſtatis emicantis perterriti ab eo ſe ſubducerent, eiuſue familiaritatem ſubterfugerent. Perſpectum id habebant Prophetæ, & imprimis Michæas, (Mich. 3.) *Abſcondet faciem ſuam ab eis*: & Iſaias, (Iſai. 64.) *Abſcondiſti faciem tuam à nobis*. & Pſaltes, (Pſal. 79.) *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*: Id eſt, Noli nobis, ô iudex vniuerſi, diuinam illam faciem oſtendere, iuſtitia & vindicta exæſtuantem: (eam namque peccatores ſi intuerentur, præ horrore ac formidine emorerentur,) ſed faciem illam iucundam, hominis ſcil. benignitate ac manſuetudine renitentem, quã tibi naturalem eſſe ſcimus, qua viſa ſalui erimus. Cum enim homo ſis, qui fieri poteſt, hominum te interitum ſpirare? Ad Patrem alias orationem conuertens ita obſecrat, (Pſa. 131.) *Non auertas faciem Chriſti tui*. Id eſt, Æterne & omnipotens Pater, quandoquidem Ieſum Chriſtum Filium tuum ſaluatorem noſtrum ac iudicem eſſe voluiſti: concede, vt eum velut hominem aſpiciamus, homineſq; viſo iudicem ſe nactos, qui eiuſdem ſecum ſit humoris, eodem habitu indutus, eadem conſtans forma, non parum exultent, ac ſecuri coram eo compareant.

(Plutarch.) Alexander Macedo cum Perſis à ſe ſubiugatis leges & inſtituta vellet præſcribere, vt genio loci & Perſarum moribus ſeſe accommodarent ne vt extraneum & alienum incolæ deſpicerent, Macedonico habitu ſepoſito; Perſarum veſtem aſſumſit. Quid autẽ vetat profanis hiſtoriis ſublimia condecorare myſteria? Dico igitur ad eundem prorſus modũ, Chriſtum, Alexandrum illum noſtrum, qui à Patre cœleſti miſſus erat, vt totius vniuerſi regnum ſubiugaret, omniumque hominum iudex foret, quo ſe ingenio incolarum adaptaret, familiarioremque ſe iiſdem reddeter Macedonicum diuinitatis habitum, qui naturalis erat, exuiſſe, & Perſarũ, id eſt, ho-

Digitized by Google

Philip.2. minum, veſtem induiſſe, (quo ſcriptum eſt, *formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo,* & in hoc habitu in vallem Ioſaphat ad iudicium venturum.

Prouidens hoc Dauid, alium habere iudicem detrectabat, atque idcirco inceſſanter & enixe Meſſiam orabat, cauſam vt ipſe ſuam iudicandam ſuſciperet, *Iudica me Deus,* Pſal. 42. *& diſcerne cauſam meam de gente non ſancta,* quaſi dixiſſet. Nolim, ô exſpectate Seruator orbis, hominumque amator ardentiſſime, vt æternus mecum Pater iudicio contendat, meamque cauſam diſceptet; nec ipſi Angeli aut Cherubin: at te vnum mihi iudicem deligo, qui propter me hominum naturæ conſors factus es, qui mortem & paſſionem mei cauſa ſuſtinuiſti, cuius in cruce ius & æquitas mea fundamenta ſunt, meritis cuius innitor.

Diſcerne igitur tu cauſam vitæ meæ; nec ita mecum age quaſi cum impio aut iudiciorum tuorum negligente. Nolim namque te opera mea, labores, pœnitentias & auſteritates meas conſiderare, quaſi eadem gentium more fecerim, quæ nimirum multa ad faſtum facere videntur, magnaque ſe nonnunquam inedia macerant, vt laudem ab hominibus conſequantur: equidem longe aliud ſpecto, tibi ſoli complacere geſtiens. Quamobrem cum opera mea diſcuſſeris, noli illa & ipſarum eadem penſare trutina. Alio in loco idem quoque à Deo patre poſtulauit, *Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis.* Pſal 71. Quorſum verborum hic ſenſus eſt, Noli omnipotens, ſempiterne DEVS, ad quem abſolute ſpectat omnem hominem diiudicare, onus hoc ipſe ſuſcipere, noli tu me diiudicare, at Meſſiæ venturo, qui meus ac totius orbis Rex eſt, atque regis filius, negotium hoc committe, in eius manus quidquid tui eſt iuris conſigna. Tibi enim æquiſſime Deus quid reſponderem non haberem, quippe qui nimis in iudicando ſeuerus es, & cuius ſententia ſanguinem & minas ſpirat, at Filius me tuus iudicet, qui mihi futurus eſt benignior & fauentior.

Quarta & poſtrema ratio hæc ſit. Par quoque erat, & forſitan etiam neceſſe, vt, qui ad mundi finem iudicandi erant, iudicem ſuis ipſi oculis coram intuerentur, qui iudex ſi Deus duntaxat foret & non ſimul homo, nunquam eum peccatores & impii videre poſſent: neque enim videre diuinitatem licet, non percepta prius æterna beatitudine; ſcriptum ſcilicet eſt, *Tollatur impius ne videat gloriam meam.* & in Iob, *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Eſai. 26. Iob. 13. Facies namque Domini ſemper beatitudinem includit, qua quia peccatores indignos ſe præbuerunt, ideo quoque eandem intueri nequaquam poterunt. Neceſſe eſt igitur iudicem hunc inſtar hominis, ad iudicium venire, vt ita ab omnibus conſpiciatur: de iuſtis certum eſt, de peccatoribus ita probat Dauid, *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet.* Pſal. 111.

III. SS. Trinitatis perſonæ omnes iudicio aſſiſtent.

Sed quid? ſolusne Chriſtus orbem iudicaturus eſt? Pater ipſe iudicio non intererit? Spiritus ſancti nulla habebitur ratio? imo vel maxima. Tota ſcilicet Trinitas ſumma illic & abſoluta auctoritate præſidebit; at ſolus Ieſus Chriſtus ab iis quodammodo cum plenaria poteſtate delegabitur; docet id Cyrillus in libro ſuo Catechetico, & ſacra Scriptura egregia quadam figura in Geneſi. Cant. 15. Gen. 18.

Vidit olim Abraham tres viros qui cœlo deſcenderant, vt Sodomorum ruinam excidiumque coram ſpectarent, quibus viſis ruit in amplexus eorum, pronu que eoſdem adorauit; Quid putatis per tres hoſce viros deſignari? ipſas ſcilicet SS. Trinitatis perſonas, quæ in die iudicij deſcendent, vt totius vniuerſi ruinam & interitum coram intueantur, & omnibus iuxta merita mercedem tribuant.

Intererunt autem & alii, ipſi nimirum Apoſtoli: ita namque id illis Chriſtus, dum apud eos ageret, pollicitus eſt, *ſedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Matth. 19. Et ipſe Doctor gentium de hac iudicandi poteſtate interdum apud ſuos gloriatur: ita quippe ad Corinthios ſcribit, *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia?* 1. Cor. 8. id eſt, diabolos ſimul & homines. Erunt namque Apo-

Apoſtoli velut iudices acceſſorii: &, vt conſiliarij cum ſummo Parlamenti Præſide cauſas diiudicare conſueuerunt, ita & ipſi cum Chriſto ſummo Iudice omnes hominum cauſas examinabunt, examinatasque iudicabunt.

Apoc. 4. Oſtendit idipſum & Ioannes in Apocalypſi, vbi deſcribit quendam in throno ex Iaſpide vel Smaragdo conſidentem, & in circuitu throni ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores circumamictos veſtimentis albis, & aurea capur corona redimitos. Genuinum ænigmatis huius ſenſum ſcire qui volet, diſcat ille, per Præſidem hunc, Ieſum Chriſtum deſignari.

Pſal. 9. Docuit id me olim Pſalmiſta dicens: *Parauit in iudicio thronum ſuum & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iuſtitia.* Viginti quatuor illi ſeniores duodecim Apoſtolos cum duodecim Patriarchis denotant, qui inſtar horum ſeniorum albis innocentiæ veſtibus induti & gloriæ coronis redimiti cum ſummo illo Iudice ad iudicium venientes, cumque illo conſidentes, vitæ noſtræ cauſas diſcernent.

Pſal. 121. Huc reſpexit Dauid: *Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid.* Dominus quoque ac Redemptor noſter id aperte

Matth. 12. indicauit: *Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filii veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi veſtri iudices erunt.* Per filios hos Apoſtolos intelligit, qui de Iudæorum ſtirpe & ſanguine propagati erant. Ita quoque intelligendus eſt locus ille

Sap. 3. Sapientiæ, *fulgebunt iuſti*, id eſt, Apoſtoli, *& tanquam ſcintilla in arundineto diſcurrent, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Ite-

Pſal. 44. rum Dauid: *Pro Patribus*, id eſt, Patriarchis, *tuis nati ſunt tibi*, ô Eccleſia, *filii*, id eſt, Apoſtoli; *conſtitues eos principes ſuper omnem terram*; tam in hac vita, quam in alia: tunc enim iudices acceſſorii erunt.

Certum eſt igitur, Apoſtolos iudicio huic interfuturos, quod Paulus cognitum habens, ita apud Corinthios ſe iactat, ſine vlla tamen ambitione aut faſtu: *Neſcitis quo-*

1. *Cor.* 6. *niam Angelos iudicabimus?* aliquid quidem antea de hoc locuti ſumus, at nouum quid modo adiungam. Dicere igitur vult, Quales nos eſſe putatis, ô Corinthii? quo loco nos habetis, quanti nos facitis: Sciatis velim, eſſe me & omnes mecum Apoſtolos iudices conſtitutos totius vniuerſi, & venturum aliquādo tempus quo Angelorum cauſas examinabimus. Theophylactus hæc exponens ait: per Angelos, intelligi hic dæmones, quos Apoſtoli & cum iis iuſti omnes condemnabunt; quod homines carne veſtiti incorporeis iſtis ſubſtantiis excellentiores fuerint reperti. Quoniam, vt ait Oecumenius, dæmones, licet carnis omniſque terrenæ concretionis expertes ſint, & ſpiritus puriſſimi; in perfectione tamen non manſerunt, ſed præuaricati ſunt: nos autem carne corporeque grauati & impediri, aliiſque peccandi occaſionibus obnoxii, eorum adhæc tentationibus exagitati, legem Dei nihilominus inuiolabiliter ſeruauimus, & puritatem quandam angelicam imitati ſumus. Condemnabunt, inquit Caietanus, & nos cum iis, ipſos dæmonas, quod ipſi qui natura adeo præſtanti donati ſunt; atque omnium creaturarum nobiliſſimi, ad primā ſuggeſtionem impetumque arma abiecerint, tentationiq; ſuccubuerint, nos vero qui non niſi fragilia quædam vaſa ſumus, & carni repugnantiſſimæ & maxime refractariæ copulati, inter tot cōflictus tentationeſq; conſtituti, tot inter hoſtes verſantes, victoriam tamen & quidem ampliſſimam, retulerimus. Propter hanc atq; alias non paucas rationes Apoſtoli & Patriarchæ dæmonas iudicaturi ſunt.

Quomodo Apoſtoli dæmones iudicaturi ſint.

Neq; ſoli Apoſtoli aut Patriarchæ, ſed omne etiam cœlitum æterna modo beatitudine perfruentium agmen homines iudicabunt, approbabunt nimirum ſententiam à ſummo iudice pronuntiatam, eamque æquiſſimam & ſinceriſſimam eſſe dicent, *iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* *Pſal* 118.
item, *Iuſtitia Domini recta, &, dulcis & rectus* *Pſal.* 18.
Dominus. Approbabunt denique decretum *Pſal.* 124.
illud generale, quod aduerſus omnem Adæ poſteritatem, aduerſus cœli inferorumque incolas Chriſtus iudex ille ſummus omniſcius, quem nihil latet, Iudex ille vtriuſque Iuris ante omnia ſæcula, & antequam vllius doctoris mētio fieret, peririſſimus, ſacratiſſimo

Digitized by Google

mo ore ſuo pronunciabit. Judex, inquam, qui nouit omnia, qui intima cordium penetralia rimabitur, cui pectoris arcana, quaſi in propatulo forent, patebunt, qui animorum ſecreta, velut in ſpeculo perſpiciet. Hinc de eo ſanctiſſimus Pontifex Leo ſerm. V. in Quadrag. *Cui peruium eſt omne ſolidum, & apertum omne ſecretum, cui obſcura clarent, muta reſpondent, ſilentium confitetur, & ſine voce mens loquitur.* Ipſas etiam cogitationes intentioneſque occultiſſimas conſpicabitur, de eo namque ſcriptum eſt: *Quia Deus ſententiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* Judex adhæc ſtrictiſſimus, ſeueriſſimus, cunctaque exactiſſime diſquirens. Quod latius iam deducturus ſum, eſt hoc namque alterum concionis membrum, de hoc quod reſtat, horæ ſpatio acturus ſum.

1. Reg. 2.

IV. Terribilis Judex futurus eſt. *Apoc.* 14.

Cæterum Judex hic ira adeo exæſtuabit, tantumque aduerſus impios furorem concipiet, vt Auguſtinus verba illa Apocalypſeos: *Venit dies magna iræ eius,* exponens, dicere non erubeſcat, maius impiis tormentum fore, iratum Judicis vultum ſuſtinere, quam pœnas & cruciatus infernales perpeti. Quis ſimile vnquam quid audiuit? ô ſententiam paradoxam! ſed quidquid ſit, huic tamen magnus ſuffragatur Hieronymus, dum ait: *Damnatis melius eſſet inferni pœnas, quam Domini præſentiam ferre.*

Adeo namque terribilis tunc ille futurus eſt, vt Job, vir licet ſanctiſſimus vitæque maxime inculpatæ nihil ſic exhorruerit, quam coram Judicis huius oculis comparere. Hinc toties ad Dominum clamat: *Nec aſpiciat me viſus hominis.* Id eſt, Hoc mihi præſta Deus meus, ne in horrendo illo iudicij die ferocis illius & truculenti hominis, id eſt, Jesv Christi, qui me diiudicaturus eſt, viſus me in valle Joſaphat intueatur; ſcio quippe eundem intolerabilem fore. Adhæc Judex hic nemini fucata quadam adulatione velificatur, aut in hunc magis quam in illum propendet, ſed æquiſſimus eſt; omnibuſque notiſſimum eſſe vult, rigorem ſe huiuſmodi aſſumpturum, qualem nullus vnquam Judex ab orbe condito aſſumpſit. Vnde ad omnes apud Prophetam ait: *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo*; id eſt, cum ad iudicium venero, beatus profecto erit, qui furorem meum effugiet, tanta namque tunc mea futura eſt iuſtitia, vt ipſos etiam iuſtos iudicaturus ſim, & electos in diſcrimen adducturus. Quibus adiungit Bernardus: *Quid faciet de iniuſtis iudiciis, qui ipſas quoque iuſtitias iudicabit? Veniet, qui male iudicata reiudicabit, illicite iurata confutabit, qui faciet iudicium iniuriam patientibus.* Proxima autem hæc Pſalmographi verba ita in Paraphraſi Chaldaica leguntur: *Ego iuſte & recte iudicabo.* Sed vtrouis modo legantur, ſemper tamen hinc efficitur, iudicem hunc æquiſſimum fore.

Iob. 7.

Pſal. 74.

Magis adhuc fauorem hūc ipſe apud Ezechielem exaggerat: *Finis venit, venit finis, ecce immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor, & ſcies, quia ego Dominus percutiens.* ô inſolitam loquendi rationem, ô verba prægnantia! *Finis venit.* Hic denuntiatur mors generalis, atque vniuerſalis orbis interitus & vaſtitas deliciarum diuitiarumque derelictio. *Immittam furorem meum in te.* Ecce diem iræ, calamitatis & miſeriæ, diem qua Deus furorem induet, & aduerſus hominem inſurget. *Et iudicabo te.* Hic omnes ad iudicium vocantur, coram tribunali citantur, ratioque exactiſſima reddenda inſinuatur. *Et ponam omnes abominationes tuas coram te.* Hic ſermo de omnium ſcelerum manifeſtatione, omnia hic delicta reuelanda deſignantur, hic pudor & confuſio maxima, quæ è peccatis naſcitura eſt, panditur. *Et non parcet oculus meus.* Hinc iudicis huius rigor colligi poteſt: non enim tunc amplius miſericordiæ locus erit, lachrymæ non proderunt, preces non exaudientur; pœnitentia Deo accepta non erit. Non aſpiciet oculis illis benigniſſimis ac iucundiſſimis, quibus Petrum lachrymantem & Magdalenam pœnitentem reſpexit, ſed oculis ſcintillantibus, iram & furorem ſpirantibus, vindictæque quodam modo cupi[dis]. *Et non miſerebor.* Hinc omnis peccatori[bus] gratiæ coram oculis eius inueniendæ ſpes

Ezech. 7.

Digitized by Google

præciditur, tunc enim nulla exſpectanda miſericordia eſt, crucisque Dominicæ merita non proderunt. *Et ſcies, quia ego Dominus percutiens.* Hic omnis miſeriarum ſumma, hic vulnera, ſupplicia, iuſtitiæque acerbitas referatur; Non dicit: Scies, quia ego ſum pater benigniſſimus, paſtor mitiſſimus, filius hominis in homines propenſus, denique mundi Redemptor, charitate flagrans; ſed ſcies me Dominum & quidem virga & gladio accinctum, vt percutiam, mactem & occidam, O nomen incognitum & prorſus inſolitum? vix vmquam hoc tibi nomen datum audiui Domine.

Terribile iudicis nomen. Ecce, qui ſe olim miſericordem, bonum, miſeratorem, clementiſſimum, & miſericordias facientem ſuper millia nominauit, tunc nomen mutabit, & Dominus percutiens & truculentus, iram & vindictam ſpirans, tonitrua & fulmina eiaculans dici amabit. Nouerat id Pſalmographus, cum diceret: *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens*; perinde ac ſi dixiſſet: Numquam Deum vti eſt, peccator voluit agnoſcere, longe alium ſibi illũ finxit, optimum ſcilicet, clementiſſimum, in vindicando lentum, ad parcendum pronum, qui nimirum mortem impiorum non quærat, qui Paradiſi ianuam omnibus intrare volentibus aperiat; iuſtitiam illius numquam præ oculis habuit, numquam ſibi perſuaſit, tam exacte eum cuncta diſcutere & examinare: ideoque in ſupremo illo iudicij die Deus ſe Dominum eſſe demonſtrabit, qui ſubditos refractarios & pertinaces acriter corripiat & caſtiget, neminique omnino parcat. *Pſal.91.*

Comparatur primus Domini aduentus cum ſecundo. Quanta, Auditores, inter hunc Domini aduentum ad primum eſt differentia. In primo quidem deſcendit inſtar agni benignus & manſuetus: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*; *&*, *Ecce Agnus Dei ecce, qui tollit peccata mundi*; at in ſecundo iram & vindictam ſpirans, leoninam quamdam rabiem præ ſe ferens veniet. *Vicit leo de tribu Iuda.* In primo latitans, vix mundo ſe manifeſtare auſus eſt, ideoque media & intempeſta nocte [illegible] eſt: *Dum medium ſilentium tenerent omnia.* Latet in præſepio, panniculis inuolutus, formam quoque ſerui induit, quadraginta dierum ſpatio latitat in deſerto ieiunans & plorans, in cruce quoque vix videri vult, tenebræ namque, quæ vniuerſam terram cooperiebant, laruæ loco erant: in ſepulchro quoque ſeſe abſcondit, quin & ad inferos vſque ne videretur deſcendit. Vnde bene Eſaias: *Vere tu Deus abſconditus.* Verum in ſecundo hoc aduentu veniet manifeſte, ita vt ab omnibus conſpici poſſit; veniet nimirum in nubibus conſpicuus, cum maieſtate & poteſtate magna nubi velut throno inſidens. Cæterum numquam ſe Deus olim cum maieſtate aliqua videndum præbuit, niſi dum terrorem ac metum vellet incutere; hinc eum Eſaias in throno regio conſidentem vidit, Ioannes in medio candelabrorum aureorum, ſed maior adhuc maieſtas illius tempore iudicij futura eſt, quæ hinc colligitur, quod omnes eum Angeli circumcirca ſtipabunt, qui toties in Sacris litteris milites & bellatores, & militia cœleſtis exercitus nominantur. Quanta autem horum fortitudo ſit & potentia, patet è Sacris hiſtoriis; legimus enim nocte vna in caſtris Sennacherib Aſſyrij, vnius Angeli manu, centum octoginta quinque hominum millia interempta. Alius quidem horum de numero vna etiam nocte, omnes Ægyptiorum primogenitus proſtrauit. Ecquæ igitur maieſtas erit, tot ſecum milites & quidem ſtrenuiſſimos, ad iudicium adducere? quorum tantus erit numerus, vt Iob eoſdem dinumerari non poſſe credat. *Zach.9.* *Ioan.1.* *Apoc.5.* *Eſai.45.* *Eſai.9.* *Apoc.1.* *4.Reg.19.* *Exod.12.*

An non maieſtas erit, quando niſi gladij, enſes, muciones, haſtæ, tela & ſecures apparebunt? in quo mihi Sacra Scriptura præiuit. Scriptum eſt enim: *In luce ſagittarum tuarum in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ*; & alibi: *ſi acuero vt fulgur gladium meum.* An non maieſtas erit, tam copioſum Angelorumque exercitum conducere? Dauid hoc ſecum cogitans, admirando ait: *Deus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida: aduocauit cœlum de ſurſum, & terram diſcernere populum ſuum.* *Iob.25.* *Abac.3.* *Deut.32.*

Cæte-

Digitized by Google

V. Cæterum maieſtatem hanc aſſumet, vt mundo amplitudo & gloria eius innoteſcat, ipſaque Prophetarum oracula vera eſſe comprobentur *Pſal.49.* *Annuntiabunt cœli iuſtitiam eius:* idque per ſigna præambula, *Pſal.96.* *& videbunt omnes populi gloriam eius.* Vt etiam verum fuiſſe oſtendat, quod olim vinctus Caiphæ Pontifici ait: *Matth.26.* *Dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Vt ſe mentitum non eſſe demonſtret, cum in horto diceret: *Ibid.* *An putas, quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* At non duodecim modo legiones, at 12. myriades legionum adducet ad iudicium. *Malach.3.* Atque idcirco in Bibliis *Deus exercituum* vocitatur, non vnius quidem, ſed pluriũ; quorum hic ex Angelis, ille è ſanctis, alius ex hominibus, alius etiam è dæmonibus, alius denique ex inſenſibilibus creaturis compoſitus eſt: *Sap.5.* *armabit*, quippe *creaturam ad vltionem inimicorum.* Quanta hæc, Deus bone, maieſtas eſt, quamque numeroſi exercitus.

Vnde bene, omnia hæc vno velut faſce comprehendens, *Pſal.49.* cecinit Dauid: *Deus noſter manifeſte veniet, & non ſilebit*, olim quidem clanculum venit, at modo omnibus ſe manifeſtabit, totique mundo patefaciet: olim quidem mutus fuit & patiens, at modò rugiet, & ſonitum edet, qui ab omnibus intelligatur. Appoſite autem dicit manifeſte, omnia enim tunc collucebunt, tum propter ignem, qui omnia tunc depaſcet, tum propter lucidos illos radios, qui è beato & glorioſo eius corpore emicabunt, tum etiam propter inſolitum Solis ſplendorem: ille enim, ſi Eſaiæ credimus, ſeptuplo tunc lucidior & ſplendidior erit, quum eſt modo. Quot autem in Sacris libris figuras reperire eſt, è quibus vtriuſque huius aduentus diſcrimen colligatur?

Ezech.1. Vidit Ezechiel olim Cherubinum, duas facies habentem, hominis ſcilicet ac leonis. Germana expoſitione huius emblematis, & genuino ſenſu Cherubin hic, verus iudicis noſtri typus eſt, qui duas vere facies habere dici poteſt; in primo namque aduentu, hominis habuit, in quo nihil præter humanitatem, dulcedinem & gratiam oſtendit; in ſecundo vero leonis habiturus; in quo rigorem, vindictam, iuſtitiam & furorem patefaciet. Atque huc trahenda ſunt ſequentia Prophetarum teſtimonia, & imprimis illud *Pſal.21.* Pſalmiſtæ: *Sicut leo rapiens & rugiens*; item filij eius Salomonis, *Prou.19.* *ſicut fremitus leonis, ita & regis ira*; & illud Eſaiæ: *Eſai.5.* *Rugitus eius vt leonis*, item Ezechielis: *Ezech.22.* *ſicut leo rugiens rapienſque*; & Oſeæ: *Oſea.11.* *quaſi leo rugit*; & Amos deniq; *Amos 3.* *Leo rugiet, quis non timebit?* deſuntne igitur nobis teſtimonia? proferam autem & aliam figuram.

Dauid inermis, ſolaque paſtoritia tunica *1.Reg.17. & 25.* indutus, vna manu fundam & altera lapides tenens, aduerſus procerum illum Goliadam deſcendit: ſed ad regnum Iſrael iam euectus, vt ingratitudinem & ſtolidam inhumanitatem Nabalis coerceret, magna armorum copia, totoque exercitu comitante, & ipſe armatus, aduerſus eum profectus eſt, *1.Reg.25.* exacerbatus dicens: *Ergo fruſtra ſeruaui omnia, quæ huius erant in deſerto?* Deſignatur hic, Chriſtum verum illum Dauid, qui ſemel in hunc mundum, ad Tartareum illum Goliadam expugnandum, nudus & egenus & in corpore fragili mortique obnoxio venit, cum iterum venerit, ad iudicium nimirum; magna cum maieſtate, igne & flamma accinctum, Angelis circumdatum furore armatum, aduerſus peccatores, inſenſatos illos Nabales, venturum, illiſque magna cum infamia improperaturum, *Vere fruſtra ſeruaui omnia, quæ huius erant in deſerto*, fruſtra ſcilicet hos ingratos condidi, matris in vtero nouem menſium ſpatio cuſtodiui, tot annis incolumes ſeruaui; fruſtra homo eorum cauſa factus ſum, cruci affixus, mortem paſſus, ſanguinemq; meum pretioſum in monte Caluariæ fruſtra effudi. Sed pergamus in figuris.

Exod.32. Moyſes in montis ſummitate cum adhuc eſſet, videretque populum per caſtra vitulo aureo immolantem, Deum ad iracundiam concitari, eiusque flagella in eorum caſtigationem exacui: eidem mox ſupplicauit, flammam precibus reſtinxit, iramque & flagella parata, & impudens exitium auerun-

Digitized by Google

cauit. Sed cum monte iam deſcendiſſet, inque planitie conſiſtens populum in idololatria pergentem videret; adeo commotus eſt, vt plurimos ſumptis armis ſparſim neci dederit. Multis quidem in rebus Moyſes Chriſti typum geſſit, ſed præſertim in hac. Modo enim quamdiu ſcilicet in montibus illis æternis commoratur, pro peccatoribus Patri, pro ea qua eſt benignitate ſupplicat, eorum reconciliator eſt, iratum iis numen placat, crucem ſuam, ſanguinem, mortem, paſſionem, meritaque, ne flagella experiantur, interponit. Sed quando in vallem Joſaphat deſcenſurus eſt ignem in flammam ſpirabit iuſtitia vindictaque velut gladio accinctus, ac plurimos ſine vllo diſcrimine morte damnabit perpetua. Quis igitur dicere auſit, deeſſe nobis figuras, aut negare iudicem hunc terribilem fore?

Adeo enim furet & ſæuiet, vt Propheta teſte, iram eius nemo queat comprehendere: *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore* (Pſal. 89.) *iram tuam dinumerare.* & alibi: *Tu terribilis* (Pſal. 75.) *es, & quis reſiſtet tibi?* furorem quoque eius agnoſcere videtur Eccleſia, cum in ſolenni illo Cantico: *Te Deum laudamus*, dum cecinit: *Iudex crederis eſſe venturus*; ſtatim velut timens & pauida, ad crucem, paſſionem, ſanguinemque eius pretioſum, quaſi ad tutiſſimum aſylum, confugit: *Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.*

Quis igitur ante ſeuerum hunc & rigidum iudicem conſiſtere audeat; iudicem, inquam, qui vt peccatorem condemnet, omnia concilia cœleſtis Parlamenti congregaturus eſt? cõſilium imprimis Angelorum, de quo ſcriptum legimus: *& omnes Angeli* (Matth 25.) *eius cum eo*; deinde Sanctorum: *Congregate* (Pſal. 49.) *illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius*; (S. Hieron.) concilium item defunctorum omnium: *Surgite mortui, venite ad iudicium*; concilium denique omnium creaturarum: *Aduocauit cœ-* (Pſal. 49.) *lum de ſurſum, & terram diſcernere populum ſuum.* Judicem adhæc, qui tanta cum maieſtate, tantaque cum potentia deſcendet, vt Job his ſibi propoſitis, eandem tremens interpellet: *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam?* Inſinuare vult, Quid, tantane opus potentia ac maieſtate Domine? ad quid tantus exercitus ad miſellum hominem iudicandum? præter rem & prorſus abſurdum videtur, tot bellatores & turmas coaceruare, ad folium, quod ventis ludibrium a minimo etiam flabro quocumque defertur, excutiendum. Dum Angelos inobedientes condemnares, tantam potentiam nõ demonſtraſti, tanta maieſtate non es vſus, totque exercitus non coadunaſti. Sed audi, Job magna inter vtrumque diſcrepantia eſt: æquum namque eſt hominem maiori cum ſolennitate magnificentiaq; iudicari, quam Angelos: nam quoniam maieſtas hæc propter hominem, & non propter Angelos, tantopere ſe humiliauit, & quodammodo exinaniuit; æquum videtur & rationi conſentaneum, vt eadem ſe in homine condemnando manifeſtet, viresque exerat. *Veniet,* (Matth. 25.) ſcilicet, *in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo.*

Non erit hic amplius humilis ille Galilæus, Hieroſolymis exiens cruce humero grauatus; ſed Judex ſeueriſſimus, intolerabilis, quemque nemo alloqui ſuſtineat, qui eandem crucem velut furoris ſui argumentum ac ſignum, ante ſe præmittet, *Tunc parebit ſi-* (Matth. 24.) *gnum filij hominis.* Tunc videbitur aurea illa clauis Dauid, de qua in Apocalypſi, quæ cæli (Apoc. 3.) ianuas adaperuit, ipſa, inquam, crux, quæ olim in monte Caluariæ fuit conſtituta, & quidem crux vera, non imaginaria, aut in aere efformata. (Crux in iudicio apparebit.) Nam quemadmodum Angelorum miniſterio omnes cineres huc illucque ſparſi in vnum colligentur, vt corpus hoc corruptum iterum reſtauretur; ita quoque omnes crucis particulæ, quæ per varias orbis partes ſparſæ ſunt, eorundem auxilio miniſterioq; in vnum colligentur, vt iiſdem coadunatis integra illa mox in aere appareat, quæ deinde in cœlo per omnia ſæculorum ſæcula, velut perpetuum rerum bene geſtarum trophæum, & triumphorum indicium, conſeruatur.

In templo Salomonis Goliæ gladius aſſeruabatur in memoriam nobilis illius victoriæ, quã Dauid rex de Philiſthiim retulerat; & ipſæ mannæ reliquiæ in arca Teſtamenti,

in ſignum

Digitized by Google

in ſignum miraculi, quo Deus Iſraelitas in deſerto tot annis pauerat. Ita quoque in vaſto illo cœlorum templo, pretioſa illa crux, Chriſti operum victoriarumq; quas de diabolo retulit, index conſeruabitur, ideoque in vltimo iudicio piis lætitiam & conſolationem, impiis vero & peccatoribus terrorem & cruciatum afferet. Prodigioſa illa virga Aaron, quæ tot in Ægypto noſtra mirabilia operata eſt, in nocte illa paſſionis ita floruit, totque fructus protulit; in ſerpentem conuertetur. Egregia illa arbor, in medio olim mundi plantata, vt vitæ fructum hominibus afferret, impiis mortem & interitum ſempiternum arceſſet.

Cur impiis tunc aduerſabitur.

Vbi eris tunc, ô beata & benedicta crux, qui in te pependit Ieſus Chriſtus? vbi erunt brachia illa extenſa ad peccatores recipiendos? Vbi glorioſum illud caput ſpinis obſitum, deorſum vergens ad hominibus oſculum præbendum? Vbi erit tunc latus illud lancea vulneratum, per quod peccatores ingredientes miſericordiam inueniant? Vbi erit, ô ſalutaris arbor, clementiæ benignitatiſque myrrha, ramis tuis deſtillans? Nullumne amplius ô arca diluuio iuſtitiæ tuæ eripies? vbi erit ô decora vitæ arbor, iucundus ille immortalitatis fructus? vbi nam ſalus quam afferre ſoles? Vbi tunc latebit glorioſa illa virgo mater tua, quæ pedibus ſe tuis ſolebat proſternere, proque peccatoribus intercedere? nihil tunc apparebit huiuſmodi, omnia in terrorem commutata erunt.

Exod. 7. *Ierem.* 1. *Exod.* 4.

Miſericordiæ torrentes qui per mundi huius Ægyptum manare ſolebant, in ſanguinem conuertentur. Virga illa excubans, quam vidit Ieremias, in ollam ſuccenſam mutabitur, & Virga illa Aaron, in colubrum; id eſt, glorioſa illa crux conſolatio bonorum & gaudium, horrorem impiis incutiet: quod in Exodo figurate expreſſum legimus. Nubes enim illa, quæ Hebræos in exitu Iſrael de Ægypto, ab Ægyptiis diſcernebat, his horrorem iniiciebat, & obſcura erat; illis vero conſolationem afferebat, eratque lucidiſſima. Ita quoque illuſtre illuc crucis vexillum impiis terribile erit; iuſtis vero ſummæ conſolationi. Illic namque impii, (de quibus

Exod. 14.

Paulus agit, *Multi ambulant quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti,*) dicent, quod olim Ioſephi fratres pœnitentia ducti ad inuicem dicebant, *En ſanguis eius requiretur*; ideoque deſperabunt & efferaſcent, teſte Pſalmiſta, *Peccator videbit*, crucem glorioſam, *& iraſcetur; dentibus ſuis fremet & tabeſcet.* *Philip.* 3. *Gen.* 24. *Pſal.* 111.

Eſt & aliud quod iudicem hunc terribilem reddet; vocis nimirum aſperitas & ſeueritas, quæ omnes percellet. Ita id ſignificare videtur Dauid, *A voce tonitrui tui formidabũt:* Iob vero eam intolerabilem putat, *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri.* Tunc, tunc inquam, ſummus ille Iudex clamabit, tonabit, & voce ſua omnes homines perterrefaciet. VI. *Pſal.* 103. *Iob.* 26.

Reſpexit huc Dauid, *Deus noſter manifeſte veniet, & non ſilebit*; olim quidem inſtar paruuli qui fari non poſſet, venit ac ſiluit, coram Herode & Pilato obmutuit; ſed ſemel adhuc veniet, & tunc plena & ſtentorea voce clamabit, vel, vt Iob ait, *in voce ſua tonabit*, vt & alibi in litteris ſacris ſcriptum eſt; *Tonabit de cœlo Dominus, & excelſus dabit vocem ſuam*, & Samuelis mater, *Dominum formidabunt aduerſarii eius, ſuper ipſos in cœlis tonabit.* *Pſal.* 49. *Iob.* 37. 2. *Reg.* 22. 1. *Reg.* 2.

Ceterum tonitrua ſunt vt plurimum tempeſtatum ac procellarum præſagia, fulminum, coruſcationumque prænuntia. Ad eundem modum rugiens illa Iudicis vox euidens vniuerſalis tempeſtatis ſignum erit, fulminumq; ſanguineorum, quæ poſt terribilem hanc ſententiam, *Ite maledicti in ignem æternum*, in impios euibrabuntur, præſagium. O ecquænam fulmina, tonitrua, tempeſtateſque!! *Matth.* 25.

Et non ſilebit. Hic aures arrige infœlix & miſer peccator, qui vitiis tuis ſecurus indormis. Tacet modo Deus & indulget interea dum peccas: dicit namque de ſe, *Hæc feciſti, & tacui*; & alibi, *factus ſum, ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* At in die iudicii clamabit, inſurget, ac vocem extollet; *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Iſaias vero hyperbolicos locutus ait eum inſtar parturientis exclamaturum, *ſicut parturiens loquar.* Modo qui- *Pſal.* 49. *Pſal.* 37. *Pſal.* 49. *Iſai.* 42.

quidem videtur ſtertere; & ad delicta noſtra obſurdeſcere, ſed tunc *excitabitur velut potens à crapula*, & inſtar tonitrui reboabit. Cuius rei figuram hic adfero.

Allegoria. Gen. 1. Noe vineæ quam plantauerat ſucco guſtato inebriatus obdormiuit, detectiſque verendis à filiis deriſus fuit; at expergefactus impium Cham qui eidem illuſerat, in æternum maledixit, & diro anathemate percuſſit. Verus Noe Chriſtus Dominus, Eccleſiæ vinea plantata, eius amore inebriatus, & præ indulgentia quodammodo ſtertens, ſuam in cruce nuditatem demonſtrauit, quia & à peccatoribus, in cœlo eum dormire videtur, velut ingratiſſimis filiis ſæpiſſime deridetur, dum variis eum criminibus quotidie offendunt, & crucem, paupertatem, humanitatem, nuditatem denique explodunt & ſubſannant; ſed mox vt ſubito quaſi excitatus fuerit; ſomnumque velut abruperit, æterna eos maledictione feriet. Confirmat meum dicere Pſalmiſta: Pſal. 77. *Excitatus eſt tamquam dormiens Dominus, & quaſi potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis.* Bene meo iudicio, ait: *Excitatus eſt.* Tam altum enim Deus dormire iam videtur, vt nonniſi magno ſonitu & fragore excitari à ſomno poſſe videatur, quo vindictam de delictis ſumat.

Sed ſcelerum noſtrorum clamor adeo magnus eſt, vt eum à ſomno excitet, adque iuſtitiam faciendam inuitet. Gen. 4. Ad hunc modum excitari ſe ait voce ſanguinis iuſti Abel ad parricidium digna vltione caſtigandum, ita clamor Sodomorum eum ad vindictam ſumendam ſollicitauit, & inuitum quodammodo compulit; Gen. 1. *Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus eſt.* Ita etiam in luctuoſo illo iudicii die, omnium totius mundi ſcelerum clamore & ſonitu excitatus, de iiſdem vindictam ſumet. Deus igitur modo videtur ſtertere, ſed vbi excitatus fuerit, terribilem ſeſe demonſtrabit, & rigorem, furorem, & vindictam ſpirabit.

Simile. Nullo adamas dicitur artificio frangi & comminui poſſe; at cum frangi cœperit, in varias particulas reſolui; de diuina patientia idem dicere quid vetat? modo namque eadem adamantina videtur, frangi non poteſt, vitiorum noſtrorum malleis haud cedit; ſed in magno & intollerabili iudicii die cum frangi cœperit, tota diſſoluetur, inque varia furoris, iræ, vindictæ ſe genera diffundet; furoris inquam adeo horrendi, vt hunc ſibi proponens Iob, inter ignes tartareos, horrendaque dæmonum ſpectra, incendiaque ſulphurea verſari maluerit, quam eundem ad modicum tempus ſuſtinere. *Quis mihi hoc tribuat, vt inferno protegas me, donec pertranſeat furor tuus?* Iob. 14. O paradoxa, & rem incredibilem!

Tantum profecto Iudex hic tunc temporis furorem induet, vt in improborum condemnatione lætaturus quodammodo & plauſurus, inque eorum ſanguine manus lauaturus videatur. Docuit hoc me Pſalmiſta dicens, *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Pſal. 57. Omnes propemodum interpretes hoc de Chriſto Ieſu intelligunt, qui per antonomaſiam dictus eſt *Iuſtus*; & loco *manus ſuas*, Iudex impiorũ ſanguine arma tinget. Hebraici fontes legunt, *Pedem ſuum*, vt ita vindictam, quam ſumpturus eſt, deſignent.

In quo victores imitatus eſt, qui inimicis in bello profligatis, eoſdem etiam calcando ſolent protrere, pedem eorum ceruicibus ſuperimponere, & ſanguine illorum arma ſua tingere. Ita legimus feciſſe Ioab Dauidicæ militiæ Principem interfectis Abner & Amaſa, 3. Reg. 2. *Effudit enim*, inquit Scriptura, *ſanguinem illorum, & poſuit cruorem prælii in baltheo ſuo, & in calceamento ſuo.* Iſai. 63. Et in hunc ſenſum explicat doctiſſimus Lyranus verba illa Iſaiæ. *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, ſicut calcantium in torculari?* ita namque Chriſtum ab Angelis interrogandum putet, cum iam iudicio peracto, triumphis & victoriis partis nobilis ad locum ſuum redibit. Quid vobis videtur, Auditores, anne vmquam veſtrum aliquis de huiuſmodi iudice audiuit, aut ſimilem vidit? Ipſe enim ſine vlla gratia, aut indulgentia in reos deſæuiet, quin & in eorum damnatione ſubſannaturus eſt, vt de ſe apud ſapientem teſtatur, Prou. 1. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo,*

cum

cum Solis id, quod timebatis, aduenerit. Non enim erit benignus ille iudex, qui mulierem in adulterio deprehenſam, à Phariſæis ad lapides condemnatam, noluit condemnare, ſed eandem, ſcripta in terra ſalutari illa Abſolutionis linea impunè dimiſit. Hoc ipſum modo cum animabus noſtris adulterio ſeſe inquinantibus agit: nam, quamuis dæmones eas ad mortem depoſcant nulla condemnationis in eas ſententia lata, omnia delicta terræ inſcribit, noſq; ad pœnitentiam longanimiter exſpectat Sed in iudicio illo vniuerſali mox vt excuſati ſumus, cõdemnabimur, & miſericordia exulante iuſtitiam tollentem cornu experiemur. Non amplius tunc obmuteſcet, ſed intonans dicet, *Ego ſum Ioſeph quem vos vendidiſtis in Ægypto*, ego ſum Deus ille, maledicti peccatores, quem vendidiſtis, perdidiſtis, & ob nugas aliquas exigui momenti negaſtis periuri, quem ob fugacem quandam voluptatem, & vmbratile quoddam oblectamentum nefarie perdidiſtis. Quis hæc improperia æquo animo toleret, quis non hic tremat & expalleſcat. Gen. 45.

Equidem dum vel de eo loquor, exanimor, vires me & latera deficiunt, lingua balbutit, & verba rei magnitudine iudiciſque horrore perculſus non inuenio materiæ & propoſito congruentia: quamobrem ſatius erit id ipſum meditari & animo percurrere, quam verbis id aſtruere conari. Atque ideo recordamini nouiſſima veſtra, & in æternum non peccabitis: proponite vobis ob oculos iudicis huius inexorabilis rigorem, & ſeueritatem eius perpendite, cum ad ſolum nutum eius cœlum, terra, elemẽta, & quidquid hic ſolidum & firmum apparet, concutienda ſint. *Vidit & commota eſt terra, montes ſicut cera fluxerunt.* Si igitur montes inſtar ceræ fuſilis diffluant, quid facient fragiles homines: ſi gigantes & coloſſi pallore exanimentur, quid à pigmæis exſpectes? ſi iuſtus pauebit, peccator quomodo ſecurus & quietus erit? *Si iuſtus vix ſaluabitur, peccator vbi parebit?* Vnde bene in officio de defunctis canit ſancta mater Eccleſia. Pſal. 69. 1. Pet. 4.

Quid ſum miſer tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus?
Cum vix iuſtus ſit ſecurus.

Cogita igitur tecum infrenis & impudens peccator, quid futurum ſit in ſtricti huius iudicis manus incidere, Solis huius omnituentis oculis expoſitum eſſe? Solis inquam, cuius immenſum ſplendorem caligantes & lippientes peccatorum oculi ſuſtinere nequeunt? Solis, qui omnia inſpicit & conſpicit, intima quæque cordis penetralia & occultas animorum latebras rimabitur? Solis, cuius lumen electos recreabit, peccatoribus autem mille ſupplicia & cruciatus inferet? Cur enim putemus, iudicem hunc toties in ſacris literis ſolius iuſtitiæ nomine appellari? vt in primis in loco illo Malachiæ, *Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius*: & apud Pſalmiſtam, *Thronus eius ſicut ſol*, Euangeliſta vero de eiuſdem transfiguratione, *reſplenduit facies eius ſicut ſol*, & Ioannes in reuelationibus, *facies eius vt ſol.* Malach. 4. Pſal 88. Matth. 17. Apoc. 10.

Variæ autem nominis huius dari poſſunt rationes, & cum ſole noſtro ſimilitudines; quarum hæc è Theodoreto prima eſt. Nam veluti ſol ab altero mundo reuerſus, noſtrique hemiſphærii ſtadium ingreſſus, dormientes excitat, lumenque ſuum diffundit. Ad eundem modum ſol noſter Ieſus in fatali illo die exoriturus, cœlo deſcendendo, mundique horizontem illuſtraturus, mortuos, qui tanto iam tempore in ſepulchris alto ſopore oppreſſi iacuerunt, excitabit, atque alterius vitæ viam eos faciet intueri, iuſtis quidem æternæ beatitudinis lumen; impiis vero caliginem & perpetuæ damnationis tenebras adferendo. Cur Chriſtus ſoli comparetur.

Secundam hanc ponimus. Quemadmodum ſol ortu ſuo noctes & dies diſterminat, omniaque nobis reuelat quæ prius latebant: ita ſol ille iuſtitiæ nouas aduentu ſuo dies & nouas noctes producet, ſolidum nimirum illum æternitatis diem, qui electis æternam beatitudinem afferet & longam damnationis noctem, quæ mille improbis in tetro carcere detentis cruciatus & tormenta dabit; atque illorum virtutes, horum vero ſcelera, quæ nemini prius nota erant, manifeſtabit.

Tertia eſt hæc. Quia in illo die omnia illuſtrabit, atque, vt Apoſtolus ait, *illuminabit* 1. Cor. 4.

R *abſcon-*

Digitized by Google

abſcondit tenebrarum, & veluti nocte terram cooperiente, nec rerum pulchrarum decorẽ, nec turpium deformitatem nemo videre poteſt: ſic interea dum vitæ huius nox omnia cooperit; nec iuſtorum virtutes, nec improborum ſcelera diſcernere poſſumus, at vbi ſol ille iuſtitiæ exortus fuerit, omnia euidentiſſime patebunt.

Appellatur adhæc ſol iuſtitiæ, quia tunc iuſtitiæ radios per omnia diffundet, & tunc omnibus omnino hominibus manifeſte apparebit quanta iuſtitia & bona opera ſit remuneraturus: & peruerſa caſtigaturus. Atq; hoc eſt quod vos metuere aut apprehendere velim, hoc eſt, quod menti veſtræ ſemper infixum cupiam.

Vnuſquiſq; igitur ſerio hæc animo voluat, & cogitet, ſi Iacob, viſo Eſau, cum equitibus ſibi occurrente, adeo trepidarit: quid facturus ſit peccator, cum ſummum illum iudicem, Angelis & cœleſtibus ſpiritibus ſtipatum, ſibi è directo occurrentem videbit? Agite igitur, ſi hodie vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra; operamini bonum dum tempus opportunum habetis, & interea dum iudex affabilis eſt, iudicii reminiſcamini, eiuſdem verba ſemper animo voluite. Intueamini Paulum illum Tarſenſem; hic enim cum, teſte Luca, vocem cœlitus emiſſam audiuiſſet, *Saule, Saule, quid me perſequeris*? ſubito pauore perculſus; ſtatim
Actor. 9. manus dando reſpondit, *Domine quid vis me facere?* Paratum cor meum Domine, ad mille pro nominis tui honore cruciatus, martyrium, mortem denique ipſam ſubeundam. Idem vos dicere velim, Auditores: & quoniam hodie audiuiſtis, Chriſtum veſtrum iudicem futurum, & huic omnium operum reddendam eſſe vſque ad vltimum quadrantem rationem; quoties cœleſtem hanc in
Actor. 9. animo vocem percipitis, *Saule Saule quid me perſequeris*? id eſt, Inſenſate & ſtolide peccator, quid me toties tantiſque delictis offendis, quin tu iuſtitiam meam ob oculos habes, cur non cogitas me iudicem tibi futurum, & nulla tecum benignitate vſurum? quando, inquam, hanc inſpirationem ſentitis, tunc confeſtim Domino roganti verbis hiſce noſtris reſpondete;

Domine quid nos vis facere? ecce paratos nos ad ſincere tibi toto vitæ tẽpore ſeruiendum: ecce conuerſionem, vitæque emendationem pollicemur. Eſto nobis ô iudex rigide & ſeuere, propitius, miſerere noſtri, ne in furore tuo arguas nos, noli iniquitates noſtras tam exacte diſquirere: ſi enim ſingula enucleatius rimatus fueris, quis tandem iuſtus reperietur, quis gloriæ tuæ conſors & particeps reddetur? Noli igitur miſerationũ tuarum antiquarum obliuiſci, at noſtræ potius fragilitatis memor eſto: noſtram hinc paupertatem, & tua illinc merita conſtitue. Memento, obſecro, humanam noſtri te cauſa naturam aſſumpſiſſe, cruci affixum eſſe, pretioſum ſanguinem profudiſſe, mortem denique acerbiſſimam toleraſſe; tantus igitur labor non ſit caſſus. Si tu nos, ô Iudex, iniquitatum vindex acerrime, cõdemnes, quid nobis crux illa profuerit? ſi tu nos perdas, quid commodi acerba tua paſſio nobis attulerit? ſi tu nobis aduerſeris, quid neceſſe fuerit tam immẽſum olim amorem ac dilectionem oſtẽdiſſe, adeo vt noſtri cauſa cœlo deſcẽderis, & mortem oppetieris? Adhæc, ſemper ô Iudex benigniſſime dixiſti & docuiſti, mortem te peccatoris & interitum nolle, hoc te reipſa in Iudicio tuo velim demonſtrare, vt iuſtus & verax in ſermonibus tuis inueniaris. Deinde obſecro, vt, cum vitæ noſtræ cauſam examinaueris, ſecundum nos ſententiam pronunties, vt ſuperiores facti in æternam beatitudinem & gloriam ingredi valeamus, in quam nos introducant Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

FERIA

FERIA QVINTA.

DE IIS QVI EXTREMI IVDI-cii die iudicandi erunt.

Partitio.

1. *De iudiciali gladio Chriſti.*
2. *De comparitione omnium ac ſeparatione.*
3. *De reſurrectione omnium.*
4. *De diſparitate reſurgentium.*
5. *De loco iudiciali.*
6. *An & paruuli non baptizati comparebunt.*

Memorare nouiſſima tua, *& præſertim iudicium, atq; propone tibi ob oculos, qui in eodem iudicandi erunt*, & in æternum non peccabis. *Eccl.7.*

FIGVRA.

Exod.19. Vnum illud oraculum Judaicæ Synagogæ Moyſes, cum Iſraelitas, qui ſexcentorum millium numerum complebant, ex vniuerſa Ægypto collectos educeret, omnes in deſertū Sinai deduxit, vt illic legem, quæ magno cum fragore tempeſtatibus & tubarum ſonitu promulgabatur, acciperent. Idem omnino in ſuprema illa die euenturum eſt; Chriſtus enim, prudens ille totius vniuerſi legiſlator, omnes homines, tam qui à multis ſæculis defuncti in tumulis iacent, quam qui tunc moriuntur, in vnum collectos, in vallem Joſaphat deducet, vt in ea non legem aliquam, ſed horribilem ſententiam, quæ cum tonitru, fragoribus & procellis feretur, accipiant. Sententiam, inquam, illam generalem, ac terribile decretum, quod tam in eos, qui ante nos vixere, vel nobiſcum modo viuunt, quam eos, qui ſequentibus ſæculis vſque ad mundi conſummationem futuri ſunt, pronuntiabitur. Illic ſcilicet omnes totius orbis ſtatus congregabuntur: de quo conuentu hodie vobis pluribus loquar. Porro, vt omnia pro dignitate reique amplitudine peragantur, omnia ad iudicis huius gloriam, iudicandorumque conſolationem redundent, more ſolito ad ſancti Spiritus opem velut ad aſylum confugiamus, ſimulque Deiparæ auxilium efflagitemus: ille nos conducat, hæc deducat & dirigat; ideoque ſupplices ſalutationem illi Angelicam recitemus:

AVE MARIA.

I. Nullum vnquam prudentius & ſimul ſecretius ſapientiſſimus ille Regum Salomon iudicium tulit eo, quod in Regum libris ſcriptum legimus: quando nimirum duabus coram eo de prole mortua diſceptantibus mulieribus, ſublimi è ſolio duodecim leonibus fulto, puerum de quo quæſtio inſtituta erat, quo vtraque ſibi ſatisfactum arbitraretur, medium gladio diſſecandum, & cuiq; partem, ad tollendam controuerſiam, ex æquo dandam pronuntiauit, hocce iudicium alterius cuiuſdam longe horribilioris, quod Salomon noſter IESVS CHRISTVS inſtituet, typus ſit ac figura; Quando nimirum ipſe in throno maieſtatis conſidens, Angelis & Archangelis circumquaque ſtipatus, diſceptantibus coram ipſo duabus matronis, extremo dolore affectis, Eccleſia nimirum militante & triumphante, idque de gloriæ & beatitudinis prole, furoris gladium exeret, vt vtrique ex æquo iuſtitiam adminiſtret. Ita idipſum prædixit Pſalmographus: *Gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit.* Et Ezechiel: *Egreditur gladius meus de vagina ſua ad omnem carnem ab Auſtro vſq; ad Aquilonem.* Item Job: *Fugite ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius e[st]:* quem gladium cum Dauid in ſpiritu videret, ingenua prouolutus Dominū orat, quo ab hoc mucrone eripi poſſit, *De gladio maligno eripe me.*

3.Reg.3. *Pſal.7.* *Ezech.21.* *Iob.19.* *Pſal.143.*

Apoc.1. Myſtice hæc omnia in reuelationibus ſuis vidit Joannes, quando admirabilem quendam hominem vidit, cuius ex ore gladius anceps egrediebatur; per quem iudicis noſtri furorem vere putem deſignari: cuius nimirum vox adeo horrenda futura ſit, vt inſtar acutiſſimi gladij animas ſimul & corpora transfodiat & diſſ[ecet]. Atque hinc Propheta regius iudicem h[...]

orans, vt iudicij ſui diem maturet, atque impiis iuſtitiam faciat, eum, vt lateri gladium accingat, hortatur, *accingere gladio tuo* Pſal.44. *ſuper femur tuum potentiſſime*; in quo iudicio cum eoſdem euertendos & perdendos præſagiret, ait: *Tradentur in manus gladij.* Pſal.61. Quidquid demum ſit, de inimicis ſuis Deus vindictam ſumet, omneſque gladio exterminatore vſque ad internecionem delebit.

Gen.3. Cum Deus Adamum eiusque coniugem, quod diuinam peccando maieſtatem offendiſſent, iudicare conſtituiſſet, ac triſtem mortis in eos ferre ſententiam, quæ ad omnes etiam poſteros longa ſerie ſubſequentes ſe extenderet, Cherubinum quendam flammanti armatum rhomphæa ante Paradiſi introitum, qui eundem cuſtodiret, collocauit. Hic nobis ad oculum demonſtratur, vltimi iudicij tempore, quando nimirum omnes ad mortem condemnandi erunt, appariturum, non quidem Cherubinum, ſed ipſum Deum, idque in valle Joſaphat iuſtitiæ rhomphæa accinctum. Notandum vero eſt, gladium hunc ancipitem fore & vtrimque acutum, vt hinc euidens fiat, non corpora tunc ſolum, ſed animas etiam condemnandas, viuos deinde non ſecus ac mortuos diiudicandos, & omni hunc ex parte vulnera inflicturum.

Hic autem iuſtitiæ mucro, quamdiu hic viuimus, nonniſi vna ex parte ſcindit, corpus quidem dumtaxat in hac vita, in altera vero animas caſtigans: ſed in iudicij die anceps erit, corpora ſimul & animas in interitum præcipitans. Adhæc idem hic iam inde à mundi exordio adeo obtuſus fuit, vt nonniſi vna ex parte ſecare potuerit: & quamuis ingentes plagas fecerit, numquam tamen, quæ ſecanda erant, penitus valuerit reſcindere. Magnam quidem inciſuram fecit diluuij tempore, quando omnes præter octo interemit: at vniuerſum hominum genus exſcindere non Gen.7. valuit, octo animabus in ruinæ reparationem lictis. Ægypptiorum quidem plurimos in-Exod.12. teremit, ſed ſolos primogenitos. In excidi Jerichuntino omnes quidem domos euertit & deſtruxit, at vna Raab meretricis Ioſ.6. impune habuit. Quam crudeliter, deinde in Sodomorum Gomorrhæorumque territorio ſæuiit, adeo, vt in ipſos etiam lapides Gen.19. animaduerterit: Familiam tamen Loth nunquam potuit exſcindere. At poſt vitam hanc, vtrimque erit acutiſſimus, omniaque deſcindet & perdet. Figuras depromamus.

Exod.17. Voluit olim Dominus, Joſuam Amalecitis bellum inferre, victoriamque luculentam pugnanti conceſſit, eoſdem tamen penitus exſcindi noluit, nec ſtirpitus deleri: ſed quadringentis poſt annis, Hebræorum iam regno ſtabilito, inque meliorem ordinem redacto, Sauli præcepit, vt Amalec deleret, penituſque exſtirparet, vt ne ipſis quidem parceret animalibus: *percute Ama-* 1.Reg.15. *lec, & demolire vniuerſa eius, omniaque interfice à viro vſque ad mulierem, paruulum & lactentem.* Hic docemur, Deum ſæpe quidem in hac vita de nobis triumphum agere, deque vitiis noſtris victoriam referre, at penitus nolle perdere: ſed, vbi regnum Iſrael ſemel ſtabilitum fuerit, id eſt, vbi electorum regno cœleſti inſerendorum numerus completus, atque impiorum iniquitas ad ſummum iam venerit; omnia deleturum, & ad ipſa vſque animalia vaſtaturum.

1.Reg.24. Saul eum armis grauatus innocuum Dauidem ad necem inſectaretur, eique inſidias ſtrueret; Dauid ſemper ab eo fugit, & eius rabiem declinauit; dumque eum commode in ſpelunca occidere potuiſſet, ſuperſedit, laciniam chlamydis præſcidiſſe contentus. At cum Saul nihilominus in nefaria conſpiratione machinationeque impia progrederetur: in montibus Gelboe vna cum 1.Reg 31. filiis à Philiſthiim fuſus fugatusque ingloriⁿus occubuit. Idem prorſus hic agit Deus. Nam interea dum eum velut impij quidam Saules in hac vita, omnibus peccatis armati perſequimur: nos ille quodammodo fugit, & abſcondit ſe; & licet omni nos momento & nullo non loco, ad inferos poſſet detrudere, ſuperſedet tamen, laciniam aliquam de chlamydibus noſtris, afflictionem temporalem immittendo, reſecuiſſe contentus.

Digitized by Google

tentus. At vbi nos in peccatis nihilominus inualeſcere, inque via iniquitatis progredi conſpicit: ad alterius nos vitæ montes & in vallem Ioſaphat, quæ ſunt, velut mõtes Gelboe, quos nec ros, nec imber miſericordiæ irrigat, educens, in manus Philiſthæorum infernalium, cuncto vanitatum noſtrarum exercitu fuſo fugatoque, nobiſque & peccatis noſtris, quæ infelix animæ abortus ſunt, morti æternæ adiudicatis, tradet. Adeo, vt dicendum ſit, omnes omnino homines in altero mundo & in horribili iudicij die, hoc gladio interficiendos, & mox reſurrecturos, vt coram iudice hoc compareant, plenam operum ſuorum mercedem recepturi. Tantus porro hic horror & deſolatio erit, vt ſi vel ſemel eandem in mentem reuocaremus, ab omni prorſus delicto vitam immunem traduceremus. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*, ait Sapiens: hac de re hodiernam concionem contexam, quæ duabus conſtabit partibus prima de iis aget, qui in cruento hoc die iudicandi erunt, altera vero demonſtrabit, quo habitu & ſchemate reſurrecturi ſint, qui illuc venient: in quo ſi benignas mihi aures præbueritis, non mediocrem me vobis vtilitatem & voluptatem allaturum confido. Eccl. 7.

In iudicio omnes homines colligentur. Principio igitur dicendum eſt, in ſupremo illo iudicij die, omnes omnino homines, qui ſuperioribus ſeculis fuere, aut modo etiam viuunt; vel ad mundi conſummationem vſque futuri ſunt; vnum in locum congregandos: tam eos, qui duobus annorum millibus in lege naturæ vixere, quam, qui totidem annos in Moſaica & ſimul eos, qui ſub lege Euangelica vixerint & victuri ſint. Hic omnem ſuam poſteritatem Adam conſpiciet, hic omnes filios agnoſcet Eua, poſteros ſuos Noë, ſemen ſuum Abraham, & filiorum ſucceſſionem, Jacob in duodecim diſpertitam tribus, ô numeroſam congregationem.

III. Illic comparebunt omnes, qui Aſiam incoluerunt, omnes, qui ſub torrida Africæ plaga commorati ſunt, omnes quos diues Europa produxit, omnes denique quos vt ſuos America agnoſcit: Illuc rationem reddituri venient ex Oriente, & Occidente, ex Septentrione & Meridie, ipſi etiam Antipodes integro à cæteris diſcreti orbe. Ita namque id docet Euangeliſta: *Congregabuntur ante eum omnes gentes*; tam quæ Arcticum, quam quæ Antarcticum polum reſpiciunt, & quæ vltra fretum Gaditanum & Herculis columnas ſunt poſitæ. *Omnes gentes*. Hic aderit Æthiops vicino peruſtus ſole, & Indus orto iubare anhelantibuſque etiamnum equis afflatus: hic aderit Scytha & Sarmata Arctoo frigore excoctus, & quicunque ſub occiduo cœli axe cadentem ſolem cõſpiciunt. *Omnes gentes*. Gallus nimirum inconſtans & varius, Hiſpanus furuus, Italus duplex & iram fouens, faſtuoſus Britannus, mobilis Belga, diſſolutus Germanus, ac denique perfidus Tartarus. *Omnes gentes*. Chriſtiani, inquam, pij; Iudæi ſuperſtitioſis cærimoniis dediti, Proteſtantes ſectarij & hæretici, Græci ſchiſmatici, Turcæ Mahometis cultores, & Ethnici omnes idolis immolantes. ô ecquænam illa iuriſdictio! quam late patens diſtrictus! Paulus Apoſtolus, quem ſchola cœleſtis, teſte Euſebio Cæſarienſi, erudiuit, hoc confirmat: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum ſiue malum*; id eſt, Quamprimum vt buccina ſignum dederit, cælites omnes cælo, dæmones inferno, purgandi omnes purgatorio, mortui denique ſepulchris egredientur: nam: Matth. 25. Lib. 3. c. 4. hiſt. Eccl. 2. Cor. 5.

Tuba mirum ſpargens ſonum
Per ſepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

ô terribile tubæ ſignum! at terribilius multo eſt, quod Apoſtolus ait, *manifeſtari*; quo oſtendit, omnia tunc peccata & ſecreta cordium aperta & patentia fore. Neque enim tunc aſſumi poterũt fici folia ad peccati turpitudinem velandam, non erunt tum cameli portatitij, quibus idola Laban auehantur. Sed tunc per parietem mortalis huius templi latentes introrſum abominationes, toti orbi patebunt, & cordis adyta tunc cuiuis aperta erunt. Gen. 3. Gen. 31. Ezech. 8.

Tunc omnes ſimul Patriarchas vno in loco videre licebit, illic Prophetarum laudabilis

dabilis numerus, illic glorioſus Apoſtolorum chorus, illic candidatus Martyrum exercitus, illic candidata Virginum agmina, & vniuerſa Angelorum militia comparebunt. Tres item illæ Hierarchiæ cœleſtes, in tres legiones ſubdiuiſæ, atque vnaquæque legio in varias turmas, manipulos, atque innumeros ſpiritus deſtincta. Nam, teſte Propheta, *non eſt numerus militum eius:* quorum nonniſi per millia & myriades Daniel numerum ſubducit, *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.*

Iob.25. Dan.7.

Exod.14. Tunc erit, Auditores, exitus ille de Ægypto, quando nimirum corpora illa terræ viſceribus egredientia, quæ tanto iam tempore in ſepulchris gemuere, pelle & carne propria circumdata, iterumque redanimata & rubrum diuinorum iudiciorum mare tranare parata, partim quidem vndarum vorticibus abripientur, improborum ſcilicet, partim vero portum & fidam ſtationem attinget, id eſt, iuſtorum & electorum.

Tunc quoque parabolæ illæ Euangelicæ finem accipient & complebuntur, & imprimis illa de decem virginibus. Nam ſtatim vt tuba inſonuerit, iudiciumque indictam fuerit, virgines illæ tam fatuæ quam prudentes, peccatores nempe & electi corpora ſua, quæ per lampades deſignantur, reſument, & ſimul oleum, id eſt, bona opera: atque ita obuiam ſponſo, qui tunc inſtar Iudicis erit, procedent. Sed ſtolidæ illæ virgines, peccatrices ſcilicet animæ, occluſam inuenient ianuam, (ianuam miſericordiæ gratiæq; aditum intelligo,) nihil enim tunc amplius promere poterunt, & inutilis omnis erit pœnitentia. Virgines autem prudentes, id eſt, iuſti recta ad æternæ beatitudinis nuptias cum ſponſo epulaturæ tranſibunt. Atque ita hanc parabolam interpretatur Sanctus Hilarius. Tranſeamus ad alteram.

Matth.25.

Tunc quoque tempus meſſis vniuerſalis aduenietque; tunc mundi huius ager, bona ſemente iuſtorum & peccatium zizaniis conſitus, falcem patietur: operarij namque, id eſt, Angeli, zizania primum euellent, id eſt, peccatores, eaque in faſciculos colligata flammis perpetuis tradent: bonum autem virtutum ſemen, quod in iuſtorum animis excreuit, in cœlum, id eſt, in æternæ beatitudinis horreum congregabitur. Ecce tertiam.

Matth.13.

Tunc erit etiam aduentus illius patrisfamilias, qui ſeceſſit in regionem lõginquam, idq; ipſo aſcenſionis ſuæ die: in qua iam mille ſexcentis propemodum annis hæſit. Interea vero nos hic velut ſeruos reliquit, omniumque nobis rerum & bonorum ſuorum, talentorum, inquam, crucis, mortis, paſſionis, gratiarum, omniumque meritorum adminiſtrationem concredidit. At vbi reuerſus fuerit, id eſt, ad iudicium venerit, exactam de omnibus ab vnoquoq; rationem depoſcet, adeo, vt qui interea plurimum lucrifecerint: magnis honoribus & diuitiis cumulandi ſint: qui vero negligentes & inertes pecunias & talentum concreditum abſconderint, in tenebras exteriores præcipitandi. Tunc namque diligentibus & ſedulis dicetur: *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* De inertibus vero & ignauis. *Eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Matth.25. Ibid. Matth.25. Ioan.7.

Tunc denique bonus ille Paſtor, qui olim de ſe teſtatus eſt, *Ego ſum paſtor bonus,* circa mundi veſperam, oues ab hœdis ſequeſtrabit, hos à ſiniſtris, illos vero à dextris conſtituens: id eſt, peccatores in æternam damnationem præcipites aget, iuſtos vero æternæ beatitudinis compotes faciet. Hactenus parabolas, iam figuras aliquot depromamus.

Moyſes Hebraicum populum diſtincturus, ſex tribus in monte Garizim collocauit, eos nimirum quorum patres è liberis & honeſtis matronis nati erant, quales erant Lia, Rachel, &c. vt illic diuinam benedictionem perciperent: alias ſex in monte Hebal conſiſtere voluit, vt ibi maledictis & diris deuouerentur, quarum maiores libertini erant, & ancillis nati. Idipſum facturus eſt Moyſes noſter Chriſtus: omnes namque mundi nationes in valle Ioſaphat, quæ haud procul à monte Olìueti ſita eſt congregabit, & tunc ſex tribus à dextris conſtituet,

Deut.27. Figura.

runt, Angelos videlicet, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres & Virgines, qui omnes illuſtri & nobili ſtirpe prodierũt, vt cœleſtem illic benedictionem percipiant,

Matth.25. *Venite benedicti Patris mei*: ſex vero à ſiniſtris: diabolos ſcilicet, ethnicos, Hæreticos, Iudæos, nefarios Chriſtianos, & infantes ſine baptiſmo regenerationis mortuos; plebeias inquam & ſordidas animas, mera peccati mancipia, & in triuio nata, vt in æter-

Matth.25. num condemnentur. *Ite maledicti in ignem æternum*.

Ioſ.8. Legimus in Ioſue, cum Leuitæ populum benedicere aut maledicere cuperẽt, omnem multitudinem circa arcam Domini in duas partes diuiſam, & partem hinc, & partem illinc ſtetiſſe: *Omnis autem populus & omnes maiores natu duceſque ac iudices ſtabant ex vtraque parte arcæ, media pars eorum iuxta montem Garizin & media iuxta montem Hebal. Poſt hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis & cuncta quæ ſcripta fuerunt in legis volumine.* Docemur hic, mox, vt ſummus Iudex in die iudicii maledictiones vel benedictiones pronuntiauerit, omnes mundi homines in duas partes, in conſpectu ſummi illius Præſidis, qui vera Arca fœderis eſt, diuiſum iri, his ab vna, illis vero ab altera conſiſtentibus. Ecce & alias.

Gen.1. In ipſo rerum primordio diuiſit Deus lucem à tenebris. Ait Auguſtinus, hoc etiam de iudicio intelligi poſſe, quo angelos prauos à bonis, contumaces & præuaricatores à morigeris ſeiunxit. Equidem poſt tantum doctorem aliosque Patres ſanctitate & doctrina illuſtres, putem hic etiam oblique extremum iudicium deſignari, quo Deus electos, qui ſæpius *filii lucis* appellantur, ab improbo-

Ioan.12. Luc.16. rum colluuie, qui tenebrarum filii ſunt, aliquando ſeparaturus eſt.

Nabuchodonoſor potens ille Chaldæorum rex, elegit ſibi in excidio Ieroſolymitano, ex omni adoleſcentum numero, iuuenes pulcherrimos, in quibus nulla eſſet macula & moribus excultiſſimos, vt regi deinde à menſa, à cubiculo & poculis eſſent, & quotidie coram eo apparerent: reliquam vero turbam in Chaldæam abduxit, vt illic vincula Dan.1. ſuſtinerent & in mancipia venumdarentur. Ita quoque Deus, totius orbis princeps, in triſti magnæ huius ciuitatis, mundi ſcilicet, excidio, formoſas electorum animas, in quibus nulla ſit peccati contagio, ſibi aſſumet, quo in palatio ſemper deſeruiant, & diuinitatis ſuæ maieſtatiſque beatitudine fruantur: reliquos autem in captiuitatem abducet, & carceribus Satanicis, id eſt, æternis, mancipabit. E quibus omnibus efficitur, omnes omnino defunctos ſepulchris egreſſuros, & omnes mundi nationes ante eum apparituras. III.

O infinita & immenſa virtus! Quid? fierine poteſt aut credi, corpora illa, quæ iam à quatuor aut quinque annorum millibus in cineres & putredinem redacta ſunt, iterum victura, locutura, ambulatura? corpora inquam, quæ vorticibus marinis abſorpta ſunt, vbi à piſcibus deuorata, qui deinde ab hominibus, homines vero à beſtiis conſumpti ſunt, quæ deinde in putredinem conuerſæ? Quid ni? quæ enim tu, ô humana curioſitas, fieri non poſſe putas potentiæ diuinæ facillima ſunt. Et ſane multo facilius eſt, putre corpus in priſtinum ſtatum reformare, quã nouum aliquod ex nihilo, nulla parata materia condere. Hinc Dauid *Cuſtodit Dominus* Pſal.33. *omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur*, nec amittetur.

Creator ipſe Ezechieli Prophetæ hoc ad oculum demonſtrauit; duxit enim illum in campum mortuorum oſſibus oppletum; & Ezech.37. ait, *Putaſne viuent oſſa iſta*: & vt dictum factum eſt, *ecce acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam, & vidi, & ecce ſuper ea nerui & carnes aſcenderunt, & extenta eſt cutis in eis deſuper: & ingreſſus eſt in ea ſpiritus & vixerunt ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.* Dic veritatem Propheta, an non & nos hinc erudimur, & poſt nos, vniuerſa hominum poſteritas, omnes illos mortuos qui modo in cæmiteriis ſepulti iacent, in magno iudicii die reſuſcitandos, pelle & carnibus veſtiendos, ac rurſum animandos? & quidem ſine vlla exceptione; omnes enim iterũ ſolis lumen intuebuntur rediui-

Digitized by Google

Ion. 2. diuini. Ad imitationem ſcilicet Ionæ Prophetæ, hic namque cum triduo in ceti aluo captiuus fuiſſet, ſoſpes & incolumis eſt egreſſus, eaque duplici cuſtodia ventris & Oceani, liberatus. Mundus hic, Auditores, vt hoc propoſito noſtro adaptemus, turbulentus quidam Oceanus eſt, terra Cetus: eius autem vtero & viſceribus infiniti Ionæ, id eſt mortuorum corpora, ſalui & integri prodibunt, in alterius vitæ littus eiecti, vt æternæ beatitudinis portum intrent, vel ad ſcopulos alliſi æternæ damnationis naufragium incurrant.

Dan. 14. Daniel ad lacum leonum coniectus, viuacior & vegetior exiuit, quam intrauerat. Dan. 3. Tres illi Hebræorum pueri in fornacem Babylonicam detruſi, cunctis ſtupeſcentibus, illæſi, & nec ambuſti quidem, egreſſi ſunt. Ita quoque ex inferioribus mundi huius carceribus, elementorumque camino, non ſine miraculo, diuina ſimiliter hic cooperante potentia innumeri mortui exibunt, vt coram iudice ſe ſiſtant.

Moyſis virga petram Sinaiticam percutiens, magno totius populi ſtupore, eadem aquam elicuit: quod prodigium Dauid Propheta diu poſt ruminans dixit: *Qui conuertit petram in ſtagna, & rupem in fontes aquarum:* Non ſecus eſſet, ſummo illo Deo potentiæ ſuæ virga ferales illas ſepulchrorum petras ſolummodo tangente, infinita eiſdem corpora, præter omnium Philoſophorum opinionem & commune eorum placitum, (*A priuatione ad habitum non datur regreſſus*,) & rigidi iudicium, (quod ait: *Putaſne mortuus homo rurſus viuat?*) egredientur. Hoc ipſum tu olim ô Iob confeſſus es, *Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum*: & poſt te Euangeliſta, *Congregabuntur ante eum omnes gentes.*

Exod. 17. Pſal. 113. Iob 14. Matth. 25. Iſa. 13.

Vere *omnes*. Cui ſententiæ Iſaias etiam adſtipulatur, *Viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum*: non ait, ſuper mala Iudæorum, gentilium, Chriſtianorum, ſed in genere, *ſuper orbis mala*: quæ Paraphraſtes Chaldæus ita interpretatur, *ſuper habitatorum orbis mala*. Vnde apparet, omnes omnino homines hic appariturοs, vt de nefarie vel bene actis mercedem recipiant. Omnia quoque hic delicta diſquirentur, & rigidiſſime punientur: hic habebitur quæſtio de Antiocho Epiphane & Eupatore; qui variis Iudaicam gentem modis afflixere: hic puniatur faſtus & arrogantia Iuliani Apoſtatæ, qui primus à morte Pertinacis auro ſibi & largitionibus ad Imperium viam ſtruxit: hic redarguetur intolerabilis illa Ioannis Conſtantinopolitani Patriarchæ ſuperbia & ambitio, qui primus ſchiſmatis, quo Græci etiamnum infecti ſunt, auctor exſtitit, ac primus ſibi Vniuerſalis & Oecumenici nomen, ſoli Rom. Pontifici diuina conceſſione debitum, vſurpare auſus fuit. Atque hoc eſt quod Propheta ait: *Super orbis mala.*

1. Mach. 16. 2. Mach. 10. Zozim. lib. 1. Baron. to. 8.

Certo namque certius eſt, omnes ad iudicium venturos, mortuos omnes vnico momento reſurrecturos: vix enim iudicium fuerit indictum, quin omnes mox beatorum animæ cœlo deſcenſuræ ſint, damnatorum vero inferno egreſſuræ, ſuis vt corporibus rurſum coniungantur, quorum cineres & pulueres hinc inde ſparſi Angelorum miniſterio in vnum coaceruabuntur: illæ quidem vt corporibus ſuis cœleſtem gloriam communicent, quæ olim ærumnarum pœnarũque ſocia extitere: hæ vero, vt infauſta ac miſera corpora ſecũ ad inferna rapiant, quoniam illa in peccando auxiliata ſunt. Hæc porro inter vtraq; erit differentia, quod hæc quidem deformia, fœda, viſuque horrenda & monſtroſa futura ſint, electorum vero pulchra, agilitate, ſubtilitate, ſplendore & impoſſibilitate dotata. Innuere id videtur Apoſtolus dicens: *Canente tuba mortui reſurgent incorrupti.* Quod figuris aliquot notius faciam. 1. Cor. 15.

Eſther, quæ tenuiter apud Mardochæum educata erat, cum in Aſſueri potentiſſimi regis coniugem adoptata eſſet, ita diſponente ſorte & ſuperis, haud ingrata in benefactorem exſtitit, ſed ſuæ fœlicitatis participem reddit: ſiquidem eum morti, ad quam cum vniuerſo Iudæorum populo Amani inuidia condemnatus erat, eripuit, purpura & cocco veſtiuit, & ſecundum à Esth. 8.

Rege

Digitized by Google

Rege in aula Perſarum fecit: adeo vt qui vili prius membra ſacco & cilicio cooperuerat, auro & murice regio indutus fuerit. Quam præclara ſub hacce figura latitant myſteria! Per coniugem hanc regiam, intelligamus animam, quæ à primo creationis ſuæ tempore, in miſeri huius corpuſculi velut pauperis Mardochæi tugurio ac familia educata, cœleſtem deinde gratiam adepta, & ad gloriæ coronam euecta, ne ingratam ſe erga nutritium ſuum (corpus inquam ſuum, quod tot olim pœnis, ærumnis, auſteritatibus, mortificationibus, pœnitentiiſque ipſa affixit) exhibeat, melioris id ſortis ſuæ participes reddet: ideoque vitam ei immortalitate & impaſſibilitate datam, conſeruabit, regioque id ſchemate induet, cum veſtibus gloriæ, claritate inquam, ſubtilitate, incorruptioneque, ipſum circumdabit: adeo vt quod vili prius & lacero ſacco in ſepulchro indutum fuit, auro & gemmis renitens, regificoque habitu amictum, reſuſcitandum ſit. Ecce & aliam.

1. *Reg.* 17. David quamdiu patris greges cuſtodiebat, & Goliadas ei expugnandus reſtabat, paſtoritio & vili habitu indutus fuit, ſed poſtquam ex agro in vrbem commigrauit, victoriamque aduerſus Goliadam obtinuiſſet, & regalibus veſtibus ipſius ſcilicet Saulis paludamento circumdatus fuit. Docemur hic, quamdiu miſerum hocce corpus in vitæ huius agris commoratur, ſuoſque greges, id eſt, ſenſus & facultates aliaſque potentias propemodum brutales paſcit, & ingens mundi gigas adhuc reſtat debellandus; plebeio amictu, ſcilicet mortali, morbis obnoxio, paſſibili & corruptibili, indutum eſſe, & à mendico & inope parum aut nihil differre: ſed nouis, mox vt ruſticitatem exuit, deque inimicis victoriam retulit, exuuiis rutilaturum, ſplendidum & nitidum futurum, & ad inſtar regis alicuius induendum. Ita id namque prædixit Pſaltes, *Conſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia.* Id eſt, ſcio Domine, in magno illo reſurrectionis die è lacero hoc & vili corpuſculo, aliud te nouum paraturum indumentum; vt, ſcilicet, vilibus, quibus modo circumdatum eſt panniculis, ab- *Pſal.* 29.

iectis, pretioſo habitu & regio ſchemate refulgeat.

Sed quid? ad alteram iam orationis partem deuenetam, & ignorabam: ipſe ſcilicet veſtimentorum fulgor & nouitas extra metam me abripuerat.

Dico igitur, vti & prius pluribus dixi, ſupremo & illo vere metuendo die, omnes omnino homines coram ſummo tribunali apparituros: ſtabilit hancce meam ſententiam certiſſimam calculo ſuo Paulus, *Omnes,* inquit, *ſtabimus ante tribunal Chriſti,* vt & alibi, *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti,* & quia nemo excipitur, aut excuſationem poterit prætexere, dixit *oportet*; ait etiam *nos*, quia omnes in perſona illic comparebimus, nec procurationem vllus mittere poterit, aut negotia afferre ob quæ excuſetur. *Omnes* denique, quoniam tam reges & Imperatores, quam plebeii & ignobiles hic citabuntur. Sed non eadem omnium erit facies & habitus; peccatores enim apparebunt tetri, deformes, & horridi, puluerulenti; electi è contrario, rutilantes, nitidi, ſplendidi, atque inſtar ſiderum ſoliſque radiantes: O dignum notatu diſcrimen quod egregiis iam conceptibus decorabo. 1. *Cor.* 5. *Rom.* 14.

IV. Rebecca filia Batuel, neptis Nachor (qui fuit frater Abrahæ) vxor Iſaac, geminos eodem partu effudit, Iacob & Eſau, ſed moribus inter ſe diſſimillimos; hic namque inſtar vrſi piloſus erat & horridus; ille vero leuis & mollicellus. Ita quoque ex eadem valle, velut vtero, magno illo iudicii die, duo fratres vterini egredientur, iuſtus nimiru. peccator, ſed qualitatibus inter ſe penitus differentes: erit ille pulcher & delicatus; hic vero deformis & horridus. Huc quoque facere videntur ea quæ Pſalmographus initio Pſalmorum ſcripſit, *Non ſic impii, non ſic; ideo non re urgent impii in iudicio, neque peccatores in con ilio iuſtorum*: id eſt, cum glorioſis & ſplendidis iuſtorum corporibus, ecce & alium. *Gen.* 25. *Pſal.* 1.

Eadem fornace egrediuntur prunæ ardentes, & carbones atri. Ita ex ardente diuinorum iudiciorum fornace corporea iuſtorum velut ſcintillæ viuæ (*tamquam ſcintillæ* *Sap.* 3.

Digitized by Google

in arundineto diſcurrent.) egredientur, & ſimul impiorum, qui ſunt veluti carbones mortui (*ſicut carbones ad prunas*, ait ſapiens.) *Prou.26.* Sed multo id apertius Ieremias innuit in Threnis, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum.* *Thren.4.*

Gen.41. Vidit olim Pharao vno in prato ſeptem boues pingues, obeſos, toroſos, & bene cõpactos, alios item ſeptem deformes, & macilentos, qui vix præ macie oſſibus hærebant. Scio Ioſephum ſomniorum interpretem de ſeptem fertilitatis annis, & totidem ſterilitatis, qui Ægyptiis imminebant, id expoſuiſſe. Sed quid ni poſſet hoc (vt ſcriptura fœcunda eſt & circumdata varietate) ad noſtrum propoſitum detorqueri? ſcilicet eadem valle Ioſaphat, quæ velut pratum futura eſt, egreſſura, non quidem ſeptem, ſed infinita (ita namque ſeptenus numerus in ſacris literis ſæpe capitur) corpora macilenta, deformia, hiſpida, horrida, inculta, qualia futura ſunt impiorum, & totidem nitida, pulchra, pinguia & viſu iucunda, id eſt, iuſtorum, & ad æternam gloriam deſtinatorum.

Ecquod tunc erit iuſtis gaudium, Auditores, ecquæ lętitia ac iubilus, quando ſplendida illa anima, diuinis dotibus inſignita corpus iterum redamabit? Quæ ſigna edet exultationis? quibus eam verbis corpus alloquuturam putamus? his credo vel ſimilibus: ...c accede ô ter beatum corpus, accede chariſſima & indiuidua ſocia, intra in gaudium Domini tui, mecum eſto hæres cœleſtis gloriæ & beatitudinis, & particeps gaudiorum exultationiſque, vti & dolorum fuiſti, *Vna patiens, vnaque gloriam ſuſcipiens cum collega corpore*, ait apud Oecumenium in Comment. Methodius. Sed quonam gaudio perfundentur, quãtam dulcedinem intrinſecus corpora ſentient, quando ſibi ſepulchris egredientibus adſtare videbunt Angelos, qui magno amoris & beneuolentiæ ſigno ſe amplectentur & ſtringent, atque his vel ſimilibus verbis alloquentur? Venite electi venite benedicti, venite cœli & cœlitum deliciæ, venite, quoniam ita æquum eſt, venite & audite ſententiam quam pro vobis iudex noſter hodie pronuntiabit.

Numquamne vobiſcum perpendiſtis gaudium illud Patriarchæ Ioſeph, quo perfuſus eſt, quando duobus annis in carcere Ægyptio tranſactis, eodem eductus purpura indutus eſt, coram Pharaone in gloria ſtetit, & totius Ægypti Dominus eſt conſtitutus? Porro ipſa beatorum lætitia exultatioque longe, mihi credite, maior erit; quando nimirum ab Angelis è terræ viſceribus, in quibus tanto tempore latitarunt, educti, gloriæ habitu circumdabuntur, ante Deum apparebunt vt principes, & in regno cœleſti æterna beatitudine perfundentur. *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* *Matth.25.*

E contra vero quantum erit impiorum tormentum, quis dolor & cruciatus, quando infœlices illæ animæ corpus repetere coactæ lamentabuntur & ingemiſcent? Eheu maledicta, inquient, corpora, maledicta dies, qua eſſe cœpimus: propter vos æternis, eheu! modo ſuppliciis addicimur. Sis igitur particeps pœnarum & cruciatuum perfida caro, quæ ſcelerum & peccatorum ſocia, & adminiſtra extitiſti. Toties, ô maledicta lingua, proximi tui famam denigraſti: toties, ô infelices oculi, voluptatum meatum proxenetæ laſciuo intuitu fuiſtis: luite igitur modo ſupplicia, impudicitiæ veſtræ mercedem accipite. Quomodo vero metuent & trement; quomodo æſtuabunt, quando lateri imminentes videbunt ſatellites illos infernales, tortores illos immaniſſimos? Nullum ſiquidem tunc iis aliud ſupererit ſolamen, quã lamentari, & orare vt à montibus obrui poſſint. *Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus; Operite nos.* *Luc.23.*

At ſoli iuſti hic exultabunt & plaudent (*lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*) mirabiliſque hic rerum fiet conuerſio. nam qui *Pſal.57.* ſeipſos hic diiudicarunt, & examinarunt, nudipedes fuere, aſpero membra cilicio domuere; tunc gemmis & auro rutilabunt: qui vero in purpura & byſſo ſuperbierunt, genio

nio & ventri indulſerũt, molli in pluma dormierunt; laceri tunc & pannoſi, itoque pauperiores, & maxime infames erunt. Quod ex verbis illis Iob elicui: *Cunctis diebus nunc milito, exſpecto donec veniat immutatio mea.* Id eſt, ſcio vitam hanc Domine in aliam commutandam; ſcio etiam eos, qui in hoc mundo ſericum, byſſum, coccum indui Reges imitantur, in altero nudos, inopes ac velut mendicos fore: qui vero hic miſelli videntur, miſeriis & ærumnis oppreſſi gemunt, in ſordibus mundi huius iacent, in altero inſtar Principum futuros. At, quod me in hiſce meis calamitatibus & ærumnis conſolatur, eſt, quod ſperem eas in meliorem lætioremq. aliquando fortunam commutandas.

Iob.14.

Noli, quaſi de te ſolo loquens, dicere ô Iob, *immutatio mea*; ſed dic: *immutatio noſtra.* Erit enim renouatio quædam vniuerſalis & metamorphoſis toti adeo orbi communis, cum omnes coram iudice hoc gentes congregandæ ſint. Quanta, Deus bone, hic tunc hominum turba ac multitudo colligetur; illic omnes mundi nobiles, Eccleſiaſtici, & mechanici conuenient! Erit tunc quoque vniuerſi orbis deſcriptio, non quidem ſub Auguſto Cæſare, ſed ſub regum Rege Ieſu Chriſto. Sed quonam in loco omnis hæc multitudo congregabitur, quonam in angulo, quo mundi cardine concilium illud generale peragetur?

V. Quo in loco iudiciũ futurum ſit.

Prophetæ id aperte dixiſſe viſi ſunt. Ioel enim, qui ſub initio principatus Manaſſis floruit & Ieruſalem à Babyloniis diripiendam prædixit, aperte demonſtrat, haud procul ab vrbe Ieroſolymitana, iuxta montem Oliueti, congregationem hanc gentium fore; *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.* Eundem etiam locum Apoſtolis deſignarunt Angeli, vt in Actis legimus, cum dixere: *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Conſtat autem Chriſtum è monte Oliueti cœlos petiiſſe haud procul à valle Ioſaphat, (quæ vox Hebraice ſonet iudicium,) ſequitur itaque eodem illum loco ad iudicandum venturum. Cui opinioni ſuffragatur S. Hieronymus in tertium Ioelis caput commentatus; nec non Chryſoſtomus, cuius hæc ſunt verba: *Vallis eſt, quæ dicitur Ioſaphat, in qua Iudex cœleſtis populos diſcutit, & omnes gentes examinat.* S. Thomas vero aperte id à Scripturis diuinis putat poſſe colligi, & imprimis è verbis illis Angeli ſuperius recenſitis, Actorum 1. è quibus probatur, CHRISTVM haud procul à monte Oliueti ad iudicandum deſcenſurum, quemadmodum & illinc ad cœlos in gloria triumphator aſcendit. Deinde è verbis Pſalmiſtæ: *Deus autem Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ*, id eſt, Ieroſolymæ; quæ iuxta Ioſephum, libro 3. de bello Iudaico, cap. 3. Hieronymum in 5. caput Ezechielis; Hilarium can. 35. in Matth. Cyrillum Hieroſolymitanum Catech. 13. & venerabilem Bedam, de locis Sanctis cap. 3. aliosque magni nominis auctores, in meditullio orbis ſita eſt. Atqui vniuerſalis adeoque omnium ſalus in extremo illo iudicio fiet; ergo iudicium in mundi medio, circa Hieroſolymam, in valle Ioſaphat peragetur. Porro nemo ſani iudicij dixerit, hoc de primo Chriſti aduentu debere intelligi; vbi enim Vulgata vertit, *operatus eſt ſalutem.* Hebræa habent, *ieſcuhot*, id eſt, *ſalutes*; de ſecundo Domini aduentu id intelligẽdum eſſe, manifeſtum fiat, in quo cum de corporis, tum de animæ ſalute agetur.

Ioel.3.

Actor.2.

Serm. de pœnit. tom.5.

In 4. ſentent. diſt. 48. q.1. art.4.

Pſal.73.

Deinde, præterquam quod ſacris id teſtimoniis probetur, rationibus id etiam variis euinci poteſt, nimirum quod locus ille huic rei maxime quadret. Primo, quia vallis hæc in medio terræ eſt, & eiuſdem quodammodo centrum. Quandoquidem igitur miſericordiæ iudicium in centro terræ factum eſt, iuxta Pſalmiſtam: *Rex autem noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ*; æquiſſimum quoque erit, vt in eodem & iuſtitiæ iudicium peragatur. Secundo, ait Matthæus, iudicem hunc Angelos emiſſurum, qui à quatuor mundi plagis electos congregaturi ſint: *Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna; & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum:* facillima porro

Pſal.73.

Matth.24.

Digitized by Google

congregatio ex angulis & extremitatibus ad medium fieri ſolet. Æquum eſt igitur & rationi maxime conſentaneum, iudicium vt in mundi medio inſtituatur. Tertio, Domini gloria & triumphus quo maior ſit, par videtur & æquum, illo in loco ab eo homines iudicari, in quo ipſe ab hominibus olim iudicatus & condemnatus fuit: Et ſane maior, mea quidem opinione, magno alicui principi, ſumma cum infamia regno à ſuis exacto honor videtur, in illud ipſum regnum denuo magna cum gloria reſtitui; quam aliud hæreditario iure, aut dono à quoquam accipere. Ita quoque rationi conſentaneum videtur, Chriſtum, qui natura totius vniuerſi Rex eſt, cum Hieroſolyma, quæ regni eius metropolis eſt, & optimo ad eum iure ſpectat, expulſus ſit, eodem reuerti, inque priſtinum regnum ſummo cum honore & gloria, vnde eiectus olim fuerat, reſtitui. Porro in medio mundi condemnatus, in crucem actus, & regno priuatus fuit, quamobrem neceſſe eſt, vt ibidem velut Iudex & rex glorioſus appareat.

Quarto, videtur vallis hæc à longo iam tempore cœlitus deſtinata, in qua iudicium illud vniuerſale inſtitueretur, velut locus Deo ad inimicos, id eſt, peccatores redarguendos, caſtigandos, & confundendos accommodatiſſimus. Loca namque in quibus mortem & paſſionem pertulit, ſanguinemque pretioſum effudit, iis oſtendendo, dicet, Videte ingrati, vrbem illam Bethleem, in qua veſtri cauſa intempeſta nocte natus ſum, & in præſepio reclinatus: videte deſertum, in quo pro vobis quadraginta diebus ieiunaui, videte templum, in quo toties ad ſudorem vſque in peccata veſtra debachatus ſum, vos coargui, legemque Euangelicam & perfectionis viam edocui; videte montem Oliueti, circa quem latronis inſtar vinculis alligatus fui & comprehenſus: videte ingratam & perfidam illam vrbem Hieroſolymorum, in qua deluſus & opprobriis ſaturatus, flagellis cæſus, & ad mortem inique fui condemnatus: Videte denique Caluariæ montem, in quo mortem ſubij, ſanguinem pro vobis effudi, & iliadem malorum cruciatuumque perpeſſus ſum: ô improperia intolerabilia!

Refert Plutarchus Manlium virum generoſum, & victoriis plurimis nobilem, ſed ob neſcio, quod facinus in Rempublicam admiſſum morti adiudicatum, cum ad ſupplicij locum traheretur, atque eminus ſaxum Tarpeium & Capitolium conſpiceret, è quo Gallos Senones olim depulerat, vitamque diſcrimini expoſuerat, iudicibus id monſtraſſe, atque ita eorum ingratitudinem reprehendiſſe, ſuaque in Rempublicam collata beneficia exaggeraſſe, vt eum ſupplicio addicere auſi non fuerint, ſed indemnem dimiſerint. Hoc quidem apud Ethnicos; ſed quænam erit illa infamia & confuſio, quando Iudex ira iuſtiſſima incenſus, ſumma cum maieſtate, omnibus comitantibus Angelis, ad locum, in quo olim mortem & paſſionem pertulit, veniet, atque iis à quibus olim condemnatus fuit, loca demonſtrabit, velut noua quædam Capitolia, in quibus ſtrenuus ille Manlius pro eorum ſalute tot diſcrimina adiit? His igitur improperiis optime vallis hæc Ioſaphat conueniet, in qua omnes gentes ante ipſum congregabuntur. *In vita Camilli.*

Quid? omneſne hic congregabuntur? hoccine fieri poteſt? vallisne hæc tot myriades hominem capit! Qui hoc fiet? Vlterius ne tende ô humana curioſitas, hocque indagare noli. Quomodo credas, tot animalium genera diluuij tempore in Arca Noë potuiſſe contineri? Adhæc, qui fieri poſſe putas, vt tot damnatorum corpora poſt iudicium in inferni anguſtiis coarctentur, in quibus tamen extreme & in vltimis etiam pedum manuumque articulis excruciabuntur, atque acerrimum ignem ſentient? Hic autem vos ſcire velim, vt obiter dicam, in generali hac hominum congregatione, electorum ac beatorum corpora, propter ſingularem agilitatem aliasque dotes ſupernaturales, quibus dotata erunt, in aere volatura, atque ad inſtar aquilarum in altum ſe liberatura. Eſt hoc Apoſtoli iudicium: *Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto* *in*

Quomodo omnes homines in hac valle conſiſtent.

1. Theſſ. 4.

Digitized by Google

in aera. Damnatorum vero forſitan Deus infinita ſua virtute ita coanguſtabit, vt nullum horum occupent; vel erit illic forſitan corporum in ſe inuicem penetratio: itaque ante eum congregabuntur omnes gentes.

Eritne igitur iudicium hoc vniuerſale? omneſne ante tribunal hoc cõparebunt? quid Angeli hic opus habent iudicari? Quid a lõgo iam tempore damnati, & diaboli hoc egent iudicio? Quid ni? Scriptura falli nequit, dicens: *omnes congregabuntur*; Angeli quidem, vt accidentalem quandam mercedem, idque propter ſolicitudinem & curam, quam in hominibus ſeruandis habuere, recipiant: diaboli autem, vt noua quædam ſupplicia, propter infinitarum animarum ruinam, quas præſtigiis & tentationibus ſuis ad inferos traxere, ſuſtineant. Teſtem hic habeo Paulum, *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus?* id eſt dæmones. Damnati hic quoque iudicabuntur, non quod eorum ſcelera hic denuo examinanda & diſcutienda ſint, nam, *qui non credit, iam iudicatus eſt*: ſed quod hic condemnandi ſint, eo modo quo ij, qui Reipublicæ interitum moliuntur, & aduerſus eandem conſpirant, qui prius ad necem rapiuntur, quam eorum cauſa ad iudicum veniat ſubſellia. Atque ita dicendum, omnes omnino homines ante iudicem hunc comparituros.

1.Cor.6. *Ioan.3.*

Porro egregiam iudicandorum diſtinctionem ponit Magiſter Sententiarum, quam ex Sancto Gregorio hauſit: *Alij*, inquit, *iudicantur, & pereunt, alij non iudicantur, & pereunt, alij iudicantur, & regnant, alij non iudicantur, & regnant*; quod reperit & Richardus de Sancto victore, ſed aliis verbis: *Sciendum eſt autem, quod quatuor ſunt genera hominum, iudicati & damnati, iudicandi & damnandi; iudicati & ſaluati, iudicandi & ſaluandi.*

Mag.4.ſent. diſtin.17.

VI. Nũ paruuli ante baptiſmũ mortui hic apparituri ſint?

Quid vero dicemus de paruu'is, qui nondum nati in vtero materno ſuffocati ſunt; quid de iis, qui ſine circũciſione in Lege Moſaica, aut ſine baptiſmo in lege Euangelica mortui ſunt? intereruntne omnes iudicio huic? anne data ſententia cõdemnabuntur? Perplexa hæc quæſtio eſt, de qua plures merito, variis allatis rationibus, dubitant, eamque in controuerſiam vocant.

Prima dubitandi ratio hæc eſt. Scriptura cum de iudicandis agit, non niſi bifariam eos diſtinguit, aliquos ſcilicet à dextris collocat, quos per agnos deſignat; aliquos vero à ſiniſtris, quos per hœdos denotat. Paruuli autem neutris horum annumerari debent, nec cum illis ad dexteram collocari, cum diuinam maieſtatem propter originis noxam, cuius rei ſunt, intueri non mereantur: multo vero minus cum his ad ſiniſtram, cum nullum crimen actuale commiſerint, ac proinde ab omni ſenſibili pœna immunes ſint.

Secunda. Neutra quoque ſententia, quam Judicem tunc daturum Scriptura tradit, in eoſdem quadrare poterit: neque enim damnari poterunt, quod opera miſericordiæ, vt damnati facere neglexerint; nec etiam mercedem propter eadem, vt electi, recipere: quippe, qui numquam vixerint, vel ſi vixerint, ad ætatem non peruenerint, in qua eadem exercere potuiſſent. Non ſunt tamen plures quam duæ ſententiæ, & neutra harum in eos quadrat: ergo iudicio huic vniuerſali in quo de admiſſis criminibus, virtutibuſque omiſſis diſceptabitur, non intererunt. Ecce & aliam.

Daniel Propheta cum de iudicio & reſurrectione mortuorum ageret, ſcribit plurimos, qui modo in ſepulchris dormiunt in funeſto illo die reſuſcitandos, hos quidem vt vitam æternam ingrediantur, illos vero vt ignibus ſempiternis addicantur; *Multi de his, qui dormiunt, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium.* Et quoniam dicit *multos*, & non *omnes*, credibile eſt aliquos non reſuſcitandos, nec ad gloriam, nec ad ſupplicium: at inter hos quoſnam numerare melius poſſemus quam paruulos? Deinde, innocui illi paruuli cœleſtis gloriæ participes eſſe nequeunt, quia baptiſmo carent, nec ad infernalia ſupplicia detrudi, vt pœnam ſenſibilem patiantur, quæ non niſi ob crimina actualia infligitur. Cum igitur iudicium non niſi de cœleſti gloria beandis, aut infernum adituris habendum ſit, ſequi-

Dan

Digitized by Google

tur paruulos in hoc iudicio diiudicandos non eſſe.

Paruulos mortuos ſine baptiſmo veriſimile eſt reſurrecturos.

Rationes hæ validæ quidem & firmæ videntur, credibilius tamen eſt eos cum cæteris reſurrecturos, & non ſecus ac cæteros iudicandos. In hoc inclinare videtur Scriptura; Joannes enim in Apocalypſi de iudicio loquens ait: *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni.* Per puſillos hos quid vetat intelligere paruulos in ventre matris exſtinctos? Legitur adhæc in Euangelio: *Congregabuntur ante eum omnes gentes*; nam ſi aliqui iudicio huic non intereſſent, fruſtra *omnes* hic legeremus. Eiuſdem opinionis eſt & D. Thomas, duabus potiſſimum nixus rationibus, iiſque irrefragabilibus, quarum hæc prima eſt. Ad hoc generalis omnium reſurrectio neceſſaria videtur, vt, qui reſurgũt, mercedem, aut pœnam iuxta merita, vel demerita recipiant; at omnibus in genere debetur merces, aut ſupplicium, tum ob merita; vel demerita propria, tum aliorum; inter quos numerare etiam poſſumus paruulos, qui debita patris ſui Adam nondum penitus perſoluta perſoluere cum cæteris etiam tenentur. Neceſſe eſt itaq; eos vna cum cæteris reſurrecturos, & coram iudice apparituros, vt ab eo ſententiam condemnationis recipiant.

Apoc 20.

Matth. 25.

Alteram hanc ſtatuit. Gratia Jeſu Chriſti infinitis partibus maior eſt atque efficacior ipſo peccato Adami, vt Paulus ad Romanos pluribus indicat: qui peccatum patris Adæ ianuam morti aperuit, quæ exinde in omnes pertranſiit: Chriſti vero meritum reſurgendi initium dedit. Neceſſe eſt igitur, omnes à morte ad vitam reſurgere, & iudicio huic intereſſe, vt ita Chriſti meritum omnibus reſurrectionis gratiam elargiatur, quemadmodum primi parentis & peccatoris delictũ omnibus mortem & damnationem attulit. Sequitur hinc igitur, paruulos ad iudicium venturos, & Euangeliſtam verum dixiſſe dicendo: *Congregabuntur ante eum omnes gentes.*

Rom. 5.

Quis erit tunc dolor miſerorum illorum parentum, patrum, inquam, ac matrum, qui procurato infantium abortu, vel nimia ſua negligentia, eos, non accepto baptiſmi aduerſus originale peccatum remedio exſtingui paſſi, in cauſa fuere, cur in æternum diuinæ maieſtatis conſpectu priuentur? Tunc nimirum ſortem ſuam deplorabunt, tunc errorem ſero licet agnoſcent. Annon graue fuit Ezechiæ Regi audire, filios in captiuitatem Babylonicam trahendos, & inter regios Eunuchos connumerandos? ſed maior profecto parentum horum crux erit, cum, non dico audient, ſed oculis ſuis coram videbunt, liberos in æternum Dei conſortio priuandos, & inſtar Eunuchorum & mancipiorum in ſempiternum, in aula Ditis, qui verus Babylonis, id eſt, confuſionis Rex eſt, habitaturos? Neque enim dicere poterunt, vt Job olim amiſſis liberis: *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum*; nec ad imitationem Dauidis mortuo paruulo è Berſabee nato, ſaccis & cineribus ſeſe cooperient; ſeptemque diebus plorabunt, ſed luctus erit perpetuus, nulloque vmquam æuo terminandus, quod ſcient nullla ſe illis ratione poſſe ſuccurrere. Vere igitur vos infelices ô innocui! ac plurimis ſors veſtra lachrymis deploranda eſt. Concludemus igitur, vos hic vna cum cæteris hominibus apparituros, & veriſſimam Euangeliſtæ ſententiam eſſe: *Congregabuntur ante eum omnes gentes.*

Eſai. 39.

Iob. 10.

2. Reg. 12.

Sed iam frena orationis contrahenda finiſque dicendi faciendus. Recordamini igitur, Auditores, nouiſſima veſtra, recordamini, inquam, omnes coram iudice hoc comparituros, iudice ſeueriſſimo, ſtrictiſſimo, qui delicta etiam vel minima diſcutiet, & à nemine datis muneribus corrumpi poterit. Cogitate, neceſſe eſt, vel ad dextram, vel ad ſiniſtam collocari, inter electos, vel reprobos conſtitui, ſalutis æternæ, vel damnationis interminabilis ſententiam audire; quam ſi aſſidue mente cogitationeque pertractaueritis, facile vos à peccando continebitis.

Matth. 25.

Tu vero vniuerſalis ac ſumme hominum, Angelorum, ac dæmonum iudex, nouiſſimorum memoriam, ac iudicij huius rigorem animæ noſtræ laminæ profundiſſime inſculpe. Deinde præſta, vt, quando ad iudicium veneris,

Digitized by Google

veneris, & generalem hunc conuentum celebraris, ab hœdis ſequeſtrati, in dextra parte conſiſtere mereamur: vtq; corpora hæc noſtra ſepulchris egreſſa; pelle propria conueſtita, oſſibus compacta, animaq; denuo ſubintrante redanimata ſint, vt ipſe olim promiſiſti, inſtar ſolis rutilantia, inſtar ſtellarum rerumq; cœleſtium incorruptibilia, denique gloriæ cœleſtis gaudiiq; participent, vt olim dolorum & ærumnarum participarunt; & quoniam, ô Iudex maxime tremende, ſummæque maieſtatis, omnes in valle Ioſaphat, loco ad iudicium hoc peragendum peridoneo, comparere neceſſe eſt; nobis hoc, obſecro, bene cedat, vt, poſtquam lætam pro nobis ſententiam tuleris, in vitam æternã, quæ vltima & ſumma felicitas eſt, ingredi valeamus; cuius nos compotes reddat, qui viuit & regnat, in ſæculorum ſæcula, Deus. Amen.

FERIA SEXTA.

DE EXAMINE QVOD IN IVdicii die inſtituetur.

Partitio.

1. *De memoria præteritorum & futurorum vſurpanda.*
2. *De perſonis iudicii.*
3. *De horrendo rigore iudicii.*
4. *De libris aperiendis.*
5. *De examine Iudicis.*
6. *De peccatis nudandis.*

Memorare nouiſſima tua, *& præſertim ſeuerum examen quod in iudicio habebitur*, & in æternum non peccabis. *Eccleſ. 7.*

FIGVRA.

Matth. 25. Diues quidam paterfamilias, relicta domeſticis omnium rerum & facultatum adminiſtratione, theſauroque iis ad negotiandum, interea dum abeſſet concredito; abiit in regionem longinquam, procul à domo & patria. Poſt longum deinde temporis ſpatium reuerſus vocauit ad ſe ſeruos, rationemq; ab iis traditæ pecuniæ poſtulauit: ſingulorum vero rationibus diligenter examinatis, quos fideles & induſtrios in negotiando reperit, præmiis ampliſſimis affectos & laudibus, à ſe dimiſit: quos autem rerum ſuarum negligentes & ſocordes nihil feciſſe lucri comperit, acriter correptos crudelibus & æternis ſuppliciis addixit. Veritas parabolæ huius viſceribus cõcluſa, hæc eſt; Dominum ſc. noſtrum Ieſum Chriſtum, hominem illum patremfamilias, opulentum vt qui maxime, in die aſcenſionis ad cœlos, è mundi huius domo exiiſſe, vt in longinquam regionem ſecederet: in qua cum iam propemodum mille ſexcentis annis hæſerit, relictis interea nobis qui natura eius ſerui & ſubditi ſumus, gratiarum ſuarum theſauris, ſanguine inquam pretioſo, cruce, meritis: tandem aliquando, cum tempus ſuperna diſpenſatione præfinitum aduenerit, reuerſurum vt rationem nobiſcum ponat: &, quos tunc repererit, concreditis talentis bene & debite vſos eſſe, æternam illis beatitudinem in mercedem & compenſationem collaturum: quos vero inuenerit datam gratiam maleimpendiſſe, acriter caſtigaturũ, perpetuoq; incendio mancipaturum. Et paucis vt complectar, delineatum hic & rudi quadam Minerua adumbratum videmus examen illud, quod in extremo iudicio Iudex ille vniuerſalis inſtituet; examen illud nouum, inauditum, ſtrictiſſimum, in quo vix iuſti ad obiecta poterunt reſpondere. Ipſum porro latius deducturus ſum præſentis horæ ſpatio, ſi ſolitum S. Spiritus auxilium, Mariaque aduocata noſtra patrocinium non denegent. Angelicam idcirco omnes ſalutationem repetamus.

AVE MARIA.

I. Duorum temporum memoriam ſuaſit Pythagoras.

Docuit olim Pythagoras, duorum potiſſimum temporum homini rationem habendam, temporis nimirum matutini; quo quid toto die agendum ſit proſpicere oporteat; tum veſpertini, quo quid eodem actum eſt, ad examen & trutinam reuocandum eſt. Idem vt faceremus monuit nos hiſce verbis Seneca: *Animus quotidie ad rationem reddendum* *Lib. 3. de ira cap. 36.*

Digitized by Google

dam vocandus eſt : faciebat hoc Sextius , vt conſummato die cum ſe ad nocturnam quietem receppiſſet, interrogaret animum ſuum.

Si ethnici hoc faciendum ſuaſerint, nos noſtro hoc exulcerato ſæculo idem facere cur detrectemus, omnibuſque Chriſtianis aſſidue inculcare, duorum potiſſimum temporum habendam eſſe rationem. Ad vos igitur me conuerto, Auditores, vniceque exhortor, duorum vt temporum rationem habeatis, temporis nimirum matutini, vitæ ſcilicet & veſpertini, mortis; vt in vno malorum præteritorum, in altero ſtrictæ illius rationis, quæ vobis reddenda reſtat, memineritis: in quo Sanctos omnes qui vnquam extitere, imitabimini.

*Pſal.*142. Hoc namque erat exercitium regis Dauid, cum diceret, *Memor ero dierum antiquorum,* id eſt, Nunquam non recordabor dies iuuentutis meæ, vt peccatorum in iis commiſſorum hac ratione memoriam ſemper ante oculos habeam: in quibus de vita præterita deque aurora ſermo eſt, Alibi vero ait: *Pſal.* 96. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui* : id eſt, Non reſpiciam modo quæ præterita ſunt, ſed etiam oculos in venturos dies conuertam, examen tuum in mente habebo, iudicia poſt quæ ipſa æternitas ſequetur, ſemper recordabor; hic de veſpera quo exigenda eſt ratio, Propheta loquutus eſt.

*Iſai.*38. Idem olim mente agitabat Ezechias, & ad Dominum clamans dicebat : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* : Adde precor annos aliquot vitæ Domine, mortem differ, indulge laboranti inducias, vt interea vitæ prioris ſtatum recolere, præteritaque delicta diſquirere valeam, quibus tuam aliquando maieſtatem offendi. Meminerat ille temporis matutini, & Moyſes longe ante noctis: vnde de populi cæcitate & ingratitudine conqueſtus exclamat : *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia : vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* *Deut.*32. Vnde efficitur, cogitationem vtriuſque temporis eſſe ad ſalutem neceſſariam.

Poetæ omnium nugarum artifices & concinnatores, Deum quendam excogitarunt, cui gemina eſſet facies, vna nimirum qua videret ea quæ retro eſſent, altera qua quæ ante poſita conſpicaretur; & hunc Ianum bifrontem nuncuparunt. Fabuloſum hoc quidem & commentitium : hinc tamen oſtendere cupio, Chriſtianos bicipiti huic Iano ſimiles eſſe debere; geſtando nimirum oculos anterius, vt futura præuideant; item retro, quibus præterita reſpiciant. Chriſtiani Iano ſimiles eſſe debent.

Vidit Ezechiel olim quatuor animalia, *Ezech.*1. quæ pedes & alas haberent, quæque inſtar fulguris ibant & reuertebantur. Ænigmatice per hæc animalia deſignari certum eſt Chriſtianorum animas : quæ alas quidem habere videntur, eo quod piis ſe meditationibus à terra in altum ſubrigunt, pedes autem quando nimirum corporibus his incluſæ in lacrymarum valle curſitant; ſed debent adhæc ire & reuerti, in alterum ſcilicet mundum ſe contemplatione transferre, vt iudicium & examen quo Deus in impios vtetur perpendant : inde vero etiam mox reuerti, vt prioris vitæ ſeriem præteritaque delicta interdum præ oculis habeant. Huc reſpexit regius Pſaltes, dum canit : *Et propter* *Pſal.*7. *hanc in altum regredere, Dominus iudicat populos.*

In ſcala, quam Iacob olim dormiens vi- *Gen.*28. dit, quidam Angelorum deſcendebant, quidam vero aſcendebant, & nullus, vt bene notauit Bernardus, quieſcebat. Docet nos viſio, in vitæ huius ſcala, quæ nunniſi ſexaginta, ad ſummum octoginta gradibus conſtat, per quos ætatis noſtræ anni deſignantur, ſemper nobis eſſe ad extremi huius iudicii meditationem aſcendendum, & in delictorum noſtrorum cognitione deſcendendum, & in nullo nos gradu noſtri oblitos morari debere.

In lege Moſaica, quæ plena erat figuris *Heb.*10. (*Vmbram ſiquidem habet lex futurorum bonorum*) animalia quæ non ruminabant velut *Leu.*11. *Deut.*14. immunda habebantur. Nouum hic myſterium: quo edocemur, animas quæ nunquam aut rariſſime diuina iudicia ruminant, neve examina, diſcuſſioneſque, quas illic habitum iri certum eſt, meditantur, coram Deo velut immundas haberi. Hinc fortaſſe factum

ctum

Digitized by Google

ctum eſt: quod ſponſus in canticis, omnes dilectæ ſuæ perfectiones & dotes corporis deprædicans, inter cæteras os eius roſeum, & dentes ad ruminandum aptiſſimos dilaudet. *Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.* Et vehementis huius amoris teſtimonio diſcere poſſumus, inter omnes animas, quæ Ieſu Chriſti ſponſæ ſunt, eas longe pulcherrimas, maieſtatique eius gratiſſimas haberi, quarum dentes ſint ad ruminandum idonei, id eſt, quæ ſemper examen, quod in ſtricto illo iudicio habebitur, mente voluant.

Cant 7.

Et eſt hoc profecto attenta & matura meditatione digniſſimum: tunc enim magnus ille paterfamilias, vt in parabola apud Euangeliſtam habetur, villici, id eſt, peccatoris diffamatione audita, eundem ad ſe vocabit, vt coram eo rationem de villicatione reddat, indignatuſque illum increpabit, *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim amplius non poteris villicare.* Vnice ad hoc nos adhortatur Sapiens, creditque ſolam iudicii huius examiniſque inſtituendi meditationem eſſe optimum ac præſtantiſſimum aduerſus omnia ſcelera antidotum; dicens, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Atq; hoc eſt, quod præſenti vobis concione declarare decreui, primo docendo, quam ſtrictum & rigidum hocce examen futurum ſit, ac deinde quantus ex reuelatione occultorum ſcelerum futurus ſit pudor. Silete, primum aggredior.

Luc. 16.

Eccl. 7.

Docent Iuriſconſulti, vt iudicium aliquod (quod nonniſi legitimus actus eſt trium perſonarum, qui redditur inter ſtipulantes) plenum & abſolutum ſit, tres eſſe neceſſarios, iudicem nimirum, reum, & actorem: & ſi quando reus factum negat, quartum ad hos adhibendum eſſe, teſtem videlicet, qui id aperte probet, vt in Decretalibus iidem legum interpretes tradunt: per teſtimonia autem, ait hic gloſſa intelligere poſſumus actionem, inſtrumenta, ſcripturas, probationeſque aliunde accerſitas. Porrò nihil horum in vniuerſali iudicio deerit. Audiuiſtis enim iam alias, Chriſtum illic

ff. de verb. oblig.

Decret diſt. 4. cap. 1.

veluti abſolutum iudicem cum plenaria & delegata poteſtate conſeſſurum: rei porro ipſi, erunt peccatores, actor & accuſator, diabolus: non deerunt hic etiam teſtimonia & probationes extrinſecæ. Omnes ſiquidem creaturæ aduerſus miſerum hominem teſtimonium daturæ ſunt, *Omnis creatura armabitur contra inſenſatos.* Ipſa quin etiam vltrix conſcientia aduerſus eum teſtabitur, *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*, vt ad Romanos Paulus ſcribit.

Sap. 5.

Rom. 2.

II. Tunc ſcilicet ô miſelli rei, magnus ille Deus quæſtionem inſtituet, diaboli accuſabunt, propria denique arguet conſcientia. Tunc pater ille familias iratus dicet, *Redde rationem villicationis tuæ.* Quatuor vobis, ô peccatores fundos & villas tradidi, eaſque opimas, & in quibus lucrum facere potuiſſetis, quas iam mille ſexcentis annis tenuiſtis, imprimis mundi villam cum omnibus creaturis: corporis deinde, quod tot in ſe ſenſus ac facultates organicas continet: tertio animæ, quæ tot gratiis & chariſmatibus cœleſtibus donata eſt: denique villam crucis meæ, Sacramentorum, mortis, ſanguinis ac Paſſionis. De quatuor his iam rationem reddite. Dicite quomodo vos in earum villicatione geſſeritis, an non collatis vobis gratiis abuſi ſitis, eaſque in vetitos vſus conuerteritis.

Luc. 16.

Huc adſis Prælate & Epiſcope, redde rationem villicationis tuæ, gregis tui non caute cuſtoditi, tot animarum, quas prauis dogmatibus & malo exemplo imbuiſti, parochiarum perperam adminiſtratarum, bonorum Eccleſiaſticorum non recte expenſorum, beneficiorum male collatorum, aliorumque defectuum in animarum adminiſtratione admiſſorum. Tu quoque ô Princeps & rex, redde rationem villicationis tuæ; rationem de iniuſtitia à iudicibus tuis exercita, de tot peruerſis conſiliariis, de corruptis iudicibus, tot inſolentibus famulis, de luxu aulicorum, de ſuperbia ſubditorum, grauaminibus & exactionibus iniquis quibus populum exhauſiſti, de legibus in regno & dominio male cuſtoditis & violatis. Tu etiam nobilis redde rationem de donis tum corporis tum animi, redde rationem nobilitatis tuæ,

Digitized by Google

tuæ, libertatiſque illius quæ tibi plurimorum delictorum occaſio & anſa fuit, cum potius ſtimulus & calcar ad veram animi nobilitatem, quæ non niſi per virtutes comparatur, parandam eſſe debuiſſet; redde rationem tanti neglectus diuinorum mandatorum in plebe, oppreſſionis ciuium, pupillorum peculatus, ciuium tuorum ruinæ, ſuperbiæ inſolentiæ & arrogantiæ propriæ. Redde rationem Doctor, de pretioſo tempore perdito, & tepiditate erga res ſacras, negligentia in ſpiritualibus, de tot erroribus imo tot impiis & blaſphemis dogmatibus excogitatis. Redde rationem Religioſe, de obedientiæ tranſgreſſione, de caſtitatis & paupertatis regularumque tuarum violatione, de arrogantia & præſumptione loco humilitatis aſſumpta.

Redde rationem tu Concionator de profanato Euangelio, de ſcripturæ ſacræ neglectu, de tepiditate in peccatorib. caſtigandis, de exigua in docendo populo charitate: redde rationem quod fueris in orationibus rarus, ſtudiis tempus prout oportuit non impenderis, honores ambieris, ab omnibuſque coli & ſuſpici deſideraris. Redde tu etiam rationem mulier quod honorẽ violaueris, corpus vendideris, Dei tuique oblita te proſtitueris, quod Dei imaginem fucis & pigmẽtis vitiaueris, eius legem deſpexeris, tot animas in perniciem & interitum traxeris: tot inutilia & otioſa verba protuleris, tot impudicas cogitationes deſideriaque animo foueris, tot laſciuos intuitus emiſeris, & ab aliis viciſſim receperis: quod ita ſuperbieris, luxu diffluxeris, prodiga & effuſa fueris, proximum denique ſcandalo dato offenderis. Ecce hæc eſt examinis formula, Auditores.

Teſtes quinetiam hic audientur. Hinc namque diaboli frementes & rabie tumentes dicent, Peruicaces hos & obſtinatos cõdemna Domine, ad inferos detrude: *Conuertantur peccatores in infernum, iudica illos Deus*, (Pſal. 9.) mille namque criminum rei ſunt; *deſcendant in infernum viuentes*, (Pſal. 45.) vindica auaritiam illam, ſuperbiam caſtiga, infernalibus flammis luxuriam illam compeſce; *Redde retributionem ſuperbis*, (Pſal. 39.) inſolentes humilia, ad imum eos deiice qui caput inter nubila condebant: impudentibus pudorem incute, linguis doloſis loquelam eripe: *Erubeſcant impii, deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa.* (Pſal. 30.)

Illic vero cœli clamabunt & dicent. Iam, ô Creator æterne iuſtitiam exerce, iam iniurias in te commiſſas caſtiga, iam exurge & diſſipa inimicos tuos. Et ſane corpora illa cœleſtia aduerſus hominem etiam teſtimonium ferent iniuriamque ſibi ab eodem factam conquerentur. *Reuelabunt cœli iniquitatem eius.* (Iob. 20.) Nec ipſi ſolummodo cœli, ſed vniuerſæ etiam creaturæ: ipſæ quoque petræ, & ſaxa aduerſus eum teſtimonium dicent, & iudicem ad vindictam exſtimulabunt; *fulgura* creator omnipotens in (Pſal. 35.) ingratum peccatorem *coruſcationem tuam*, ſecundum iniquitatem eius vltionem exerce: *noluit enim intelligere vt bene ageret*, legem (Pſal. 35.) tuam ſemper contempſit, virtutum ſemitam noluit inſiſtere, ſed ad peccatorum deuium tramitem deflexit: *Aſtitit omni via non bona, & inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*: (Iob 21.) *duxit*, quin etiam *in bonis dies ſuos*, voluptatibus indulſit, tempus inutiliter tranſegit.

Verum quid ipſa hic dicet conſcientia? quomodo inſurget? quomodo prophetæ verba ingeminabit, & oſtendet, ſeſe toties impiis dixiſſe: *Nolite inique agere*; & delin- (Pſal. 74.) quentibus, *Nolite exaltare cornu.* Ad iudicem itaque conuerſa his eum verbis ad iracundiam & vindictam capiendam prouocabit? Officio tuo iam fungere iudex æquiſſime: nullam enim prætexere impii excuſationem queunt: furoris tui mucronem experiantur: nihil enim reperient quo nuditatem velent, & turpidinem pallient. Toties remorſus ingeſſi, tot pia monita quotidie ſuggeſſi, toties ad bonam frugem vt conuerterentur admonui; vt peccandi finem facerent extimulaui: toties dixi, ne inſoleſcerent, aut ſuperbiæ cornu exaltarent, ſed incaſſum. Quamobrem Domine, quoniam aduerſus hæc omnia ne mutire quidem audent, ſed ſe victos confitentur, iniuriam hanc vindica, iuſtitiæque brachium exere; Hæc mea depoſitio eſt.

Non

Digitized by Google

Angelorũ aduerſus peccatores teſtimonia. Non minora quoque hic dicent Angeli. Plena enim voce, ita vt ab omnibus exaudiendi ſint, hanc aduerſus hominem accuſationem inſtituent; Tandẽ aliquando, ô ſumme Judex, maledictos illos peccatores iudica, irreuocabilem illam mortis ſententiam, quam toties promeruere, aduerſus eos pronuntia: quamdiu enim in hoc mundo vixere, nullis noſtris inſpirationibus monitionibusque ad meliorem redire frugem voluere; ſuggeſſimus, vt à via praua conuerſi pœnitentiam agerent, vt relicto diabolo Deum agnoſcerent. Sed fruſtra. Toties libidinoſis & laxatis in omnem turpitudinem habenis ruentibus ſuggeſſimus: *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.* Auaris, *Rapinas nolite concupiſcere.* Propter diuitias inſoleſcentibus, *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Superbis & tumidis, *Nolite extollere in altum cornu veſtrum.* Peruicacibus & ſaxo durioribus, *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Omnis tamen noſtra adhortatio fruſtra fuit, mortuis & littori verba fecimus, ſed quia *noluerunt benedictionem,* ideo *elongabatur ab iis.* O teſtimonia grauiſſima, ô depoſitionem ſole & meridie clariorem! Nihil ad hæc, ô miſer peccator reſpondere aut hiſcere poteris, cum omnia ſint quam certiſſima, & teſtes omni exceptione maiores. Quis hic itaque non trepidet ac formidet.

Pſal. 31. *Pſal.* 61. *Ibid.* *Pſal.* 64. *Pſal.* 49. *Pſal.* 108.

III. Porro Deus ipſe examinabit & diſcutiet, ait enim de ſe apud Prophetam, *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Dæmones autem accuſationem intentabunt, & omnes creaturæ teſtes erunt. Quale, Deus bone, examẽ, qualis actio, qualia teſtimonia! Deus litem diſquiret, ô horror! diabolus eam mouebit, ô terror! totus autẽ orbis eidem ſubſcribet, miſerum! An non metuis anima mea; cum cogitas aliquando te coram ſtrictiſſimo hoc iudice apparituram, coram tot teſtibus de rei veritate certiſſimis; & vbi de tot criminibus accuſaberis? Princeps ille hominum Adam, vnius tantummodo criminis reus, huic ſeſe iudici ſiſtere iuſſus, comparere metuens, fugaque ſibi conſulens, ſub arborum ramis frondoſiſque latebris delituit. Quid autem tu, ô miſera facies, cum ante iudicem hunc rapieris de innumeris criminibus conuicta? Quo te conferes? vbinam te abſcondes? nuſquam enim latitare poteris. Præuidit id olim Dauid, cum de ſe loqueretur: *Quo ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es. Si deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextra tua.*

Pſal. 94. *Gen.* 3. *Pſal.* 138.

Bernardus cum ſtrictum hoc examen animo volueret, tremit & ſudat, itaque ſeipſum plorans alloquitur: *O lachrymæ, vbi vos ſubtraxiſtis! O lachrymæ, vbi eſtis! vbi eſtis fontes lachrymarum! fontes lachrymarum fluite ſuper faciem meam, rigate maxillas meas. Deus meus quid faciam, cum venerit iudicium tuum? Quid reſpondebo, cum venerit examen iudicij tui? Quid dicam ego miſera & peccatrix, cum præſentata fuero ante tribunal Chriſti? Væ diei illi, in quo peccaui! væ diei illi, quando malum feci! Vtinam non illuxiſſet ſol ſuper me. O dies deteſtanda, dies abominanda, ô dies penitus non nominanda!* Non minus quoque timuit Dauid, cum diceret: *Non eſt ſanitas in carne mea, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum;* id eſt, cum cogito peccata mea à iudice illo examinanda, totus horreo, & emedullor.

Bernard. ſerm. 27 *de modo bene viuendi.* *Pſal.* 37.

Cæterum haud fruſtra Dauid timuit, aut vanus eius metus fuit. Examen hoc namque ſtrictiſſimum erit & exquiſitiſſimum, cui ſimile nullum vnquam exſtitit. Erit enim in eo reddenda ratio factorum, dictorum, imo & cogitationum, atque adeo exacte & minutim, vt olim ipſe Judex apud Prophetam, ad candelam eadem ſe exquirere & examinare velle dixerit: *Scrutabor Ieruſalem in lucernis,* id eſt, enucleate, diſtincte, vnumque poſt aliud, adeo vt nihil non excuſſum remaneat. Verba hæc demiratus Bernardus, addit: *Quid in Babylone tutum, ſi in Ieruſalem manet ſcrutinium?* id eſt, ſi adeo exacte iuſti facta excutiantur, quid de impiis ſperandum eſt? Atque hoc eſt myſterium, quod Angelus Domini Zachariæ Prophetæ reuelauit, cum ſeptem ei oculos patentes

Sophon. 1. *Zach.* 4.

omneſque in lapidem vnum directos demonſtrauit, innuere ſcilicet volebat, Deum in ſeuero illo examine, quo clarius hominum peccata intueatur, ſeptem oculos aſſumpturum: *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt ſuper vniuerſam terram.* Pſalmographus hocce idem ſcrutinium veritus ait: *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit*; id eſt, ſi conſcientias noſtras vſque ad imum excuſſeris, ſi cominus & adhibita face, acta noſtra, dicta, cogitationeſque peruerſas exquiſieris: ecquis tandem iuſtus erit, quis aduerſum te hiſcere præſumat? Si effrons ille in Euangelio, qui non habens veſtem nuptialem ad nuptias venerat, interrogatus: *Amice quomodo huc intraſti?* nihil habuit, quod reſponderet, ſed piſce mutior manſit; quid faciet infelix peccator, iniquitatibus variis, velut veſte lacera, coopertus, quando eum Judex de ſingulis exactiſſime examinaturus eſt?

P*ſal.*129.

Nemo dubitet, Auditores, Præſes hic cuncta negotia noſtra diſcutiet, facta ſingula inquiret, intimas rerum medullas enucleabit, & extremos animarum angulos ſcrutabitur. Alio enim loco idem Propheta ſcripſit: *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui, in ira tua defecimus*, ait, *iniquitates*, numero plurali, vt de omnibus rationem reddendam eſſe inſinuet, de operibus, verbis & cogitationibus. Idipſum & confirmauit Job: *Omnes greſſus meos dinumeraſti.* Perinde ac ſi dixiſſet, Scio, Judex potentiſſime, eſſe mihi coram te rationem reddendam, meque de ſingulis paſſibus quos vnquam feci, id eſt, de omnibus animæ inſtinctibus, quæ greſſus ſuos habet non ſecus atque corpus, interrogandum. Atque ita id explicat Gregorius, cuius expoſitioni libens accedo. Credendum eſt igitur, iudicem omnia inſpecturum, diſquiſiturum, & ima cordis perſcrutaturum.

P*ſal.*89.

*Job.*14.

IV. Quod vt nobis Sacra Scriptura demonſtraret, terminis tropologicis vſa eſt: ait namque iudice illo terribili in throno conſidente, libros in quibus ſingula hominum peccata deſcripta ſunt, aperiendos, & ſingulos iuxta eorum contentum iudicandos. Hos libros intellexit olim Pſalmiſta, cum diceret, *& in libro tuo omnes ſcribentur.* Vnde Eccleſia in defunctorum officio concinit, *Liber ſcriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur*; quod è verbis Apocalypſeos tractum eſt: *Libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, & iudicabuntur mortui ex his, quæ ſcripta ſunt in libris.* In quibus notare vos velim, *aperti ſunt*, poſitum pro aperientur: vt in illo loco Danielis: *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.*

P*ſal.*138.

*Apoc.*20.

*Dan.*7.

Sed quid per hoſce libros intelligitur? ſuperer untne igitur in mundo deflagrato Bibliothecæ? an non vero incendio conſumptæ erunt? an non ignis omnes in cineres redeget? Quæſtionem hanc explicans Auguſtinus, ait, non eſſe veriſimile in iudicio illo materialem aliquem librum legendum, vel hominum peccata alibi conſcripta aſſeruari. Nimis enim putidum eſt, per hæc ſcripta codicem aliquem materialem, aut commentarium manu ſcriptum intelligere, ſed verba illa Apocalypſeos figurate intelligenda ſunt per que ingentia hæc volumina, in quibus ſingula ſingulorum peccata conſcripta aſſeruntur, diuina quædam virtus deſignatur, qua fiet, vt ſua vnicuique opera, tam bona quam mala in vnico inſtanti tam perfecte in memoriam reditura ſint, vt coram cernere, ac velut in libro deſcripta legere poſſit, de quibus accuſetur, vel quæ excuſet.

Hæc quidem ex mẽte Sanctorum Bibliorum expoſita ſunt, Auguſtine, dicere tamen auſim, ne à litterali ſenſu abeam longius, vere hic libros aperiendos, *Et libri aperti ſunt.* Erunt enim alij libri, qui ab incendio tuti erunt, quique nullo vnquam æuo conſumentur. An non meminiſtis ingentis illius voluminis, ſeptem muniti ſigillis, quod in Apocalypſ. Joannis deſcribitur, in quo omnium electorum nomina deſcripta ſunt. Tunc patebunt antiqui illi annales, tunc euoluetur commentarius ille à mundi initio conſcribi cœptus, in eoque omnes prædeſtinati comprehenſi legentur. Videbatur aliquid de eo inaudiſſe Pſalmiſta, cum dice-

*Apoc.*5.

Pſal.62. diceret; *Deleantur de libro viuentium, & cum*
Pſal.39. *iuſtis non ſcribantur.* Item alio in loco: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Et Apoſtolus:
Philip.4. *Quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Memoria namque æterna Dei Patris inſtar Calepini eſt, ac diarij ab omni æternitate contexti, in qua omnia delicta noſtra velut inſculpta continentur, quæ tunc patebunt. Recordamini hic, quæſo, quid in mulieris adulteræ iudicio acciderit: Ait Euangeliſta, Chri-
Ioan.8. ſtum, interea dum muliercula hæc à Phariſæis accuſaretur, & ad mortem ex legis præſcripto depoſcebatur, conticuiſſe, digito tamen ſuo in terra ſcripſiſſe. Ita quoque ille, qui orbem aliquando iudicaturus eſt, modo tacet, interea dum dæmones nos accuſant, & morti addicere geſtiunt; Ipſa tamen peccata memoriæ ſuæ libro inſcribit, non quaſi pulueri & terræ, ſed æreæ illa laminæ inſcriberet. Duobus in locis teſtatur Job Pro-
Iob.19. pheta: *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel certe ſculpantur in ſilice?* & poſtea longo interuallo: *Quis*
Iob 31. *mihi tribuat adiutorem, vt deſiderium meum audiat omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui iudicat.*

Ipſa quoque vniuſcuiuſque conſcientia merito liber nominari poteſt, in qua modo delicta noſtra ſigillatim, minutim, breuiterque exarata ſunt, at nunc largius & plenius ſingula deducentur. Atque hoc Joannes in
Apoc.10. Apocalypſi innuit, dicens: *Et alius liber apertus eſt*; multoque adhuc euidentius ad Roma-
Rom.2. nos Paulus: *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Quot hic libri recenſentur, & quidem rariſſimi; qui omnes in generali illa diſceptatione aperientur? qui vbi inſpecti & excuſſi fuerint, eorumque capita ſingula, ſententiæ, verba & apices mature examinari, in accuſatos ſententia æquiſſima, prout Scriptura exegerit, feretur. Ecce figuram.

Eſth.6. Aſſuerus Perſarum Rex cum noctem inſomnem duceret, curis nimirum quietem interrumpentibus, annales priorum temporum, antiquaque regni monumenta afferri iuſſit, in quæ omnia, quæ ab amicis acceperat obſequia, & quas à coniuratis & perfidis paſſus erat iniurias, relata erãt: cumque legendo ad locum peruenisſent, in quo de fideli Mardochæi Judæi obſequio, ac cõiuratione Eunuchorum aduerſus Regem regnique ſtatum per eum detecta agebatur, illos quidem dignis affecit ſupplicijs; Mardochæum vero ad ſummos honores prouexit, inque regni partem adſciuit. Egregia profecto figura; qua docemur, Chriſtum, cum præ peccatorum noſtrorum, velut anxietatum mole, in cœlo amplius manere ac quieſcere nequeat; in ſuprema illa mundi nocte, vt veteres annales & antiquos commentarios, in quibus omnium hominum vita, qui iam inde è mundi initio exſtitere deſcripta ſit, & in quibus omnes virtutes & merita in eum collata, conſpirationesq; peccando aduerſus eum initæ continentur perlecturum, ac tum iuxta quod in iis de vnoquoque ſcriptum repererit teſtimonium, pro benefactis præmia, æterna pro piaculis ſupplicia daturum; Atq; ita libri aperti fuiſſe dicendi ſunt.

Theodoretus verba illa Danielis, *Iudi-* Dan 7.
cium ſedit, & libri aperti ſunt, exponens, ſen- Theodor in
tit per hoſce libros vniuſcuiuſque memo- 7.Dan.
riam intelligendam eſſe; tunc enim vnicuique quidquid olim commiſit, in mentem veniet, tamque clare ac manifeſte, ac ſi libro alicui inſcriptum legeret. Ambroſius vero in Ambroſ in
Pſalmos commentatus, eoſdem libros pro v- Pſal.1.
niuſcuiuſque conſcientia accipit: *Qui libri aperti ſunt? niſi conſcientiæ velut libri, peccatorum noſtrorum ſeriem continentes: libri non vtique atramento ſcripti, ſed veſtigiis delictorum, & flagitiorum inquinamento.* At Auguſtinus Lib.10.de
per eoſdem deſignari putat Sanctos, quos ciuit.c 14.
cum impij aſpexerint, non ſecus ac ſi libros inſpexiſſent, videbunt ad oculum omnia quæ neglexere bona, & quæ commiſere mala. Atque ita credendum eſt libros apertos fore.

Sed ad quid hæc librorum inſpectio? V.
Tunc ſcilicet Archididaſcalus ille, atque omnium facultatum, quæ in mundo reperiri queunt Decanus, diſcipulos examinabit, tunc reſponſiones ordinariæ habebuntur, tunc quæſtiones Academicæ quaſi pro gradu adipiſcendo inſtituentur. Ipſi Pontifices,

tifices, Reges, Principes, Doctores, Philoſophi acutiſſimi hic reſpondebunt; CHRISTVS oppugnabit, Angeli ſimul & dæmones diſputationem auſcultabunt. Quis audiuit vnquam ſimile? quis ſimiles vſquam quæſtiones habitas legit? Hos vero Actus adeo difficiles ac periculoſos credidit Job, vt neminem in mundo reperiri poſſe credat, qui hic vel hiſcere, ne dicam reſpondere, præſumat: *Vere ſcio, quod ita ſit, & quod non iuſtificetur homo compoſitus Deo, ſi voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille*; & mox adhuc ſubnectit: *ſi repente interroget, quis reſpondebit ei?* Quis enim ſubtilis ille Scotus, quis doctus ac profundus ille Ariſtoteles, quis ille eloquens Demoſthenes futurus, qui magni huius Chryſippi ac magiſtri Sophiſmatibus ac dilemmatibus cornutis reſpondeat. Iob. 9.

Et bene; quoties enim hic Judex in litteris Sacris, magiſter; atque homines, diſcipuli nuncupantur? *Vnus eſt enim magiſter veſter, qui in cœlis eſt*: ait ipſe de ſe; item in Joanne Nicodemus: *Quia à Deo veniſti Magiſter*; & apud eundem: *Vos vocatis me Magiſter*; & alibi: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum* Cur hoc, obſecro, ſibi nomen impoſuiſſe arbitramur; hominibus vero, diſcipulorum; Ratio egregia eſt, & egregium mihi conceptum parit. Magnus ille Deus poſtquam nos creauit, & ad annos diſcretionis perduxit, de commodis noſtris ac progreſſu ſollicitus, ad celebrem mundi huius Academiam nos deſtinat, vt in eadem virtutum ſtudio incumbamus, variaque nobis merita, velut ſcientiæ theſaurum, comparemus. Vnde Joannes in Euangelio: *Ego poſui vos, vt eatis & fructum afferatis*: ac de ſe olim Pſalmographus ait: *Vt diſcam iuſtificationes tuas.* Quaſi diceret: A primo ætatis vere in celebrem mundi huius Academiã miſſus ſum, vt diſcerem quidquid ad æquitatem & iuſtitiam ſpectat. Porro varias in Academia hac claſſes inſtituit, & viros doctiſſimos velut rectores & curatores eiuſdem dedit, qui electiones in eadem ordinarias haberent. Ita namque intelligimus verba illa Pauli: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Doctoribus vero & rectoribus reſpondent etiam claſſes & ſcholæ. Prima claſſis dici merito poteſt Religioſorum, in qua doctiſſimi ſunt & omnium perfectiſſimi: hic docetur mundi contemptus, voluntaria paupertas, perpetua caſtitas, & integra ac plena obedientia. Sacerdotalis ordo ſecunda claſſis eſt, vno gradu priori inferior; in qua variæ & quidem exquiſitiſſimæ lectiones habentur, ſcilicet de perpetuo cœlibatu, de puritate animi hic imprimis neceſſaria, denique de inſigni erga res ſacras diuinumque officium reuerentia. Poſtrema claſſis eſt mundanorum, in qua ſæculares velut nepotes & rerum ſuarum decoctores, perfectione vitæque honeſtate cum prioribus non conferendi, conſtituti ſunt, rudes adhuc & Alphabetarij, vt interea credere, bonis operibus incumbere, aliaſque Chriſtianas virtutes exercere diſcant. An non egregiæ hæ claſſes ſunt? Ipſe porro Deus ſummus earum omnium rector ac director eſt, quique etiam in ſingulis docet. Audiamus quomodo in cathedra perſonet: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, vt & alias: *Diſcite quid eſt, Miſericordiam volo.*

Matth. 25. Ioan. 3. Ioan. 13. Matth. 10. Ioan. 15. Pſal. 118. Epheſ. 4. Chriſtus rectori comparatur. Matth. 11.

Et quemadmodum magiſtri, lectione diſcipulis aſſignata, eandem toto dein tempore vſque ad rauim clamitando exponunt, exhortantur quoque, vt eandem diligenter ediſcant; quin & interdum minas addunt quibus eos ad diſcendum compellant. At vbi veſper aduenit, lectionem recitari iubent, totiuſque diei penſum exigunt, tum ſi quos diligentes inuenerint, laudant, præmiiſque afficiunt; deſides vero & negligentes caſtigant. Idipſum de ſummo hoc doctore Chriſto dicendum eſt, cum enim à prima vitæ noſtræ aurora doctiſſimam lectionem nobis ad diſcendum præſcripſerit, totque præclara exempla ad imitandum dederit (*exemplum dedi vobis, vt ſicut ego feci, ita & vos faciatis*,) toto vitæ reliquo tempore clamare non deſinit, quo nobis eandem explicet, ad diſcendum inuitet, & interdum etiam iuſtitiæ virgam interminatur, dicens: Studete dum tempus habetis, horas bene impendite, Ioan. 13.

Digitized by Google

dite, in ſchola mea proficite; metuendum eſt alioquin ne expellamini, nam *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Eia agite; virtutem conſectamini bonis operibus incumbite, & pœnitentiam facite; nam *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Sed vbi diuini iudicii veſper aduenerit, tum de expenſo die diligentiſſima reddēda erit ratio, tunc de omnibus actionibus, verbis, cogitationibus, tota denique vita reſpondendum.

Examen religioſorum in die iudicii.

Dicet enim, Huc adſis Religioſe, qui iam vſque ad ſupremam claſſem promotus eras, vt videam quē profectum in ſchola mea feceris. Dic mihi imprimis, quonam modo vota obſeruaueris, quam exacte regulas & conſtitutiones maiorum ſecutus ſis? Quam negligens proh pudor! fuiſti! quam negligenter datum tibi ad diſcendum tempus impendiſti? quippe qui nihil eorum quæ tibi præſcripſeram præſtiteris. Docueram te, vt, ſi magnus in regno cœlorum eſſe cuperes, minimus hic in terra fieres: ſed lectionem hanc non didiciſti, ac ſemper aliquid mundani tibi contagii adhæſit. Docueram quoque, ſi ad perfectionem velles pertingere, tibi ipſe renuntiares, voluntatem propriam reſignares, obedientiamque integram ſuperioribus obtemperando amplecteretis, *factus obediens vſque ad mortem*, mortem etiam crucis. At nihil horum obſeruaſti, aut retinuiſti, ſemper propria ſpectaſti commoda, propriamq; voluntatem ſemper ſecutus es. Quamobrem neceſſe eſt caſtigeris, tuaque negligentia acerrime puniatur.

Examinabuntur Sacerdotes.

Et vos, dicet ſacerdotibus, qui tanto iam tempore Eccleſiæ meæ miniſtraſtis, tot annis in Eccleſiaſtico ſtatu verſati eſtis, dicite mihi, in eo vos quomodo geſſeritis. Huc adeſte Epiſcopi, Præſules, Abbates, Paſtores, Canonici, omneſque Sacerdotes, dicite, quomodo in Quæſtione ac Tractat. De beneficijs ſtudueritis? Quomodo bonis Eccleſiæ ſponſæ meæ vſi ſitis? quam male quod deplorandum eſt, eadē impenderitis? Quod enim pauperum erat & in pauperum vſum collatum, beſtiis dediſtis, quod in egenos impenſum oportuit, in canes & equos impendiſtis; quod bene collocare debuiſtis, in conuiuia, epulas, delicias, ac ſcorta inſumere non timuiſtis. Non hoc ego vos docui; neque enim bonum eſt, ſumere panem filiorum & dare canibus. Voluiſtis exaceruare opes, palatia exſtruere, dominia acquirere, negotiis incumbere, auaritiæ ſtudere; cum toties dixerim, *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſumus.* Quocirca quoniam tam ſupina veſtra negligentia fuit, corripi meruiſtis, ſcandalaque veſtra expiari debent. 1. Tim. 2.

Mundanos quoque coarguet, eoſque ad iudicium & examē vocatos hac oratione increpabit: Adeſte ganeones, nepotes diſſoluti, lurcones voraciſſimi, quos nulla ratione ad perfectionem potui adducere, aut ex infima aſinorum claſſe ad altiorem promouere. Dicite mihi, quomodo vitæ huius curſum egeritis, quibus occupationibus tempus veſtrum traduxeritis? quomodo diuitiis & facultatibus, quas pro mea benignitate abunde ſubminiſtraui, vſi ſitis? anne ex iiſdē eleemoſynas in egenos erogaſtis? Dixeram eheu! vobis, vt faceretis amicos de mammona iniquitatis, & vos è contra in luxum eas & diſſolutionem impendiſti. Dicite mihi quomodo talentis & gratijs datis vſi ſitis? ſacramenta & merita mea quomodo impenderitis, ô impii & ſcelerati? Tempus illud pretioſum, quod bonis operibus impendere par erat, in vanitatibus, ludis, iocis, ſcandalis, luxu traduxiſtis. At non erit hoc impune, ſine dubio caſtigabimini, nam vitæ veſtræ improbitas acerbiſſima ſupplicia promeretur. Atque hunc in modum examen hoc inſtituetur, itaque libri reſerabuntur.

Cur putatis etiam, iudicem hunc in Scripturis nomen patris aſſumpſiſſe, atque ita communiter ſe dici voluiſſe: *Pater noſter qui es in cœlis*, ac deinde, *Vt ſitis filii patris veſtri.* Luc. 6. Ratio eſt hæc, quam ſimilitudine explicabo. Quando pater aliquis de filii profectu ſollicitus, eum ad Vniuerſitatem aliquam deſtinaturus eſt: de victu, veſtitu, libris, deq; omnibus neceſſariis ei prouidens, omnia minutim ſingillatimq; in anniuerſaria rationeſq; domeſticas referre conſueuit, ac diligenter annotare quidquid eius in ſtudia impendit.

pendit

pendit. Vt, dum illum confecto ſtudiorum curſu, domum reuocaturus eſt ei ad oculum demonſtret, quanti ſibi totum illud ſtudiorum tempus conſtiterit, quantumque pecuniarum eius nomine impenderit: ſimulque ſciat, quomodo filius eiſdem vſus fuerit, dicens: Quos in vſus conuertiſti nummos illos, quos tali menſe tibi miſi? quid de illa veſte actum eſt? libros illos quomodo cuſtodiſti? Non aliter quoque, Deus omnium hominum Pater, agere ſolet: nam ſalutis eorum ſtudioſus, in mundi huius vniuerſitatem eos deſtinauit, vt bonis in ea operibus incumbant: interea vero largiſſime iis omnia ſubminiſtrat, nutrit, alit, deque neceſſariis iiſdem abunde prouidet, (*nolite ſolliciti eſſe dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? ſcit enim Pater veſter quia his omnibus indigetis*) Interea vero omnia ſingillatim in libris rationum deſcribit, & in memoriæ ſuæ tabulis annotat: donec è ſcholis eos domum reuocans, rationumque librum inſpiciens, illis ad oculum, beneficia iam inde ab initio vitæ collata demonſtret, omniaque in illos impenſa arguendo recenſeat.

Matth. 6.

Quam caro mihi conſtitiſtis ô ingrati mortales? quantum hactenus expendi vt vos enutrirem & alerem? E nihilo vos condidi, in vtero materno nouem menſium ſpatio cuſtodiui; veſtri cauſa homo factus ſum, vitam meam veſtri liberandi redimendique ergo tradidi, ſanguinem meum pretioſum vſque ad vltimam guttam profudi, mille cruciatus & afflictiones veſtro nomine pertuli. Quomodo autem his omnibus, ô ingrati & perfidi, vſi eſtis? quamuis enim vitam meam dederim, vos vt in libertatem aſſererem, vos tamen me offendere auſi eſtis; eaſque manus quæ pro vobis cruci clauis affixæ fuerant, ad vindictam non veriti prouocate: cor quoque habuiſtis & animum eum offendendi, qui ſuum amore veſtri cor haſta transfigi in cruce permiſit. Quomodo tunc impii erubeſcent quomodo confundentur? Non quidem exiguus ille pudor fuit, quo Dauid, cum à Nathan Propheta his verbis corriperetur, affectus fuit: *Ego vnxi te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, quare ergo contempſiſti verbum Domini tui?* At maior tuus futurus eſt pudor, ô peccator, quando tibi iudex omnia quæ in te contulit beneficia & dona ampliſſima exprobrauit: tunc ſcilicet iuxta Pſaltem regium, *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* Iob quoque vir ſanctiſſimus totus contremiſcit & pauet, cum acerba hæc improperia & exactam illam diſquiſitionem perpendit: *Quid faciam cum venerit ad iudicandum Deus, & cum interrogauerit, quid reſpondebo illi?* Quid ? anne virum illum ſanctiſſimum metuere, qui virtutem ſemper coluerat, Dominumque ob oculos ſemper habuerat, adeo vt ampliſſimum innocentiæ ſuæ teſtimonium alibi dederit, dicens: *Non reprehendit me cor in omni vita mea*: Item Gentium Doctor Paulus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Hocce igitur modo examen hoc peragetur, hoc modo libri illi aperientur qui vt aperti fuerint, omnia mox peccata ad oculum patebunt. Eſt hoc reliquum huius concionis, quod iam proſequar.

2. Reg. 12. Pſal. 106. Iob. 27. 1. Cor. 4.

VI. Quamprimum enim, vt iudex examinare inceperit, libroſque conſcientiarum reſerauerit, omnes totius mundi abominationes apertiſſime ab vnoquoque perſpicientur; & quæ prius occulta erant, tunc omnibus parebunt, adeo vt quidquid modo in fundo conſcientiæ deliteſcit, tunc ſurſum aſcenſurum ſit, & in apertum proferendum. Hinc Chryſoſtomus; *Omnia peccata in tam aperto tamque illuſtri theatro denudata, orbi vniuerſo palam facta, hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis ſubiicientur.* Quam bene hoc ipſum expreſſit Pſalmiſta? *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur*, id eſt, peccata quæ modo velut tenebræ ſunt, tunc inſtar luminis clara apparebunt. Ecce ſimilitudinem.

Homil. 3. epi. ad Rom. Pſal. 138.

Simile. Aer hic quem videmus & ducimus, minutiſſimis puluiſculis referrus eſt, quos atomos appellare Philoſophi ſolent; atque hi per aulas, atria regumque ac principum palatia volitant, à nemine tamen videri queunt: at quando ſol per vitreas feneſtras

oſtiorum-

Digitized by Google

oſtiorumq; rimas radios forinſecus immittit; quam primum conſpiciuntur. Peccata noſtra Auditores, veri quidem atomi ſunt, meræ priuationes, quæ modo à concupiſcentia ad vſque rationem, modo à ratione ad vſque concupiſcentiam feruntur, (*caro* Galat. 5. *enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*) omniaque animæ cubicula, receſſus, penetralia, ſenſus, & animæ facultates iiſdem plena ſunt: interea tamen dum viuimus, eoſdem videre non poſſumus. Sed vbi clara illa iudicii dies illuxerit, & rutilans iuſtitiæ ſol per vitreas corporis feneſtras, & tenuiſſimas conſcientiæ rimas radios immiſerit, innumera flagitia apparebunt. Confirmat hanc ſimilitudinem meam Auguſtinus: Lib. 20. de ciuit. Dei. *Fiet*, inquit, *virtute diuina vt cuique opera ſua, vel bona, vel mala mentis intuitu mira celeritate cernantur*: multoque apertius etiam Apoſtolus, 1. Cor. 4. *Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.*

Gen. 40. & 41. Tunc nimirum Chriſtus, velut ſecundus Ioſeph, interpretabitur ſomnia, & inanes Dan. 4. conceptus Pharaonum; tunc ſapiens ille Daniel viſiones & occultas cogitationes ſuperborum Nabuchodonoſorum exponet: tunc Iudex peccatoribus ſcelera ſua modo velantibus tegentibuſque dicet, quod olim Propheta Nathan, Dauidi. *Tu feciſti in abſcondito,* 2. Reg. 12. *ego autem faciam hæc in conſpectu ſolis, & coram omni Iſrael*, id eſt, in conſpectu totius orbis.

Et ſicuti olim Ioſeph Patriarcha, cum fratres in Ægypto vidiſſet, peccatum in ſe admiſſum quod illi viginti ipſis annis celauerant, manifeſtauit, eoſque de eodem coarguit, dicens, Gen. 45. *Ego ſum Ioſeph frater veſter quem vendidiſtis in Ægyptum*: Ita quoque Chriſtus, viſis omnibus hominibus (qui ſecundum carnem & ex natura humana aſſumpta fratres illius ſunt) qui coram ſe apparebunt diiudicandi, licet hactenus eorum delicta texerit, ac diſſimulauerit; tunc tamen eadem toti mundo manifeſtabit, & improperans dicet, Ego ſum ille Ieſus, ô peccatores, ille Ioſeph frater veſter, Pater, Redemptor, ſimul & Deus, in quem peccaſtis, quem vendidiſtis, cruci affixiſtis, flagitiiſq; veſtris in mundi huius Ægypto ad mortem coegiſtis. Omnia itaque tunc aperta erunt, vt ipſemet Iudex olim prædixit, *Nil opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non ſciatur.* Matth. 10.

Tunc videbitur ad oculum, quidquid humani generis auctor nongentis & triginta vitæ annis admiſit; quidquid Enos nongentis quinquaginta; quidquid Mathuſalem nongentis ſexaginta nouem deliquit, denique quidquid omnes homines ab ipſo mundi primordio vſque in illam diem patrarunt. Quam admiranda tunc videbuntur Deus bone? quot tunc ambitioſi cernentur, qualis fuit Abſalom, quot proditores, qualis Ioab; quot inuidi, ſicut parricida Cain; quot inceſtuoſi, vt Ammon; quot pſeudoprophetæ & nefarii concionatores; qualis fuit Balam, qui nimirum legem Dei verbis annunciant, operibus vero deſtruunt & violant? quot Eccleſiaſtici & ſacerdotes, qualis Heli, qui templum ingrediuntur non quidem ad Dei laudes celebrandas, ſed ad beneficia ſacrificiaque deuoranda? Denique quidquid hic vmquam admiſſum fuit, illic ad oculum patebit. Peccate igitur quam vultis occultiſſime, crimina tegite quam poteſtis maxime, diſſimulate, excuſate, omnia fruſtra: nam extremo illo die in omnium conſpectu erit, quidquid hic olim admiſiſtis, omniaque ſcelera manifeſtabuntur. Ipſemet Iudex ita olim Nahum. 3. prædixit, apud Prophetam, *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* An putatis eum hic verbum *reuelabo* fruſtra poſuiſſe? nequaquam, ſed magna in eodem latent myſteria.

Simile. Nam vt tempore brumali, quando omnia niueo ſtragulo cooperta ſunt, marmor nemo à latere, aurum à plumbo, gemmam adulterinam ab iaſpide, nec à ſordibus res pretioſas ſub niue latentes poteſt diſcernere: donec niue liquefacta ſuus rebus color & facies redeat. Ita quoq; in vitæ huius bruma, omnia exterius hypocriſis & apparentiæ cuiuſdam niue cooperta videntur ita vt virtus à vitio, iuſti ab impiis, ſancti ab hypocritis nequeant diſcerni; ſed in ſuprema illa die quando ſplendens iuſtitiæ ſol, niuis aceruos vmbramque illam exteriorem diſſipauerit,

Digitized by Google

rit, facile qualis quiſque fuerit, apparebit.

n.27. Decrepitus Iſaac adeo caligantes habebat oculos, vt nec duos à ſe inuicem potuerit diſcernere filios. Profecto mundus hic modo ita excoctus & effœtus eſt, (quippe qui quinque annorum chiliades explerit) oculoſque ita caligantes & obtuſos habet, vt proprios agnoſcere vix filios queat, nec Eſau, peccatores ſcil à Iacob, fidelibus diſtinguere, ſed vtroſq; ſæpius inter ſe confundat. At in die iudicii vnumquemq; perfecte nouerit; tunc namque iuſtis dicet, *Venite benedicti Patris mei*, impiis vero, *Ite maledicti in ignem æternũ*. Omnia hæc ipſum *reuelabo* produxit: *oſtendam gentibus nuditatem*, non minora quoque producet.

Matth.25.

Nahum 3.

Licet aliquis deformi, diſtorto, & monſtroſo ſit corpore, ac gibboſus, cicatrices quamuis in pectore habeat, & à tergo ſtigmata, modo indutus ſit, nihil horum omnium apparet; ſed vbi veſtes exuerit, omnis ſtatim deformitas, monſtroſitas, cereræque maculæ manifeſte apparent. Idem de peccatoribus interea dum hic viuunt dicendum eſt; licet enim anima eorum deformis ſit vt quæ maxime, licet gibbo ſuperbiæ tumeat, aliiſque vitiorum ſtigmatibus notata ſit, ſi tamen hypocriſis pallio ſeſe cooperuerit omnia tecta ſunt, adeo vt nihil exterius videri queat: ſed in terribili illo die, cum iudex nuditatem reuelauerit, omnis mox iniquitas atque vniuerſa flagitia ad oculum apparebunt. Bene igitur Propheta hic de nuditate reuelanda locutus eſt.

Solent crumeniſecæ, aut alii malefactores, ſi ſæpius in iuſtitiæ manus incidant, denudati, vt appareat, num ob delicta quædam priora tergo ſtigma inſcriptum gerant, vel cauterio inuſti ſint. Si quod in tergo ſignum apparet, ſine vlla tergiuerſatione, non exſpectato iudicio, aut longiori cauſę examine ad crucem mox, aut rotam condẽnantur. Peccator ad hunc modum, qui læſæ maieſtatis diuinæ reus eſt, & toties toto vitæ tempore in magni Iudicis manus incidit, ſi in vltima illa die iterum in crimine aliquo deprehenſus comprehendatur, à iudice mox denudabitur, vt ita cõſtet, num ſignum aliquod tergum præferat, num aliquod indicium prioris comprehenſionis inueniri queat; & ſi quod tum delicti prioris argumentum reperiatur, nõ prorogato vlterius examine, ad inferos cum detruſurus eſt, & ſuppliciis æternis addicturus. Hoc ſcilicet per Prophetam comminatur. *Et oſtendam gẽtibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Quænam ſunt illa regna? regnum nimirum cœli, mundi, & inferorum, in primo regnant Angeli, in ſecundo dominantur homines, tertium tyrannice tenent diaboli; atque omnes hi ſpectatores erunt ignominiæ. O pudor, ô infamia, ô confuſio!

Nahum 3.

Hic mentis quodam exceſſu præ admiratione raptus cum admirante Auguſtino exclamare compellor, *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes cogitationes meæ, tot agminibus Angelorum patebunt vniuerſa ſcelera mea, non ſolum actionum, ſed etiam cogitationum, ſimulque locutionum.* Quam intolerabilis pudor erit, quantaque confuſio ſummo cum dedecore coniuncta, coram toto mundo ſe denudare, cunctis gentibus turpitudinem detegere, crimina ſua omnibus reuelare: tantus profecto, quantus eſſet honeſtiſſimæ matronæ ſe publico ciuitatis loco denudare & veſtes deponere coactæ. Refert Plutarchus, Meſſenias mulieres, neſcio qua phreneſi & mentis amentia inductas ſibi ipſis promiſcue vitam eripere ſolitas adeo vt nullis parentum aut maritorum precibus, nullo ſuorum conſilio a tam infami morte reuocari poſſent: donec tandem edicto publico cautum eſt, vt quæcumque primo violentas ſibi manus intuliſſet, nudato corpore, vita licet priuata, per vicos & plateas, magna cum infamia, raperetur. Et ſane tantum apud ſanguinarias illas ſui interemptrices edictũ hoc valuit, vt nulla impoſterum manus ſibi auſa fuerit iniicere, verita ne nuda per vrbem traheretur omnium ſannis expoſita, pudorem ſcilicet mortui corporis mortis timori anteponens. Quomodo ergo apprehẽdere oportebit denudationem coram vniuerſis mundi incolis, & in loco maxime celebri & publico?

Lib. Medit. cap.4.

Lib de inſignibus mulieribus.

Non igitur inſenſate atque impudens peccator, poſt tantum Doctorem vtrumque ſanctiſ-

ſanctiſſimum, infamem hanc ſcelerum tuorum manifeſtationem ac denudationem perhorreſcis, aut ſaltem cogitando apprehendis? Quid? erubeſcis delicta vni homini in confeſſionis ſecretario detegere; qui igitur feres eadem omnium oculis manifeſtari? Achitophel, qui aduerſus Dauidis regnum cōſpirarat, Abſolomoq; vt in patrem inſurgeret auctor extiterat, cum ſciret coniurationem detectam eſſe, vt infame proditoris nomen ſubterfugeret, laqueo vitam finire maluit, quam in Dauidis conſpectum venire. Judas quoque Iſchariotas, omnium traditorum facile Princeps, cum ſibi propter ſceleratam Domini proditionem, immortalem ignominiam ac dedecus inſtare ſciret, infami laqueo vitam abrupit, vt extincta vita, ſimul & infamia extingueretur. Eheu! infide & perfide peccator; qui aduerſus cœlum toties conſpirationem iniiſti, quomodo in hoc iudicio te geres, quo animo hanc infamiam ſuſtinebis, cum omnia delicta toti mundo manifeſta eſſe perſpexeris? porro ignominiam hanc & infamiam, quæ ex hac ſcelerum denudatione oritura eſt, præuidens Dauid fœlices ac beatos prædicat eos, *quorum tecta ſunt peccata.*

Sed peto, num peccata iuſtorum, quæ auſtera pœnitentia & aſſiduo fletu expiata ſunt, hic iterum refricanda ſint. quæro, num hic de tertio iterata ac blaſphema Petri negatione futurus ſit ſermo: an de laſciuia Mariæ Magdalenæ; & Dauidis adulterio & homicidio? Negat quidem Magiſter Sententiarum, quia ſuperius dictum, beatos eſſe, *quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Pſal. 31. Sed ſolus ipſe huius opinionis eſt; cæteri enim Patres & doctores ſentiunt, iuſtorum hic peccata non minus quam impiorum reuelanda: non quidem, vt infamiam iis afferant, aut confuſionem gignant, aut vt propter eadem condemnentur, ſed ad maiorem laudem & gloriam, quippe in pœnitentia, corporis emaceratione, lachrymis & fletu illa delere & eluere ſunt conati, ac proinde manifeſtatio hæc illis ſummo honori futura eſt: quia quamuis Deum offenderint, peccataque in eum commiſerint pro iiſdem tamen pœnituere. Vt hinc ſimul manifeſtum fieret, omnia hic reuelanda, ac nihil abſconditum futurum.

Hoc igitur vos in mente habere velim, obſtinati peccatores, marmore & ferro duriores; hocque ſemper ante oculos gerere, atque ita fiet, vt nunquam Deum offenſuri ſitis: rigorem quoque & ſeueritatem examinis huius ſemper perpendere, cogitare quin etiam quanta ſit futura infamia delicta ſua omnibus reuelata videre, & quidquid vmquam in occulto patratum eſt, in luminis auras & in apertum prolatum: quanta quoque futura confuſio ab omnibus tum Angelis & hominibus, tum dæmonibus exſibilari & ſubſannari, qui omnes vna voce clamabunt: *Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorē ſuum.* Pſal. 53. Quæ omnia ſi quis in mente habuerit, nunquam diuinam iuſtitiam peccando offendet.

Et ſane ita ſe res habet ſumme & ſupreme Judex. Cuius enim tanta foret impudentia, vt ſuum offendat Dominum, regem Deum & creatorem, ſuumqſe etiam Judicem à quo iudicandus ſit? quis adeo futurus eſt audax & præſumptuoſus, vt aduerſus eum conſpiret, cui exactiſſima de tota vita reddenda eſt ratio? Equidem mille potius mortis genera ſubire paratus ſum Domine, quam de te offendendo vel cogitare. Quomodo enim tam ſtrictum examen ſubeam? qui tantam infamiam ſuſtineam, qua ab omnibus hominibus derideat? Sane, qui hanc ignominiam ſubierit, dicere illud Prophetæ poterit: *Omnes, qui viderunt, deriſerunt me.* Pſal. 21. At cuius tantæ futuræ ſunt vires, ô Judex viuorum ac mortuorum, qui in hoc examine non expaueſcat? an non vero tibi ſufficiat de operibus verbiſque rationem reddi, vt ipſas etiam cogitationes diſcuſſurus ſis. Nam, *ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit*, ſi omnia minutim enucleare volueris, Paradiſi fores occlude, & Ditis potius ianuam reſera, omneſque ad inferos detrude: neminem namque eſſe putem, qui iuſtitiæ tuæ ad amiſſum ſatisfaciat. Quamobrem noli ô æterne Deus, Pater, ac Judex: iniquitates noſtras excutere, noli eaſdem accurate inquirere, ſed oſtende nobis miſericordiam tuam, noſque æternam

Digitized by Google

gloriam, quam paſſione acquiſiuiſti, quæq; vltima noſtra fœlicitas eſt, intrare concede, cuius nos participes reddat Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.

SABBATO.

DE SENTENTIA, QVÆ IN IVdicio pronunciabitur.

Partitio.

1. *De horrifica voce ſententia.*
2. *De ſententia iuſtorum.*
3. *De ſententia reprobor um.*

Memorare nouiſſima tua, *& ſententiam imprimis, quæ in iudicio extremo feretur*, & in æternum non peccabis. *Eccl. 7.*

FIGVRA.

Apoc. 19. VIdit olim in Apocalypſi ſua Joannes cœlum apertum, & ex eo equum album egredientem, cuius ſeſſor vocabatur fidelis & verax, cuiusque nomen deſignabat verbum Dei, qui præterquã quod eſſet ad præliandum litigandumque edoctus, erat & in iudicando verſatiſſimus, in quo iuſtitiam ſeruabat. Oculi eius erant flammei, veſtis cruore tincta, caput variis diadematis redimitum; de ore eius gladius anceps egrediebatur & acutiſſimus, quo omnes mundi nationes & gentes ferire conabatur. Sequebantur hunc agmina cœleſtium ſtolis albis indutorum, & candidis equis inſidentium. Geſtabat adhæc virgam ferream, qua omnes nationes regebat & coercebat, eiusque femori inſcriptum erat, Rex regum, & Dominus dominantium. O fæcundum & feracem myſteriorum campum! Et ſane nullus per hunc equitem melius deſignari poſſe videtur, quam Chriſtus Dominus ac Redemptor noſter ad iudicium venturus. Albus ille equus eiuſdem humanitatem denotat, quæ tunc cœlo egreſſura eſt, nitida, munda, & ab omni proſus ſorde ac labe immunis; eques autem eidem inſidens, ipſe Dei filius eſt ac Virginis fructus, qui in promiſſis fideliſſimus, & in verbis veraciſſimus, quique nonniſi ſumma cum iuſtitia pugnet & iudicet: nam inquantum Judex ſententiam pronuntiabit, & inquantum bellator, eandem executioni mandabit, in quo nullus ei vel minimum poterit contradicere. Virga autem ferrea typus eſt æquitatis illius, nam quemadmodum ferrum difficile flectitur, aut in varias partes ducitur: ita quoque æquitas eius in nullam poterit partem flecti, aut fauore duci. Oculi illi flammei, indicant furorem; diademata illa, mercedem & retributionem quam iuſtis paſſione ſua acquiſiuit; veſtis illa purpureo ſanguine cruentata, index eſt vulnerum, quæ olim in paſſione ſua accepit, quæ tunc aduerſus peccatores vltionem & vindictam depoſcent; exercitus illi, qui eum comitantur & ſtipant, ſignificant legiones illas Angelorum & Sanctorum, quæ cum Iudice hoc ad iudicandum deſcendent. Denique gladius ille regius, vtrimque acutiſſimus, qui ex magni huius Judicis ore prodibit, imago eſt horrendæ & formidabilis ſententiæ, quæ extremo illo die ab ore ipſius exibit; ſententiæ, inquam, terribilis ac metuendæ, cui mille gladij ac mucrones comparati inſtar feſtucæ videantur: ſententiæ quæ inſtar gladij obuios quoſque interficiet, quæ in omnes mundi nationes ſæuiet, ſententiæ quæ inſtar gladij ancipitis animas ſimul & corpora transadiget. O ſententiam inauditam! ô terribile decretum! ô tonitru irreuocabile! De eo pluribus hodierna concione agemus, eiuſque horrorem & magnitudinem cunctis ob oculis ponemus. In quo velim, ô Sanctiſſime Spiritus vocem meam roborari, pulmones & latera dilatari, ingenium illuſtrari, pectus firmari, atque animum & vires ſuperaddi. Tuque ô ſacratiſſima Mater & Virgo, ſolitum hic mihi auxilium ne deneges, ſed adeſto precibus, adeſto patrociniis, atque ideo ſolito etiam more te ſalutamus.

AVE MARIA.

Dũ cogitabundus hodie, neſcio quod meditans, I.

ditans, per Scripturæ pratum obambularem, idque propemodum iam emenſus eſſem, occurrit mihi in vltima eius ora, Apocalypſi ſcilicet, Angelus cœlo deſcendens; à Deo in hunc mundum deſtinatus, qui iudicij diem inſtare denuntiat; ſimulque edocet, omnes nos coram ſummo iudice ſiſti, de ſingulis ibi factis rationem reddere, ac ſententiam accipere oportere. Habebat ille oculos ſolis inſtar radiantes, pedes inſtar columnæ igneæ collucentes; quorum dexter mari, ſiniſter vero terræ inſiſtebat; manu ingens volumen cōtinebat, atq; inſtar leonis frementis rugiebat. Habitus porro eius & veſtis non minus admirabilis erat: humeris namq; ſpiſſam quandam nubem geſtabat, qua vndique cingebatur; caput circumcingebat iris multicolor, altaq; voce clamans iurabat per viuentem in ſæcula ſæculorum, non ſupereſſe amplius tempus, horas, dies nec annos. ô viſionem terribilem! ô terrores myſteriis plenos!

Apoc.10.

Angelus hic, Auditores, quem olim Joannes vidit, à Deo delegatus, qui diuinorum iudiciorum nuntius erat, hodie etiamnum apparebit, idque oculis Solis inſtar rutilantibus, vt oſtendat, iudicem hunc eſſe oculatiſſimum & perſpicaciſſimum, qui non ſecus ac Sol per vitreas feneſtras omnia cordis noſtri arcana rimabitur ac perquiret, *Scrutans corda & renes Deus.* Pedes eius inſtar igneæ columnæ ardentes, quorum vnus terræ, alter mari inſiſtit, denotant emblematice potentiam eius ac iuſtitiam, quæ ſunt veluti baſes & fulcra totius vniuerſi, ſed vtraque tunc furore accenſa erit, & vna in Oceanum, altera in terram extendetur, quia tunc vtrumque hoc elementum diuinæ iuſtitiæ telum experietur. Dictum namque eſt apud Prophetam: *Turbabuntur inſulæ in mari*; & in Luca legimus: *Præ confuſione ſonitus maris*; & mox: *Erunt motus magni per loca.* Volumen autem illud apertum ſignificat omnia tunc diſquirenda & excutienda, omniaque peccata, quæ olim commiſſa ſunt, examinanda. Quid vero denotant clamores, vlulatus, & rugitus illi leonum? Iram & furorem eius: *Quaſi leo rugiet*, ait vnus è Prophetis. Quid veſtis illa è nube contexta? diſcrimen quod inter Noë diluuium & hocce iudicium eſt; illic enim aquæ & pluuiæ nonniſi guttatim cadebant, ſed hic conglobatim integræ tribulationum nubes in miſerorum capita decident. Quod proxime attigiſſe viſus eſt propheta Dauid: *Veruntamen in diluuio aquarum multarum, ad te non approximabunt*; dicere volens, diem iudicij fore diluuium aquarum multarum, quia integræ & prægnantiſſimæ nubes in impiorum verticem ingruent. Prædixerat idipſum & Moyſes, ſed aliis verbis: *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis*; id eſt, In nouiſſimo die, qui futurus eſt dies omnium terribiliſſimus, caſtigationes & ſupplicia acerbiſſima inducam, qualia nunquam ab initio ſæculi viſa ſunt, atque omnes iuſtitiæ meæ ſagittas eiaculabor.

Pſal.7. *Ezech.16.* *Luc.21.* *Oſe.11.* *Pſal.31.* *Deut.32.*

Quid denique deſignat iris illa caput obumbrans? ô mali præſagium, & ſiniſtrum augurium! Diuerſicolor ille arcus, qui hactenus ſignum pacis, fœderis & pacti inter Deum in terram initi fuerat; quique ſub Dei pedibus conſpici ſolebat, & ob oculos eius verſabatur, tunc ſuper caput eius procul ab oculis remotus adſtabit, vt nullam amplius ſupereſſe oſtendat miſericordiam. Cōfirmant hoc iuramenta illa & proteſtationes, quæ ſequuntur: *Et iurauit, quia non erit amplius tempus*, miſericordiæ ſcilicet, gratiæ, & indulgentiæ. Atque huc reſpexit Paulus, cum toties in Epiſtolis diceret: *Fratres, tempus breue eſt*; & alibi: *Ecce nunc tempus acceptabile eſt*; &, *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*: modo namque tempus oportunum eſt, quod ſi elabi ſinamus, nulla ſupereſt ſpes, hoc ipſum, quod elapſum eſt, recuperandi: nam poſt hanc vitam nullus de tempore amplius ſermo erit, de æternitate tunc loquendum erit, de aliqua temporis dimenſione nemo ſperet.

Gen 9. *Apoc.10.* *1.Cor.7.* *2.Cor.6.* *Gal.6.*

Miratur Illuſtriſſimus Cardinalis Caietanus, qui fieri potuerit, vt columba Arca euolans virentibus foliis oliuæ ramuſculum reperit, cum furioſa illa aquarum tempeſtas & rabies omnes tum domos & palatia, altaque

Inſignes conceptus.

altaque turrium faſtigia diſieciſſet, tum etiam arbores & truncos validiſſimos euulſiſſet, vt ſola oliua in mediis vndis retinuiſſe virorem videatur. Tandem concludens ait, per hunc ramum diuinam miſericordiam deſignari, cuius ſymbolum ſemper oliua fuit, atque illam in mediis iuſtitiæ fluctibus virentem vernantemque permanſiſſe; & licet ingentes furores eius aquæ fuerint in hac vita, ab iiſdem tamen miſericordiam nunquam ſubmergi aut obrui potuiſſe, vnde Propheta: *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* *Habac 3.*

At in die iudicij nulla amplius ſupererit oliua, nulla reſtabit miſericordia; at diluuiũ adeo vehemens erit & intolerabile, vt omnia ab eodem obruenda ſint: *Continebit in ira miſericordias tuas.* *Pſal.76.* Satis hoc ipſum teſtabitur ipſa ſententia quam Judex pronuntiabit, quæ tanto cum furore concipietur, tanto cum terrore feretur, tanta cum ira executioni mandabitur, vt ex ea manifeſte colligere liceat, nullum miſericordiæ locum eſſe, *Iudicium* enim, inquit Jacobus, *ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam*: *Iacob.2.* at iudicium adeo terribile & atrox, vt omnes, qui hoc ipſum audient, præ timore trepidaturi ſint.

Atque huius cum Judith vidua meminiſſet, ad Dominum ait: *Non eſt, qui reſiſtat voci tuæ, montes à fundamentis mouebuntur cum aquis, petræ ſicut cera liqueſcent ante faciem tuam*: *Iudith.19.* quid igitur de me peccatrice fiet, quæ nonniſi arundo ſum, ipſaq; inconſtantia inconſtantior.

Nomina ſententiæ à iudice ferendæ.

Sophonias Propheta, qui Populi Judaici in Babylonicam captiuitatem abducendi calamitatem præuidit, cum ſententiæ huius meminiſſet, eamque ſibi ob oculos poneret, eandem vocem amaram nominauit: *Vox diei Domini amara.* *Sophon.1.* Dauid Rex verbũ aſperum: *Quoniam ipſe liberabit me à laqueo venantium, & à verbo aſpero*; *Pſal.90.* vti hunc verſum explicat Bernardus; *Serm.3. in Pſal.90.* atque ideo, inquit doctiſſimus Rupertus, *Rupertus in lib. ſuo 3. in reg. c.31.* vox iudicis noſtri gladio ancipiti comparatur, qui ore eius egrediatur; non aliter enim impios, quos ſententia data condemnabit, feriet, quam ſi acuto eos gladio percuſſiſſet, tantumque dolorem ſententiæ huius tela infligent, vt gladio diſſecari illi & transfigi, quam terribilem illam ſententiam: *Ite maledicti in ignem æternum*, audire mallent. *Matth.25.*

Euidentius adhuc eiuſdem acerbitatem ob oculos ponens Pſalmographus, appellat eam *vocem tonitrui*, at tonitrui tam horrendum mugientis, totus vt orbis eodem ſit percellendus: *Pſal.76.* *Vox tonitrui tui in rota*: &, *à voce tonitrui tui formidabunt.* *Pſal.108.* Et ſane ſi primi illi peccatores, vel minima Domini voce, qua delicti ab eis rationem expoſcebat, audita, in tantum timuerint, vt præ timore latebras quæſierint, & Adam defendere ſe conatus dixerit: *Vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui*; *Gen.3.* quid in valle Joſaphat futurum, quando totus orbis ad generale iudicium vocabitur, & horrendam hanc vocem audiet?

Job qui aduerſus omnes aduerſitates velut rupes infractus perſiſtebat, nihilq; omnino metuebat, cum terribilem hanc ſententiam perpenderet, tremebat, adeo, vt præ timore vocem amitteret; *ſuper hoc expauit cor meum & emollitum eſt de loco ſuo, audiet auditionem in terrore vocis, & ſonum de ore eius procedentem: poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, tonabit Deus in voce ſua mirabiliter.* *Iob.37.* Et quænã illa loquendi ratio, quænam metaphora? Dauid Rex non formidabat, ſed præ eius horrore nec edere, nec dormire poterat. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam, à facie iræ indignationis tuæ.* *Pſal.101.*

Judæorum legiſlator Moyſes, & primus orbis hiſtoricus, cum exitum Hebræorum de Ægypto late deſcriberet, *Exod.19.* dicit Angelo, qui Dei tunc locum gerebat, in Sinai mõtem deſcendente ad legis tabulas dandas, & tonitru, turbinibus, fulgoribus, tubarumque clangoribus circumcirca frementibus, populum per planitiem ſparſum in tantum timuiſſe, vt Moyſi diceret: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* *Exod.20.* Quid erit igitur in nouiſſimo illo mundi die, quando ipſamet diuina maieſtas totum orbem iudicatura veniet? Quis verborum illius fulmina poterit

terit

Digitized by Google

terit ſuſtinere? quis non præ timore emoriatur, quando horrendum illud horrendæ ſententiæ tonitru euibrabit? Vnde ſimile propemodum argumentum elicuit Iob: *Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Porro ſapiens vocem Domini tam horrendam eſſe ſemper exiſtimauit, vt ſolam eiuſdem meditationem ad conſcientiam ab omni prorſus peccati labe immunem cuſtodiendam ſufficere exiſtimarit. Ecce aphoriſmus eius ordinarius: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* de eo hodierna die verba huc facturus veni, quod vt methodice & diſtincte faciam, bifariam concionem diuidam: primo de ſententia quæ in iuſtos, deinde quæ in impios pronuntiabitur, loquar; itaque hanc & omnes priores conciones de iudicio terminabo: modo ſolita vos me beneuolentia dicentem audire cupiatis.

Iob. 28.

Eccliſ. 7.

II. Principio igitur, ſancta nos docet Scriptura, quod & Euangelium hac de re legi ſolitum confirmat, ſummum illum iudicem poſtquam omnes à ſe inuicem gentes ſeparauerit, & electos à dextris, & reprobos à ſiniſtris collocauerit, omnes accuſationes, depoſitiones, teſtimoniaque examinauerit, opera, verba, & cogitationes accurate trutinauerit, ad dextram ſe conuertendo, ac placido vultu & ad benignitatem propenſo dulcique voce, iucundam illam ſententiam pro iuſtis pronunciaturum: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* O ſententiam exoptandam! O vocem multo auro redimendam! O decretum, quo nullum vnquam mundo extiterit ſalutarius! Sed cur putamus primo iuſtos ſententiam accepturos? propter duas potiſſimum rationes, quarum prima hæc eſt.

Matth. 25.

Cur primo iuſti iudicandi ſint, ac deinde reprobi.

Pſal. 111.

Vt tanto maior cruciatus ſit impiorum, maiuſque tormentum experiantur. Quo enim dolore excruciandos eos putamus, cum iuſtos ad gloriam appellari viderint, ſe vero æternis ſuppliciis mancipari? Hinc Pſalmographus: *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet:* quod & exemplo quodam Euangeliſta cõfirmat. Quem enim dolorem ſenſiſſe credendus eſt diues ille epulo, inferni pabulum, medios inter ignes conſtitutus, dum Lazarum in ſinu Abrahæ conſidentem gloriaque circumfuſum videret? neque enim aliam ob cauſam putem Lazari illi gloriam demonſtratam, quam vt ſupplicia tanto ei grauiora & acerbiora viderentur.

Luc. 16.

Aſſuerus Perſarum Rex, ad cuius nutum centum viginti ſeptem Prouinciæ trepidabant, prius Mardochæum honoribus affectum voluit, quam Amanum patibulo affixum; vt tanto huic illius gloria maiorem dolorem & animi cruciatum afferret, cum hoſtem ſuum iuratiſſimum ad regiam propemodum dignitatem euectum cerneret. Ita quoque ſummus ille totius vniuerſi Rex iuſtos prius exaltaturus, quam in reprobos ſententiam damnationis pronuntiaturus eſt, vt illorum ita tormentũ, viſa beatorum gloria, adaugeatur.

Eſth. 6. 7. 8.

Altera hæc eſt. Vt hinc etiam omnes manifeſte colligant, quanto ſit iudex hic in benignitatem miſericordiamque quam iuſtitiam ac vindictam propenſior, ad mercedem remunerationemque quam ad caſtigandum pronior. Laudauit hoc in Cæſare Auguſto adulatus Ouidius.

Tardus es ad pœnas Princeps, ad præmia velox:

In puniendo nimirum teſtudine lentior, & in remunerãdo ceruo velocior. Hæc ille quidem Cæſari blandiendo, at verius nos dicemus, lentum Deum eſſe in decernendis ſuppliciis, at in bonorum operum remuneratione quodammodo præcipitem ac nimium feſtinum, magiſq; in miſericordiam quam iuſtitiam propendere. Vnde de eo in ſcripturis legimus: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius:* Et canit Eccleſia: *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere.* Aperte hic vſurpat verbum *ſemper*, vt doceat, diabolum nunquam miſereri aut parcere, homines quidem nonnunquã, Deum vero ſemper & nullo non loco miſericordiam oſtendere: & quando dicitur, *cui proprium eſt miſereri*, oẽs alios excludi. Hinc Iſaias cum diuinæ miſericordiæ mẽtionẽ faceret, ait ipſum miſericordiæ & clementiæ:

Pronior Deus ad præmia quã ſupplicia.

Pſal. 144.

Digitized by Google

tiæ duntaxat opus Deo congenitum & naturale eſſe, cætera autem præter eius naturam & ab eo penitus aliena; *ſic in valle qua eſt in Gabaon iraſcetur, vt faciat opus ſuum, alienum eſt opus eius, peregrinum eſt opus eius ab eo.* Sola ſcilicet vindicta præter eius naturam eſt, & ad diuinitatem nullo pacto ſpectat. Iſai. 28.

Inſignis conceptus. Hieroglyphicum regis. Hic bene mihi ac conſulto feciſſe videntur Ægyptii, cum optimi Principis imaginem hoc hieroglyphico expreſſerunt: dabant ei in manus ſceptrum, in cuius imo caput hippopotami erat, quod eſt animal maxime ferum & immite, in ſummitate vero caput ciconiæ, auis benigniſſimæ ac mitiſſimæ.

Primum nota erat iuſtitiæ: alterum vero benignitatis quæ in rege imprimis neceſſaria ſunt; ita tamen vtraque temperanda eſt, vt clementia ſummum ſemper locum teneat, iuſtitia vero infimum. Quod illi de rege, nos melius de regum Rege Deo dicemus: bonitatem ſcilicet & miſericordiam ſuperiorem in regno eius ſemper locum tenere; at inferiorem, iuſtitiam & vindictam. Vnde Apoſtolus: *Miſericordia autem ſuperexaltat iudicium.* Atque hinc in die iudicij electos prius quam iuſtos ipſe iudicaturus eſt, ac benignam illam pro iis primo ſententiam pronuntiaturus: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Venite,* quis amor, *benedicti,* quænam electio! *Patris mei,* ecquod gaudium & conſolatio! *poſſidete,* quam ampla ac præclara conceſſio! *regnum,* quanta liberalitas! O donum ampliſſimum! *paratum vobis,* quanta dilectio! *ab origine mundi,* quænam prædeſtinatio! *Venite,* ô honor! *benedicti,* ô gratia! *Patris mei,* ô magnificentia! *poſſidete,* ô felicitas! *regnum,* ô dignitas! *paratum vobis,* ô felicitas! *ab origine mundi,* ô duratio! *Venite* ô ſumma bonitas! *benedicti!* ô magna familiaritas! *Patris mei,* ô infinita maieſtas! *poſſidete,* ô immenſa largitas! *regnum* ô regnum incomparabile! *paratum vobis,* ô vera beatitudo! *ab origine mundi,* ô antiquitas in æternum duratura! *Venite,* omnes, *benedicti,* felices, *Patris mei,* idque ex charitate, *poſſidete,* in æternum, *regnum,* ampliſſimum, *paratum vobis,* magna cum anxietate ac labore, *ab origine mundi,* quod nullo vnquam æuo deſinet. Iac. 1. Matth. 25.

Venite electi mei, dilecti, prædeſtinati, deliciæ meæ: venite ad me, Deum veſtrum, Redemptorem veſtrum, omne bonum veſtrum. Venite ad me ô filii prodigi, qui olim per ſtultitiam proaui veſtri Adam, paradiſo, qui domus quodammodo paterna erat, egreſſi, in longinquam regionem mundi receſſiſtis, & in eadem omni ferme ſubſtantia veſtra conſumpta, varios labores ac moleſtias ſuſtinuiſtis, adeo vt beſtiarum more viuere vos oportuerit; ſed coegerunt vos lacrymæ, ſuſpiria ac vitæ auſteritas oculos attollere, & ad deſideratiſſimam patriam anhelare, atque ita tandem poſtliminio ad ędes paternas reuerſi eſtis. Venite igitur, accedite, quo vos amplectar, vos ſtringam qui dudum exules fuiſtis, venite, vt iucunde in regno paterno epulemini, proferatur cito ſtola immortalitatis, annulus æternitatis, & calcei impaſſibilitatis, mactetur vitulus ille ſaginatus perfectæ felicitatis, afferantur theſauri regiæ dignitatis, fluant torrentes voluptatis, præparentur epulæ ac nuptiæ regales. Allegoria. Luc. 15.

Venite pauperes Lazari, qui vlceribus pœnitentiæ auſteritatiſque cooperti, & flagrorum vibicibus dilaniati tanta paſſi eſtis, qui toties eſuriiſtis, ieiunaſtis, toties ante fores diuitis huius epulonis, mundi ſcilicet incaſſum, nullo miſerante, ſtipem petiſtis. Venite modo ab Angelis in ſinum Abrahæ deferendi: venite, fruamur amplexibus, indulgeamus affectibus, inebriemur amoribus: venite, vos vt oſculer, & foueam vt mater paruulum. Quod ipſi Prophetæ Domini dudum ante prædixerunt: *Inebriabuntur ab vbertate domus Dei:* & mox, *Torrente voluptatis tua potabis eos.* O deliciæ incomparabiles! ô voluptates multo redimendæ! Luc. 16. Pſal. 35. Ibid.

Venite deliciæ meæ, venite chariſſimi, venite exules & profugi in patriam, cœlum ſubite è quo propter Adæ peccatum egredi compulſi eſtis, & in exilium miſerrimum detruſi, ſed in quod vos iterum gratia mea reſtituet; intrate palatium cuius ianua per paſſionem meam fuit reſerata, intrate in ſplen-

Digitized by Google

didam illam aulam, cuius aditum etuce effregi ac violenter perrupi, quo vos eodem introducerem. Venite peregrini (*omnes enim peregrinamur à Domino*) qui per tot prouincias ac regiones diſcurriſtis, erraſtis, currendoque defatigati eſtis, venite modo ac reuertimini in exoptatum patrium ſolum. Venite naufragi, qui à tot iam annis turbulentum mundi huius mare enauigaſtis, tot tempeſtates, procellas perpeſſi eſtis, toties ventis & aquilonari rabie concuſſi vitæ ac naufragii diſcrimen adiiſtis, modo deſideratum portum ſubite, anchoram hic figite, certi hinc nunquam vos excutiendos, terram ſummæ beatitudinis poſſidete, de cuius poſſeſſione nunquam vos aliquis deturbabit. Venite qui hactenus tam ſtrenue meo nomine laboraſtis, qui tot onera ac defatigationes ſuſtinuiſtis, tot preſſuras, tribulationes, auſteritates, pœnitentias toleraſtis, venite, inquam, vt vos reficiam, conſoler, quieſcite iam à laboribus, iam amplius nolite ſudare aut defatigari, ſed intrate in gaudium Domini æterna requie perfruituri. At nondum hic finis.

Benedicti Patris mei: id eſt, benedictionibus Patris mei ac S. S. totiusq; S. Trinitatis donati. Mundus quidem vos aliquando maledixit, at Pater vos benedicet: mundus tyrannicum vobis iugum impoſuit, at eodem vos Pater meus paterne eximet: mundus vos afflixit, at Pater conſolabitur ac reficiet. O verba ſuper mel & fauum dulciora, ô conſolationem incomparabilem: In quibus veteres omnes figuras adimpletas videmus.

Gen. 27. Ecce enim vt hic ſenex ille Iſaac, cuius ætatem & exortum nemo nouit, cuius generationem nullus enarrare poteſt, dilectos ſibi Iacob benedicat, profanos autem Eſau maledicat. Ecce quoque hic Iacob Patriarcham,

Gen. 49. qui tota paſſionis nocte luctatus, in femore humanitatis dumtaxat vulneratus eſt, atque ita victor abſceſſit, quomodo filios hodie ſuos benedicat. Ecce quoque hic Dauidicum illud vaticinium completum, *Benedicti vos à*

Pſal. 113. *Domino.*

Benedicti Patris mei: Dauid Propheta omnium beneficiorum, quæ à Galaaditis acceperat, eo quod Saulem ſocerum in prælio interemptum ſepulchri honore affeciſſent, memor, hac eos oratione compellabat, *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.* Chri- 2. Reg. 2.

ſtus ad hunc modum, qui regum rex eſt ac Dominus dominantium, memor cultus & honoris, quo fideles Patrem ſuum cœleſtem affecere, operaque miſericordiæ, quæ olim hic edidere, ampliſſima mercede compenſare ſatagens & ingrati nomen ſubterfugiens, his eos verbis alloquitur, *Venite benedicti Pa-* Pſal. 23.

tris mei. Ita namque id præuidit Pſaltes, dum vaticinans ait. *Hic accipit benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* in quibus *hic* pro illi, phraſi Hebræis perfamiliari, legitur.

Benedicti Patris mei. His olim Deum ad Abraham verbis vſum memini, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi, faciamque te in gentem magnam & benedicam tibi & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Gen. 12.

Hic figurate expreſſum legimus, quod magnus ille Deus, in mundi fine, cum fidelibus, id eſt, veris Abrahæ filiis, facturus eſt, qui diuinæ inſpirationi, qua patriam deſerere cogebantur, reſpondentes, relicto patrio ſolo, ac domibus paternis, diuitiaſque ac facultates deſerentes, & in extremas pœnitentiæ oras cœlitus demonſtratas ſecedentes, nomen ſuum celebrari ac magni fieri videbunt, virtutum & meritorum compenſationem accipient, æternamque benedictionem audire merebuntur, *Venite benedicti Patris.* Huc reſpexit Tobias ſenior cum diceret, *Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur & congregabuntur ad Dominum.* hic qui- Tob. 13.

dem ad literam de Hieruſalem terreſtri agit, at myſtice, de cœleſti, in qua omnes filii Dei benedicentur. Sequitur.

Poſſidete regnum. O liberalitas, ô prodiga profuſio: proh quanta felicitas, quanta merces & dignitas: Poſſidete, dilecti mei, regnum quod ab ipſo mundi initio rerumque primordio vobis præparaui. Hi nempe ſunt effectus cœleſtis illius ac diuinæ benedictionis: benedictionis ſcilicet, quæ beatos efficit, ditat, ac regna confert ampliſſima. Præſagiit hoc ipſum ſapiens cum ait, *Iuſti autem in per-* Sap. 5.

Sap.5. *petuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum: ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini*, quod ita demonſtro.

Potentiſſimus Artaxerxes, quem nos alio *Eſth.5.* nomine Aſſuerum nuncupamus, eximia Eſtheris pulchritudine captus dimidium ei regni pollicetur, modo cupitis illius frui poſſet amplexibus. Quid? itane regem vnius captiuæ amore teneri, vt mediam ei regni partem cedere non vereatur? ſed notare vos velim, eum nonniſi medium obtuliſſe regnum: at regum rex Deus infinito erga homines amore inflammatus, integra iis regna, & quidem in æternum poſſidenda, ſponte elargitur, *poſſidete regnum.* non quidem mundi huius, cuius diademata ſentibus rigent, ſed regnum gloria ac maieſtate plenum, de quo *Pſal.144.* Dauid, *Gloriam magnificentia regni tui*, non regnum triduanum, aut tercentum annorum, ſed regnum in omne æuum permanſurum, *Ibid.* *regnum tuum, regnum omnium ſæculorum.* ô amor & flamma plurimam ſecum trahens felicitatem! ô incendium ingentem vtilitatem adferens!

Pſal.18. *Poſſidete regnum.* Hæc dum memoro Domine, æquiſſimum te & in promiſſis fidelem nuncupare neceſſe eſt. Illud namq; regnum eſt, quod olim in Euangelio pauperibus pro-*Matth.5.* miſiſti, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* illic quidem promiſit, hic vero reipſa confert, *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, quod ipſe olim me pollicitum memini.

Poſſidete regnum: in quo Deus rex eſt, Glorioſa Virgo velut regina, cuius membra ac Principes ſunt Seraphini, Duces Cherubini, Marchiones Throni, Comites Dominationes, Vicecomites Principatus, Barones Archangeli, Equites aurati Angeli, ſubditi autem & vaſalli omnes Chriſti fideles, regnum, cuius termini immenſi, in quo firma & ſecura pax, quodque in æternum permanebit, nulloq; vnquam æuo terminabitur, regnum, quod nobis à Chriſto paratum ac ſanguine *Theſſ.1.* eius acquiſitum teſtatur Apoſtolus, *Teſtificati ſumus vt ambularetis digne Deo qui vocauit vos* *Iacob.2.* *in ſuum regnum & gloriam* & Iacobus in Catholica ſua, *Audite fratres dilectiſſimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?* Noli dubitare Apoſtole, dum enim dicit, *Poſſidete paratum vobis regnum*, ad oculum idipſum demonſtrat. Exclamem igitur merito, O mercedem admirabilem! ô remunerationem ſingularem!

Dauid rex cum in extremis eſſet, filioque Salomoni regni habenas traderet, ac teſtamentum conderet, omnium benefactorum memor, & ſingulos qui ſibi viuenti aliquod beneficium contuliſſent, compenſare vellet, filios Berzelai Galaaditis potiſſimum ei commendauit, qui ſibi à facie Abſolomi fugienti in auxilium occurrerant, quos regiæ menſæ donec viuerent, aſſidere voluit, iiſdemq; quibus rex epulis gaudere; *Sed & filiis Berzelai* *3.Reg.2.* *Galaaditis reddes gratiam, eruntq; comedentes in menſa tua* Ad eundem modum Deus in mundi fine, fideles & obſequentes ſeruos remunerari cupiens, filium, de quo legimus, *Ecce* *Luc.11.* *pluſquam Salomon hic*, admonebit, vt nouos illos Berzelaidas, electos intelligo & prædeſtinatos, digna mercede, obſequiorum memor, afficiat, in regnum cœleſte inducat, menſæq; gloriæ aſſiſtere, & iiſdem ſecum deliciis, voluptatibus, gaudiiſq; frui faciat. Audiamus quæſo vt Patris ille voluntatem & teſtimonium amoris proprio et ore confirmet: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego* *Ioan.12.* *ſum, illic & miniſter meus erit*: multoq; adhuc euidentius in Luca, *Et ego diſpono vobis, ſicut* *Luc.12.* *diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*, ac deinde, *Poſſidete regnum* O amorem ſingularem! ô dignationem dilectionis infinitæ.

Quid? itane regnum tuum polliceris Do- *Bona opera in die iudicii compẽſabuntur.* mine tuiſq; conſignas, hoc ne per gratiã meram, an ex iuſtitia & obligatione? Ex ſola iuſtitia (Auditores,) vt bona veſtra opera debita mercede compenſet, dicit enim, *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere* Viuant igitur bona opera, viuant opera miſericordiæ, quibus regnum cœlorum ex obligatione aſſignatum eſt Hinc Apoſtolorum Princeps. *Quapropter fratres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocatio-* *2.Petr.1.* *nem, & electionẽ faciatis, ſic enim abundãter miniſtrabitur vobis introitus in regnũ æternũ Domi-*

ni no-

ni noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti. Sed hactenus de ſententia pro electis pronuntianda, iam de ea quæ in improbos feretur agendum reſtat.

Sententia quæ in impios feretur.

Vbi iam iudex ſententiam pro electis, à dextra parte conſtitutis, pronunciauerit, terribili quodam vultu, atque oculis toruum ſcintillantibus, & furorem ſpirãtibus, ad impios conuerſus, horrenda & indignabunda voce, lugubrem ac funeſtam illam ſententiam pronuntiabit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* O ſententia, cui ſimilis nulla vnquam à quoquam pronuntiata legitur! ô decretum ſanguinolentum, horrendum, terribile! ô ſententia lugubris, deploranda, atq; iliadem malorum ſecum trahens! Proh infœlices ac miſeros peccatores, aduerſus quos ignitum illud ſententiæ fulmen euibrabitur. Matth. 25.

Vix lingua calamitatem hanc poteſt exprimere, aut vox proferre, latera deficiunt, nec ſi centum mihi linguæ, aut ferrea vox, vel ærea ſint latera, eiuſdem magnitudinẽ poſſem deſcribere. Hic curſũ ſiſtite cœleſtes orbes, hic deliquium patere Phœbe, hic terra concutere, hic detona aër, hic ignes cœlo deſcẽdant, hic ingemiſcat pontus, ſtellæ hic cœlo cadant, gemant, plorent, omnes hic creaturæ triſtem ac lugubrem ſonum edant: hic rupes, petræ, ſaxa diffringantur; hic herbæ, plantæ, & arbores exareſcant: hic vlulent animalia, hic rugiant leones, ac miſerorum ſorti nimis ah deplorandæ compatiantur, lugubrique hac ſententia audita ingemiſcant: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* ſingulis verbis ſuũ ineſt pondus, ſingulæq; ſyllabæ nouũ quendam & ſingularem dolorem incutiunt. Matth. 25.

Diſcedite, O verbum amarum! *à me*, ô calamitas! *maledicti*, ô furor! *in ignem æternum*, ô temporis longæuitas! *qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* ô horror, terror & pudor! *Diſcedite*, ô infœlix diſceſſio! *maledicti*, ô quæ reprobatio! *in ignem æternum*, ô quæ punitio! *qui paratus eſt*, ô quæ præparatio! *diabolo*, ô quale tormentum! *& angelis eius*, ecquæ afflictio! *Diſcedite*, ecquæ manumiſſio! *maledicti*, ô quam inſalubris ſalus! *in ignem æternum*, quam triſte aſylum! *qui paratus eſt*, quam amara iuſtitia! *diabolo*, quam ingrata ſocietas! *& angelis eius*, quam immite conſortium! *Diſcedite*, dum cogito exalbeſco. *à me*, palleſco, *maledicti*, horrent comæ, *in ignem æternum*, voce deſtituor, *qui paratus eſt*, contremiſco, *diabolo*, palpitat cor, *& angelis eius*, præ metu ac formidine emorior.

Diſcedite à me maledicti, id eſt, confeſtim ab oculis vos meis proripite, hinc, procul hinc à conſpectu meo, non amplius coram me cõparere vos volo, ſed digna flagitiis ſupplicia adituri in ignem illum perennem properate, & diabolos quos hactenus obſeruaſtis, inuiſite; Ite, abite miſeri, diſcedite infœlices, hinc fugite in æternum maledicti. Quaſi diceret, Quoniam me, ô ſcelerati! vt patrẽ agnoſcere noluiſtis, etiam inuiti, vt iudicem me habetote. Vos ſc. ad ſeueram ſententiam pronuntiandam me compuliſtis, quid? neſciebatis, me in miſericordiam ac clementiam quam in rigorem ac iuſtitiam proniorem eſſe, & malle me bona veſtra opera æterna mercede, quam delicta ſempiterna flamma compenſare? Patientia vos mea abuſi eſtis, pœnitentiam agere diſtuliſtis, delinquendi finis non erat, eumque, qui non niſi clementiam & amorem ſpirabat, veſtræq; ſalutis ſitientiſſimus erat, ad iracundiam & vindictam exigẽdam compuliſtis, & ſententiam hanc inuito quodammodo extorſiſtis.

Pronior Deus in miſericordiam quam iuſtitiam.

Et ſane ita ſe res habet Domine, pronior es ac propenſior ad parcendum quam caſtigandum, quod variis è Scriptura Sacra exẽplis ac figuris poterit confirmari. Homo ille quem Joannes initio Apocalypſeos vidit, gladium habebat in ore, & ſtellas manu: quo deſignabatur, Deum, cuius hic homo figuram gerebat, minas, quarum gladius typus erat, ore, gratiam vero & indulgentiam, quæ per ſtellas ſignabãtur, manu præferre, ac ſupplicia quidem ſæpius interminari, ſed eorum loco præmia ac gratiam elargiri. Apoc. 1.

Dilecta illa in Canticis cum omnia propemodum ſpõſi membra, deprædicaret, hocce manibus elogiũ dedit: *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis:* quæ verba Hebræi in hunc modum legunt: *Manus eius orbes aurei*; itaq; lecta hunc ſenſum efficiunt, Manus dilecti mei, inſtar orbis cœleſtis, ſemper ad benè agendum indeficiente motu feruntur & Cant. 5.

 impel-

Digitized by Google

tem, humilitatem, crucem ac paſſionem illius toties irriſere, maledictione acerbiſſima ferientem. At non ſunt hic maledictiones blaſphemi Semei Beniaminitæ, quas in Dauid Regem eiaculatus eſt, ſed Chriſti Jeſu aduerſus impios & damnatos. Vnde Pſalmographus: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis*, non in hoc ſolum mundo, verum & in altero; dices enim.

2.Reg.16. 19.

Pſal.118.

Maledicti. Si ficulnea illa Euangelica, nullo ſenſu prædita, iudicio & ratione carens, ſolumque animam habens vegetatiuam, diuina maledictione percuſſa quamprimum exaruit, omnemque confeſtim vigorem viroremque amiſit, non aliter quam ſi triſulco Jouis telo fuiſſet impetita, quid obſecro, facient infœlices illæ animæ horrendum illud fulmen expertæ? An non præ metu extabeſcent, an non præ formidine examinabuntur? præuidit ingentem hanc & metuendam maledictionem Tobias ſenior, cum diceret: *Maledicti erunt, vt qui contempſerint te, & condemnati erunt, vt qui blaſphemauerint te.* Item Pſaltes: *Dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Vbi numerum ſingularem pro plurali, modo loquendi Hebræis vſitato, vſurpauit: perinde ac ſi dicere voluiſſet, Peruicaces illi peccatores, Domine, qui benedictiones tuas hactenus quærere diſtulerunt, iiſdem etiam priuabuntur & eorum loco maledictiones, quas ſemper quæſiere, inuenient: Verum eſt; audio enim eaſdem iam euibrari.

Marc.11.

Tob.13.

Pſal.108.

Maledicti. Non erit amplius, ô dilecta, vox illa ſuauis ac iucunda, quam tantopere olim audire cupiiſti, non erunt harmonici illi cõcentus quos auribus tuis ingeminari ardentiſſime deſiderabas, dicens: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Sed vox quædam terribilis, ac confragoſa; vox terroris & belli, vt eam Jeremias indigetat; vox flagelli & percuſſionis, quomodo à Nahum Propheta nominatur. Quãobrem, Chriſtiani, cum eandem hodie reboantem perque aëra ſtridentem auditis, diligenter attendite, omniq; ratione aduertite, ne vos illa percellat & terreat. Conuertimini ad Dominum, & nolite pœnitentiam in longa temporis ſpatia differre: vitam in melius commutare, nolite benignum illum Dominum flagitiis ad iracundia prouocare; at bonis eum vobis operibus propitium reddite: terreat vos terribilis illa vox, metum ſententia hæc incutiat: hac audita morum emendationi conuerſioniq; ſtudete, inueteratam illam peccandi conſuetudinem relinquite, prauos mores, & vitæ deprauatæ flagitia exuentes, nouum hominem induite. Auſcultate Pſalmiſtæ bene ſapienterq; monenti, *Hodie ſi vocem eius*; vocem, inquam, iudiciorũ eius, vocem hanc horrendam, *Diſcedite à me maledicti, audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et quo diſcedent Domine?

Cant.2.

Ierem.50.

Nahum.3.

Pſal.94.

In ignem æternum. O rigor! ô infelicitas! ô vere deploranda calamitas! Cœleſti nimirum patria exulare, ad infernalia ſupplicia detrudi, à Deo reiici, maledictionis ſententia feriri, ſempiterno incendio addici? O ſententiam intolerabilem! *In ignem* horrẽdum, *æternis* miſerum, *in ignem*, ô furor, *æternum*! ô deſperatio! Hic ſcilicet Dauidicum emblema expoſitum videmus, *Vox tonitrui in rota:* quamuis id à Gregorio & aliis de Apoſtolorum prædicatione explicatum ſciam, *Quid enim*, inquit, *per tonitruum niſi prædicatio ſuperni terroris accipitur, per quod ſupernorum iudiciorum terror auditur.* Sed poſſunt eadem nihilominus verba de ſentẽtiæ in die iudicij ferendæ pronuntiatione intelligi, erit enim vox illa tonitrui inſtar reboans, & inſtar fulminis ſtridens: quinetiam, vt rota feretur, erit namque volubilis & ſemper agens, quod per rotam deſignatur, circulus namq; & rota, quæ principio careant ac fine, æternitatis ſunt ſymbola. Ita etiam olim precatus eſt Pſalmiſta, cum impiorum damnationẽ vindictamque poſtularet, *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem vẽti: ſicut ignis, qui comburit ſiluam, & ſicut flamma, quæ comburit montes, ita perſequeris eos tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos.* Nec ſolum hic impiis malum imprecatus vates, ſed eadem ſimul opera æternitatem ſuppliciorum quibus excruciandi ſunt, deſignat. ô rota! ô æternitas.

Pſal.67.
Lib.19.
Mor.c.10.

Damnatorum ſupplicia rotæ comparantur.

Pſal.82.

In ignem æternum: ignem nouum, exoticum, qui vnico momento duriſſimos adamantes in fauillas rediget, qui ſingulos iuxta peccatorum qualitatem magnitudinemque torque-

Ignis infernalis qualis.

torquebit, cuique ignis noſter comparatus ludus quodãmodo & pictus videatur; *ignem æternum*, qui non prius exſtinguetur, quam Deus, qui principij ſimul & finis expers eſt, eſſe deſinat. Vnde prudens & ſancta illa vidua Judith, peccatores ad pœnitẽtiam comminando inuitans, ait: *Væ genti ſurgenti ſuper genus meum, Dominus enim omnipotens vindicauit in eis. In die iudicij vi viſitabit illos. Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Exclamo igitur, & quidem merito: ô ignem! ô tormentum! ô dolorem intolerabilem! At nõdum hic finis.

Iud. 16.

Qui paratus eſt diabolo & angelis eius. ô cruciatus omnem modum ac rationem excedens! Annon ſatis erat, ô Judex æquiſſime, à diuino tuo eos cõſpectu arcere, Paradiſi aditum occludere, iniurias & calumnias ingerere, igni æterno addicere; niſi etiam dæmones iis in ſocios aſſignares? vt nempe horrenda illa monſtra, deformes illas furias, ac ſpectra teterrima, nullo non tempore ante oculos haberent. Prædixerant id oracula Prophetica, vt illud Dauidicum, *ſtet diabolus à dextris eius*; & aliud, *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Hoc quidem & de Meſſia intelligi poteſt; ſed, quemadmodũ Scriptura diuerſis aptari poteſt, huic propoſito idipſum accõmodare quin liceat?

Pſal. 108.
Habac. 8.

Audiuiſtis iam decretum, quod aduerſus impios pronunciabitur; audiuiſtis ſententiã quam in damnatos magnus ille Judex detonabit, quam & mox executioni mandabit. Dæmones enim adſtantes, miſeras illas animas ad inferna trahent, & ad æterna rapient ſupplicia. Quod figuris quibusdam ex antiquo teſtamento notum faciam. Vix olim Aſſuerus mortis ſententiam in Amanum tulit, quin ſtatim ille à carnifice in crucem actus eſt: *Necdum verbum de ore Regis exierat, & ſtatim obruerunt faciem eius, & ſuſpenſus eſt Aman in patibulo.* Ita quoq; quamprimum vt potens ille Aſſuerus CHRISTVS protulerit, *Ite maledicti in ignem æternum*: terribiles ac truculenti illi carnifices, miſellos illos inuadent, & ad ſempiterna tormenta reluctantes & inuitos trahent, qui in puncto ad inferna deſcendent.

Eſth. 7.
Matth. 25.

Quamprimum vt Moyſes Hebræorum legislator olim loqui deſiit, Chore mox, Dathan, & Abiron cum complicibus ſuis ac ſeditioſis ſociis, terra immane dehiſcente, viui in infernum deſcendere. Non aliter quoq; cum dãnatis agetur. Vix namq; Judex morti eos adiudicauerit, quin mox terra diſrupta eos abſorbeat, & abſorptos ad tartara transmittat. Quid ad hæc ais ô Rex! *Veniet mors ſuper illos, & deſcendent in infernum viuentes.* Non eſt hæc, vt nonnulli exiſtimant, mali cuiuſquam imprecatio, ſed potius euidens de damnatis vaticiniũ, quod & ab alio quodam loco lucem accipiet: *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.* Confeſtim namque ac grauia illa corpora, ponderoſa illa cadauera, ac moles illæ carneæ ad ima deſcendere inceperint, inſtar plumbi aut ingentis ſaxi ad centrum terræ deuoluentur. Ita ſcilicet idipſum docet Scriptura: *Cadent in profundum quaſi lapis, & ſicut plumbum in aquis vehementibus.*

Num. 16.
Pſal. 54.
Pſal. 62.
Exod. 15.

Conclusio.

Quocirca, Chriſtiani, etiam atque etiam vos adhortor, huius vt iudicij recordemini, ſententiam illam vltricem ſemper ob oculos habeatis, ac diligenter aduigiletis, ne in vos eadem feratur. Dixit olim Sapiens, prudentem ac cordatum virum in dextra cor tenere, ſtolidum vero & inſipientem in ſiniſtra, quod non iuxta litteram intelligendum eſt: cum certo ſit certius, & ex anatomicis præceptis conſtet, cor medium in homine locum occupare. Sed myſtice verba illa exponenda ſunt, ſcilicet, iuſtum, quem vere ſapientem ac prudentem dicere poſſumus cor ſuum, actiones, cogitationesque omnes ad gloriam, quæ per dexteram ſignificatur, dirigere & intendere: impium vero, qui ſtolidi ac fatui imaginem gerit, in omnibus ſuis tum dictis, tum factis cogitationibusque, vnicam ſpectare damnationem, quæ per ſiniſtram denotatur. Et ſane mera ſtultitia eſt, ne dicam dementia, in peccata ſemper ac nulla non occaſione data incidere, ac nunquam horrendam illam ſententiam ob oculos habere, laſciuire, ineptire, deliciis voluptatibusque nullo non loco indulgere, & nihil eorum, quæ in altero mundo euentura ſunt, mente animoque reuoluere.

Eccl. 10.

Formi-

Digitized by Google

Prou. 6. Formicæ induſtria ac ſolertia. Formicæ, vt ſapiens ait, in æſtate, dum cetera animalcula per agros cantillant ac minurizant futuræ memores hyemis, tritici aceruos oberrant, frumenti grana aſſiduo labore & indefeſſa induſtria in horrea conuehunt, vt, dum brumale tempus aduenerit, depoſito gaudere poſſint, ac partis frui. Vnico ſcilicet brumalis auſteritatis inclementiæq; metu vernas & æſtiuas delicias contemnunt, & in futurum proſpiciunt. Digna profecto laudibus in paruo hoc animalculo induſtria, & cata ſolertia! Has vt imitemur & earum diligentiam notemus, ſuadet idem Sapiens, *Prou. 6.* *Vade ad formicam piger.* Docere vult, eſſe nobis, qui nonniſi exigua quædam inſecta ſumus, interea dum læta vitæ huius æſtas vernat & ceteri hominum, iocis, ludis, tripudiis & ineptiis, variiſq; nugis tempus impendũt, diligentem rerum omnium prouiſionem faciendam, virtutes inquam, merita, bonaque opera coaceruanda, vt iis, dum alterius vitæ bruma aduenerit, & inopia extrema laboramus, fruamur. Quam triſtis autem hyems hæc futura eſt! Tunc ſcil. terra præ ſiccitate exareſcet, aer obſcurabitur, diuinaq; iuſtitia omnia deuaſtabit, herbæ tabeſcent, flores emarceſcent, arbores emorientur, omniaq; diabolica quadam peruicacia, duritieq; inaudita congelaſcent. An non igitur hyemis huius intemperies & inclementia, rerum omnium obliuionem, voluptatũ deliciarumq; contemptum, gaudiorum deniq; abnegationem inducat? An non vel minima eiuſdem apprehenſio tantum in animabus noſtris poterit, vt nunquam amplius noſtris Deum omnipotẽtem flagitiis ad iracundiam prouocemus? Ioab princeps militiæ regis Dauid, audito Abſalomum è quercu pendere, decem argenti ſiclos, & baltheum daturum ſe nuncio ſpoſpondit, ſi pendentem telo traiiceret, at miles, ille minime miles, ſed ad omnem clementiam edoctus, mox ſubintulit, *2. Reg. 18.* *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis.* Hoc ipſum te reſpondere velim, Chriſtiane miles ſub Ieſu Chriſti ſignis qui meres, cum te infernalis ille Ioab, dæmon ſcilicet, ad cædem, id eſt, peccatum & ſcelus, impellit, ſuadetq;, vt principem illum cœli ac terræ denuo crucifigas, inque facti mercedem daturum ſe pollicetur delicias quaſdam tranſitorias, ac diuitias temporales. Tum inquam reſpondere te velim, Si vniuerſum mihi mundum cum omnibus eiuſdem diuitiis traderes, Satan, numquam vel vnum peccatum mortale committerem. Quid? mene aduerſus Deum inſurgere? Creatorem ad iracundiam concitare? iudicem deniq; meum prouocare? mille licet mundos offerres, numquam huc me adduxeris. Eia Chriſtiane, hoc cogita. Iudicium hoc mente volue, terribilem hanc & horrendam diem præ oculis habe, à qua vel vniuerſa tua ſalus, aut è contra interitus ac ruina dependet. Quod ſi feceris, certiſſime futurum confido, numquam vt amplius, præeunte hic mihi Salomone, Deum ſis offenſurus.

Tunc obſecro, mei, ô Iudex æquiſſime, ſed ſimul etiam ſeueriſſime, miſerere, tunc à dextris cum numero iuſtorum conſtitue, ſententiam pro me pronuntia, colloca me cum benedictis, ne cum impiis maledicar, tunc paterna me benignitate atque amore complectere. Suſcipe me tum ſub vmbra alarum tuarum, extende dextram ad protegendum, ne forte glorientur inimici mei, & dicant, *Hierem. 20.* *Præualemus aduerſus eum*, Oculos, quæſo, in die illa obnubila, ne malignorum illorum ſpirituum, teterrimorum inquam ſpectrorũ aſpectu perterrear, ſed gratiæ tuæ radiis & Angelorum circumquaque aſtantium, & ad adiuuandum me emiſſorum, ſplendore illos potius præſtinguas: & gratiam concedas, vt horum ſemper meminiſſe queam: & quoniã iter hoc neceſſario mihi peragendum eſt, diſcrimina in illo occurrentia, periculaq; quæ poſt corporis huius egreſſum ſubire me forſitan oportebit, præuideam ac præcogitem. Vt cum omnia præuidero, percepero, prægustaro, ſuauem illam cum electis ſententiã audire merear, *Matth. 25.* *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mũdi*; quæ demum ſumma quam quis optare queat beatitudo, & ad quam omnes nos deducere dignetur, Pater & Filius, & S. ſanctus, Amen.

Digitized by Google

DE INFERNO.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

DE MEMORIA INFERNI.

Partitio.

1. *Præconium de timere pœnæ generatim.*
2. *De neceſſitate pœnarum inferni.*
3. *De earundem Vtilitate.*

Memorare nouiſſima tua, *& imprimis infernalia*, & in æternum non peccabis, *Eccleſ.7.*

FIGVRA.

INter omnes, quas Ioannes olim in Pathmos inſula habuit viſiones & apparitiones, non poſtremum mihi occupare locum videtur illa, qua lacum vidit igne ac ſulphure æſtuantem, in quem ſcelerata & abominanda illa meretrix omni vitiorum genere contaminatiſſima, iuſto Dei iudicio, coniecta fuit, vt pro gaudiorum hoc in mundo habitorum ratione, tãtum illic tormentorum pateretur, & pro menſura voluptatum, cruciatus etiam ex æquo perferret: *Quantum glorificauerit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* *Apoc 18.* Cum myſticam hanc viſionem attentius peruoluo, penitiuſque rimor, Inferni horror & ſupplicia in eo damnatis deſtinata hic aperte deſignari videntur: ille namq; locus eſt teterrimus ac ſimul infœliciſſimus, flammis perpetuis exæſtuans, glacie & frigore acerrimo rigens, ſulphureũ fœtorem exhalans, omnibuſq; ſupplicijs ac cruciatib. refertus: in quem ſceleratorum animę, adulterijs, id eſt flagitijs varijs, coinquinatæ, aliquando relegabuntur, vt illic in æternum irreuocabili Dei ſententia, tantum ſuppliciorum, pœnarum, ac cruciatuum ſuſtineant, quantum prius hoc in mundo gaudiorum, deliciarum, voluptatumq; habuerunt. Hoc ſemper vt prę oculis habeamus, ac nunquam animo deponamus, ſuggerit Deus: atq; hoc ipſum eſt, quod hodierna vobis concione explicare decreui, ſi lumen cordium Spiritus ſanctus ingenium illuſtrare, & patrona noſtra conſueta, Maria ſcilicet Deipara, pro me intercedere non detrectent, quam proinde cum Angelo Gabriele ſupplices ſalutabimus.

AVE MARIA.

I. Abderitanus Democritus, non poſtremi nominis Philoſophus, dicere ſolebat, vniuerſam mundi huius monarchiam duabus potiſſimum rebus contineri, amore ſcilicet ac metu: quorum ille præmia, hic vero ſupplicia dare conſueuiſſet. Hinc primus Perſarum Monarcha Cyrus, teſte Xenophonte, *Xenoph. in Cyri pæd.* vtrumque hunc affectum, regis alicuius brachia nuncupare ſolebat, quorum primo ad fidelia fidelium obſequia digna mercede compenſanda, altero vero ad ſupplicia impiis & ſceleratis infligenda vteretur.

Eiuſdem etiam opinionis fuit Dauid Rex ille ſanctiſſimus, agens enim de ſummi regis, Dei ſcilic. dotibus & qualitatibus, duos hos in eodem affectus velut excellentiſſimos & rege ſummo digniſſimos commendauit, *Dulcis & rectus Dominus.* *Pſal. 24.* Quæ verba Caſſiodorus Romanus quondam Senator, ac deinde Rauennæ Abbas ſanctiſſimus, ita expoſuit, *Dicitur dulcis vt ametur, & rectus vt timeatur.* Ipſe porro Pſalmographus timorem hunc diffuſius explicans eique enucleatius inhærens, adeo eundem mundi huius regno neceſſarium atque vtilem cenſuit, vt hunc veræ ſapientiæ initium ac fontem exiſtimarit: *Initium ſapientiæ timor Domini.* *Pſal. 110.* Quo nihil vnquam mihi dixiſſe viſus eſt melius ac ſapientius: nihil eſt enim quod magis hominẽ à peccando reuocet, eumque in virtutum ſemitam aberrantem reducat, quam Dei timor, ſuppliciorumq;, quæ ſceleratis & contumacibus infligit, aſſidua meditatio & viua apprehenſio.

Hinc primus Vrbis & Imperii auctor Romulus, Deos quos à Romanis adorari volebat, armatos & minas cultoribus quodammodo intentantes efformauit: vt nimirum *Plutarch. in opuſc.*

armo-

armorum terror pœnarumq; metus adorantes officii ſui commonefaceret, timorem incuteret, ad virtutem impelleret. O factum Romulo dignum!

Is, quem ſupra produximus Dauid, eadem propemodum ratione vſus eſt: quo enim reges in officio contineret, timoremque iiſdem aliquem incuteret; Deum illis furore & rabie armatum depinxit, vtque eundem timerent ac vererentur, ſæpius inculcauit. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Non dicit, *Seruite Domino in amore*, ſed *timore*; vt inſinuet, quantum hic virium habeat, & præſertim Dei timor, ad reges etiam potentiſſimos concutiendos & percellendos. Pſal. 2.

Et ſane timor hic vniuerſo orbi a Deo neceſſarius & vtilis eſt, vt inter certos peſtilentis Lutheri, qui ingens orbi Chriſtiano damnum attulit, à Leone Decimo Pontifice damnatos articulos, non poſtremum ille locum habuerit, quo aſſerebat, fruſtra & incaſſum Chriſtianos infernalia ſupplicia perhorreſcere, & nonniſi inane terriculamentum & timorem quendam Panicum eſſe, diuinam iuſtitiam vltionemque metuere. Ipſum autem ſacrum Oecumenicum Concilium Tridentinum, impium hocce dogma euertere & expugnare ſatagens, ait, peccatorem diuinæ iuſtitiæ metu correptum, in proximo iuſtificationis limite ac primo velut ad gratiam gradu conſiſtere. Quod & Iſaias propheta euidenter aſſerit, *Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in laboribus ſuis, ſic facti ſumus à facie tua Domine: concepimus, & quaſi parturiuimus ſpiritum*, conuerſionis ſcilicet, emendationis, & nouæ cuiuſdam iuſtitiæ. Septuaginta Interpretes aliter hunc locum interpretantur, & noſtro propoſito accommodatius, *A timore tuo Domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ.* concepimus, inquam, tot bona ſanctaque deſideria, è quibus tandem gratiæ tuæ ſpiritus enatus eſt. Porro Auguſtin. verba illa Pſalmi 47. *Ibi dolores vt parturientis*, exponens ait, *quid ſunt dolores vt parturientis, niſi dolores pœnitentiæ? id eſt, ipſa conceptio doloris*

Cap. 6.

Iſai. 26.

Pſal. 47.

Tom. 4. Beſſ. Aduent.

(iuxta illud, A timore tuo concepimus.) qui poſtquam diu in partu dolorum, gemituum, contritioniſque verſatus fuit, perfectæ tandem iuſtificationis ſaluriſq; propriæ fœtum edit. O timor vere diuinus!

Vere inquam diuinus: atque hoc fuit etiam Ethnicorum omnium de eodem iudicium. Vnde Plinius, *Timor vitiorum emendator acerrimus.* Et multo amplius Liuius, *Externus timor maximum in vrbe concordiæ vinculum.* Et poſt vtrunque hunc Bernardus Abbas dixit, Timorem Religionis ſocium eſſe, nec alterũ ab altero facile diuelli poſſe: eundem vero Ven. Picianus primam ad ſalutem viam appellare non dubitauit, *In medicina poculu ſolet amarum magis quam dulce medicari: ſic in animæ ægri[tudi]nibus ſæpe timor eſt prima ad ſalutem via.* Vere igitur ſanctus timor eſt. Plin lib. 5. Lib. 2.

Quid ni ſanctus? cum ipſemet Deus, & quicunque vnquam ſapientes & prudentes extitere, eundem imprimis & laudarint, hominibuſque vt eum aſſidue ante oculos haberent, perſuadere conati ſint: adeo vt ipſe Græcorum Patrum flos & oraculum Chryſoſtomus, aliique Patres cum eruditione tum ſanctitate illuſtres, dicere veriti non ſint; Deum infernale chaos non tam ad impios & dæmones puniendos, quam ad peccatores tam tetrum ſibi locum proponentes, à peccatis ad meliorem frugem conuertendos, condidiſſe. Hinc Richardus de S. Victore infernalium ſuppliciorum metum ac formidinem ſapientiæ initium & originem, omniumque virtutum quæ cœlo natæ ſunt, parentem matremque appellauit, cuius rei mox rationem reddens ſeipſum explicat dicens, *Quia quanto quis vehementius metuit pœnam quam meruit, tanto acerbius plangit culpam quam fecit.* In Beniamin minore cap. 8. & 9.

Accedit huc, quod timor hic omnino ſanctus ſit, quod è libro Geneſis manifeſtum redditur. Illo namque loco Abraham Abimelecho Regi Geraræorum rationem immutati vxoris ſuæ Sarai nominis reddens, quam ſororem ſuam eſſe dixerat, ait, *Cogitaui mecum dicens, forſitan non eſt timor in loco iſto.* quæ verba LXX ita tranſtulerũt, *Si non eſt in loco iſto veneratio Dei:* quaſi Dei timor eiuſ-

dem maieſtatis honor, cultus, ac veneratio foret. Et ſane ad eandem nobis ille viam ſternit, & quamuis nullius omnino meriti ſit, vtilitatem tamen aliquam afferre ſolet, & ad conuerſionem animarumq; iuſtificationem non parum conducere.

Pſal. 28. Quod è ſacris litteris probare licet, & imprimis è loco illo Pſalmi, *Vox Domini præparantis ceruos.* Hieronymus in peregrinarum linguarum cognitione verſatiſſimus, ad originem Hebraicam ſic interpretatus eſt, *Vox Domini obſtetricans ceruis*, ad naturam videlicet ceruorum reſpiciens: ſunt enim ceruæ, vt qui de animalibus ſcripſere tradunt, natura pauidæ, & ægre admodum pariunt; adeo vt, niſi cœlum earum quodammodo miſertum tonitrua & fragores emittat, fœtum edere nequeant; verum audito tonitru ſubito occulti naturæ meatus extendantur, ac incluſus fœtus tum egrediatur: atque ideo vere dictum videtur, *Vox Domini obſtetricans ceruis.* At quoſnam per haſce ceruas difficillime parientes intelligemus? peccatores ſcilicet quibus ſanctorum propoſitorum, pœnitentiæq; vterum quodammodo ferentibus, quotidieque præ dolorum internorum magnitudine gementibus, lachrymantibus, eiulantibuſq; Deus pro ſua benignitate ac miſericordia obſtetricatur: modo namque Prophetarum admonitionibus, modo ſacræ ſcripturæ comminationibus, modo denique iudiciorum ſuorum fragore; ſalutis ſanctæ conuerſionis vitæq; emendationis fœtum eos edere compellit: vt nimirum exterius opere extrinſeco prodant & manifeſtent, quod dudum in animo cogitatione deſiderioque concepere. Exclamem itaque iure meritoque, O beatus ac felix timor!

Cæterum inter omnes timores maioris nullus efficaciæ ac virium haberi queat, quam ſuppliciorum infernalium timor: tantum ſiquidem ille robur habet, vt ſola carceris illius horrendi cruciatuumque illic tolerandorum meditatio, hominem peccatis aſſuetum ad pulchrum virtutis iter reuocare, & ad meliorem mentem, relicta peccandi conſuetudine, poſſet traducere.

Eccleſ. 7. Teſtatur hoc ipſum Sapiens, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Hac de re pluribus hodierna die locuturus ſum, in qua vt aliquam methodum & ordinem teneam, dicturus ſum primo quam neceſſe ſit cruciatuum infernalium interdum meminiſſe, deinde quantam hæc recordatio vtilitatem complectatur. Quamobrem non alte petito principio à reipſa auſpicemur.

Si quid eſt, Auditores, quod homo neceſſario timere ſibiq; aſſidue proponere debet: profecto infernus inter prima cenſendus eſt, dæmonum ſcil. receptaculum, damnatorum colluuies, omniumque ſuppliciorum & tormentorum theatrum. II.

Hinc Apoſtolos monuit Dominus, vt hunc præ cæteris metuendis metuerent, huiuſque timorem & apprehenſionem ceterarum rerum timori anteponerent: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus mittere in gehennam.* Matth. 10.

Diues ille epulo, luxeo inquam profuſiſſimus, qui propter luxum in veſtibus & edulis viuus ad oliam Vulcani delatus eſt, cum inferni ſupplicia, tormentorumque grauitatem perſenſiſſet; neſcio quo incitatus affectu, cupiebat fratres, quos in viuis reliquerat, hunc ſibi locum proponere: vnicū quippe eiuſdem recordationem & apprehenſionem ad quemlibet à vitiis retrahendum, inque pœnitentiæ viam reducendum ſufficere exiſtimabat. Luc. 16.

An non meminiſtis, quomodo Abrahæ patri ſupplex factus orauerit. *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* O cæcas hominum mentes, ô dementiam [illegible]orum! mortui & damnati inferni memo[illegible]do commendāt, eumq; vt præ oculis habeat conſulunt, eademq; nihil ad ſalutem magis neceſſarium putant; ipſi tamen homines de eodem parum aut nihil laborant, imo vix eiuſdem meminere. Luc. 16.

Moyſes cum imminentem populo calamitatem vaſtationemque præſagiret, vtque ad

Deut. 32. ad Dominum conuerteretur, ſæpius admonuiſſet, ita tandem eum a loquitur: *Ignis ſuccenſus eſt à furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitq; terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet: congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis, conſumentur fame & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo, dentes beſtiarum immittam in eos cum furore trahentium atque ſerpentium.* Et tandem ita interminationem hanc concludit, *Gens absque conſilio atque prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* Quid hic dicitis, Chriſtiani? ſi Moyſes populi ſui veſaniam ac ſtoliditatem coarguit, ac ſupinam eius negligentiam tantopere admiratus eſt, quod in impendentem calamitatem oculos non coniiceret; quid de nobis ipſis quibus iratum cœlum ſuperimminet, tot calamitates & infortunia impendent, quos tot mala circumdant? pedibus ſcilicet infernum tangimus, vindex diuinæ iuſtitiæ gladius ceruicibus impendet, diaboli in nos laxatis habenis ſæuiunt, vltrix flamma à tanto iam tempore accenſa eſt, flamma, inquam, quæ per omnia graſſatur, omniaque conſumit & deſtruit, quæque nullo vnquam tempore vrere deſinet. Tantus tamen interea torpor noſter eſt ac ſocordia, vt nunquam eadem ante oculos habeamus, nec minus moueamur, quam ſi anilem quandam fabulam audiremus. Quam merito igitur cum Moyſe explicabimus: *Gens abſq; conſilio atq; prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* Deut. 32.

Ariſt. 3. Polit. c. 2. lib. 4. de vita Philoſophorum. Princeps ille Philoſophorum Ariſtoteles dicebat, prudentiam non Regibus modo ac Principibus, ſed vnicuique noſtrum etiam neceſſariam eſſe: Diogenes porro Laërtius hoc eam inter cæteras dicebat eſſe virtutes, quod viſus inter quinque ſenſus. Comicus vero eandem cum ſapientia coniungit. *Illud eſt ſapere, non quod ante pedes eſt modo videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt proſpicere.* Terent. Adel. Act. 3. Sc. 3. Et ſane ita ſeſe res habet; ipſa eſt enim virtus quædam regia, animæ oculus, ac vera denique ſapientia; ipſa velut è ſpecula atque loco eminentiori quidquid futurum eſt; ipſa etiam ſupplicia infernalia, proſpicit & ſpeculatur. Atque hoc demum eſt prudentem, prouidum ac ſapientem eſſe, hæc ſcilicet aſſidue meditari & ante oculos habere.

Inter cæteras quas in dilecta laudat Spiritus ſanctus dotes perfectionesque, non poſtremum ſibi vindicat locum ipſa prudentia rerumque futurarum præcognitio, *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Cant. 2. Erat Damaſcus Syriæ Metropolis, ac ciuitas florentiſſima: quam cum Salomon magnopere videre deſideraret, atque è Palæſtina conſpicere quidquid in eadem ageretur, altiſſimam quandam turrim in monte Libano exſtruxit, è qua velut è ſpecula conſpicaretur quidquid in Syria ageretur. Atque huic Spiritus ſanctus comparet animam dilectæ, quæ cogitatione in res futuras fertur, eaſque eminus diu antequam adueniant proſpicit: porro naſus hieroglyphicum eſt prudentiæ, nam quemadmodum naribus odores etiam longe poſitos percipimus, ita prudens quaſi porro videns, prudentia rerum futurarum, ac præſertim inferni infernaliumque ſuppliciorum, odorem nidoremque præſentit. Næ igitur ille ſapiens dici & haberi debet, qui hæc ob oculos habet; & è contra ſtolidus ac fatuus; qui nunquam eorum meminit.

Atque hoc eſt, quod ſanctus ille Heraclitus, Jeremiam intelligo, Hieroſolymitarum excidium præſagiens, tot lacrymis, tantaque animi amaritudine deplorauit, quod nimirum ipſa ciuitas præ nimia cæcitate impendentem calamitatem non agnoſceret, ſed in viis prauis antiquiſque flagitiis, quaſi nunquam deſtruenda: ſed in ſempiternum duratura, perſeueraret: *Sordes*, inquit, *eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui*, nec ſe euertendam exſpoliandamque vnquam cogitauit. Thren. c. 1. Verum non tam de calamitate Jeruſalem, quam animarum Chriſtianarum deploraſſe crediderim, ô Vates; quis enim non plorat & ingemiſcat, cum earundem cæcitatem ſupinamque negligentiam conſiderat? vt nimirum vſque ad verticem peccatorum cæno ac

Digitized by Google

ſordibus immenſæ, & in limine Orci conſtitutæ, inſtantem tamen calamitatem ac vicinum infortunium non pertimeſcant, aut præ oculis habeant. Ah infelices animæ, graui ſopore ac veterno potius oppreſſæ, quæ ſecuræ ac ſine vlla ſollicitudine peccatis veſtris indormiſcitis, nec vnquam inferni, qui in proximo eſt, recordamini, quamuis iniquitates ad verticem vſque perueneriut, nihilque in vobis ad imos vſque talos & affectuum pedes reperire ſit, quod non iniquitate ſcateat ac redundet.

Per pedes autem hic affectus intelligo, ac merito quidem; nam quemadmodum pedum adminiculo corpus hocce noſtrum graditur & mouetur, ita quoque animæ ab effectibus impelluntur, ac diriguntur. Accedit huc; quod ad hunc modum frequenter in Sacris litteris, verbum *pes* intelligatur: *Non veniat mihi pes ſuperbia*; quod Auguſt. hunc in modum interpretatur; Exulet a deſideriis meis ſuperbia, nec elati ſint oculi mei, neque ambulent in magnis & in mirabilibus ſuper me. Quamuis alij ſenſui litterali anxie nimis inhærentes dicant, hunc ex illis verbis ſenſum effici, Impij inflati & ſuperbi turgidi, me pedibus ſuis non proterant, nec me contemnendo ceruicem calcibus premant. Alio item in loco item Prophera affectuum ſuorum conſtantiam firmitatemque innuere volens, ait, *Statuit ſupra petram pedes meos*; per petram autem intelligere oportet Chriſtum, cui omnes ſuas cogitationes infixas & innixas dicit. Ita quoque intelligendus eſt verſiculus ille in Zachariæ Cantico: *Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Et ſententia illa Chriſti, qua Apoſtolos allocutus eſt, *Excutite puluerem de pedibus veſtris* Huc etiam trahere licet figuram illam, quam in Leuitico legimus, vbi victimæ inteſtina ac pedes diligentiſſime ablui iubet Deus; per pedes autem hic motus, inceſſus animæque effectus intelligo, per inteſtina vero & extra intrinſecas animæ cogitationes, intimaque & recondita conſcientiæ arcana. Sed tandem aliquando, vnde digreſſi ſumus redeundum eſt, ac cœpta materia proſequenda.

Pſal.35. *Pſal.39.* *Luc.1.* *Matth.19.*

Dicendum eſt igitur, nihil peccatori toties aut tam ſerio cogitandum ac meditandum eſſe, quam tormenta & cruciatus infernales, eumque ſemper, ſi modo ſapiat, eorundem horrorem præ oculis habere debere, vt ab iiſdem immunis & ſecurus eſſe queat, hacque ratione ſibi proſpiciat, ne vnquam eoſdem experiatur. Quod ipſe olim Deus ſatis inſinuauit. Cum enim Prophetam, qui Iſraëlitis verbum ſalutis annuntiaret, deſtinare vellet, eique iam virgam vigilantem demonſtraſſet, inferni mox cruciatus ac ſupplicia, idque in figura ollæ ſuccenſæ oſtendit; vt viſione quam viderat enarrata, tanto illos melius ad meliorem frugem reduceret, atque ſupplicij horrore cruciatuumq; acerbitate perſpecta, iugis in animis eorum horum viueret memoria, ſibique impoſterum cauerent: *Et factum eſt verbum Domini ſecundo ad me dicens: Quid tu vides? Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.* Hiſce in verbis verum inferni typum agnoſco, atq; ollam hanc ſuccenſam, igneam Inferni ollam ac fumantem interpretor; ollam, in qua mors conſpicitur, ollam de qua dixere pueri Eliſæi, *Mors in olla, vir Dei*; ollam denique mortiferam ac mortem acceſſentem, quam iugiter nobis in animo & ob oculos verſari, cuiuſque memoriam ſemper in nobis vigere vult Deus. Cur autem duas hic viſiones Prophetæ reuelauit, primam quidem de virga excubante, & alteram de olla ſuccenſa? paucis aperiam. Virga deſignat correctionem quam in hoc mundo exercet; olla vero caſtigationem, quæ in inferno ſubeunda eſt iis, qui hoc in mundo nullis corrigi ſuppliciis aut flagellis ſubdi voluerunt: quod egregio quodam exemplo confirmabo.

Ierem.1. *4.Reg.4.*

Tartarorum Rex Tamberlanes, totius Orientis terror, qui duodecies centena hominum millia, vt plurimum ſub ſignis habebat, vrbem quandam obſeſſurus, candida primo die tentoria, ſecunda rubra, tertio autem furua ac nigricantia explicabat. Prima denotabant obſeſſos, ſi hoſtium ſe poteſtati traderent, gratiam & benignitatem reperturos; ſecunda, ſi in ſequentem diem id differrent, ferro & armis omnia deuaſtan-

Cuſpinianus & Crinitus.

Digitized by Google

deuaſtanda,ſtragemque inſignem edendam: at tertia ſignificabant, omnia igne eſſe delenda, inque cineres & fauillas redigenda, nec vllam miſericordiæ gratiæque ſpem ſupereſſe. Ita quoque ſummus ille exercituum Deus, & totius vniüerſi Imperator, nos in huius mundi ciuitate obſidens, & iuſtitiæ ſuæ arietibus ſæpe quatiens, nobiſcum agere ſolet: atque hoc ipſum Jeremiæ Prophetæ olim demonſtrauit, cum primo illi virgam vigilantem, ac deinde ollam æſtuantem ac ſuccenſam oſtenderet. Virga denotat, nos quamdiu in hac vita ſumus, ſi oculos in virgam hanc ſanctæ correctionis conijcimus, noſque totos ei cum honeſta vitæ compoſitione, fideli obſequio, ac ſincera vitæ emendatione offeramus; gratiam inuenturos peccatorumque veniam impetraturos. Olla vero ſignum eſt, ſi vitæ emendationem in aliud tempus, atque in vltimum vitæ articulum reiicimus, nullum gratiæ indulgentiæque locum eſſe: ſed mortem, condemnationem, æternaque ſupplicia exſpectanda. Hoc igitur ne fiat, Chriſtiani, primo nos die rradamus, principem noſtrum naturalem agnoſcamus, arma deponamus, fidelitatem ei iuremus, iuſtitiam illius ac ſeueritatem præ oculis habeamus, infernum eiuſque ſupplicia metuamus.

In quo ſanctiſſimos viros imitabimur, qui eundem ſemper ante oculos habuere, ac nūquam eiuſdem obliti ſunt: arbitrabantur namque eiuſdem memoriam inprimis ad ſalutem neceſſariam eſſe, & è contra obliuionem magnum animæ detrimentum afferre. Vnde ſæpius Pſalmographus inclamabat: *Pſal.114.* *Pericula inferni inuenerunt me, tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui: O Domine libera animam meam. miſericors & iuſtus Dominus.* *Pſal.76.* Item alibi: *Annos æternos*, qui in inferno futuri ſunt, & damnatis omne tormentorum genus cauſantur, *in mente habui.*

Hoc ipſum deteſtatur Job, & ſane video inter cæteras eum cogitationes infernalium ſuppliciorum terrorem ſemper ante oculos *Iob.10.* habuiſſe, *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.* Id eſt, ſi me Domine ad tartara detrudere decreueris, vt illic delictorum pœnas luam, ſi fixum id ſit; aliquod adhuc mihi vitæ tempus concede, vt dolores quos illic ſubire oporteat præcogitem, tormentaque velut prælibem: gratiam quoque concede, vt reliquo vitæ tempore eadem in mente habeam, antequam labyrinthum illum inextricabilem; quo nunquam egredi licebit, ingrediar. O factum laudabile! ô cogitationem vere ſanctam! Veſtrum eſt imitari, Auditores, & heroica illa facta æmulari, inferni tormenta ſuppliciaque interdum ob oculos haberi, loci horrorem, ſodalitij moleſtiam ac tædium, ſuppliciorum diuerſitatem ac grauitatem aſſidue meditari.

Propheta Daniel cum Nabuchodonoſoris Regis caſum calamitatemque ad quam deuenturus erat, ſecum perpenderet; qui nimirum inſtar beſtiæ per deſerta & agros, ſeptem annorum ſpatio, errare debebat; adeo inhorruit, vt integræ horæ ſpatio loqui præ admiratione & ſtupore non potuerit, rerumque grauitas & viciſſitudo linguam *Dan.4.* vinxerit. Quid? ſi ſeptem annorum calamitas, & quidem exigua, generoſum illum ſanctiſſimi viri animum ita perculerit, vt præ conſternatione, ne hiſcere quidem, vnius horæ ſpatio potuerit, quid, obſecro, facient ſupplicia illa tartarea, tormenta illa enormia, quæ non ſeptennio, nec ſeptem annorum millibus, ſed in omnem æternitatem ac ſæculorum ſæcula duratura ſunt.

Ipſe quoque Redemptor orbis Chriſtus, *Luc.22.* cum pridie quam pateretur, extremos illos dolores & cruciatus, qui in monte Caluariæ ſubeundi erant, in mentem reuocaret, ac quomodmodo præmanderet; in tantum turbatus & percuſſus fuit, vt horrendem in modum ſudare cœperit, ac ſudorem quidem ſanguineum, quod à nulla hominum memoria cuiquam certum eſt contigiſſe. Sola ecce cruciatuum temporalium, quippe non niſi tres horas duratura, imaginatio filium Dei in tantum perculit, vt ſanguineo ſudore totus maduerit, quomodo igitur æternorum

Digitized by Google

norum ſuppliciorum memoria filios hominum percellat neceſſe eſt? profectò ſi eadem ſemper in mente haberetis, toti haud dubie tremeretis, atque inſtar folij trepidaretis, nec mirum foret, ſi & ſanguinem exſudaretis.

In ſpeculo amatorum mundi. Dionyſius Carthuſianus ſanctitate non minus quam eruditione notiſſimus, exemplum huic propoſito peridoneum refert; Quendam ſcilicet ad vitam rediiſſe, qui inferni ſe ſupplicia vidiſſe aſſerebat, quem ita mox immutatum ſcribit, vt relictis vrbibus deſertum incoleret, in quo magnis ſe auſteritatibus emacerabat, corpus inedia affligebat, nonnunquam etiam veſtibus coopertus brumali tempore in profluentem ſe coniiciebat, adeo vt aqua veſtibus adhæreſcens congelaſceret, ac totus ſtatuæ inſtar rigeſceret: cumque hunc viuendi modum, quoad viueret obſeruaret, & nonnunquam ab aliis ob nimium rigorem caſtigaretus, dicebat, ſi videretis quæ ipſe aliquando vidi, idipſum, imo & maiora præſtaretis.

In Damaſcen. in hiſtoria Barlaam c. 30. Joſaphat Indorum Regis filius, quem Barlaam ad Chriſti fidem ab idolorum cultu conuertit, cum diuino permiſſu infernalia ſupplicia conſpicatus eſſet, adeo commotus & perterritus fuit, repente in alium virum mutatus mundo valedixerit, regnum & ſceptrum reliquerit, diadema peſſumdederit, ſolitudinem & eremum adierit, antraque deſerta loco aulæ & palatij incoluerit. An non igitur neceſſe eſt, Tartari cruciatus aſſidue animo voluere, cum eorum recordatione impij à via iniquitatis deflectant, peccatores reſipiſcant, reges denique idololatræ eremum petant? Hos igitur, Auditores, animo veſtro inſculpite, hos pectoris laminæ inſcribite, & ſententiæ illius Euangelicæ memineritis: *Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* (*Matth. 12.*) & ad inferos detrudatur. Hæc cogitate, interea ipſe ad alterum me concionis membrum accingam.

III. Adhæc ipſa inferni ſuppliciorum cogitatio non modo neceſſaria eſt, verum etiam ſingularem nobis vtilitatem adferre ſolet; ipſa namque animas ſuſpenſas tenet, à peccando reuocat, aduerſa æquanimiter tolerare, atque omnem vanitatem & inanes delicias cogit contemnere, ad pœnitentiam inuitat, diuinæ iuſtitiæ metum hominibus iniicit, eosq; ne in via iniquitatis vlterius procedant impedit. Vnde Prouerbialis ille verſiculus,

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Pſalmographus autem cum rationem redderet, cur tot in mundo reperire ſit detractores, ſicarios, & mendaces, aliam reperire non potuit, quam quod timor diuinus ab omnibus paſſim conculcaretur, & nemo diuinæ vltionis gladium pertimeſceret: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio & felicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* (*Pſal. 13.*) Quænam autem tantorum ſcelerum ratio, ô rex! *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Atque ideo Deus infernum feciſſe putandus eſt, vt eiuſdem aſſidua meditatio nos à peccando reuocet, vitiorumque curſum interrumpat.

Rex aliquis regni ſui commodis & vtilitatibus inuigilans, vt idipſum florentiſſimum reddat, ſubditi pace perfruantur, prædones & latrones eodem pellat; poſtquam iam variis Reſpublicas legibus ſtabiliuit, carceres extruxit: plurimas in ciuitatibus & per agros cruces, rotas, eculeos erigit, vt hac ratione ſceleratis & perduellibus metum incutiat, improborum impetus ſiſtat, eoſque à latrociniis & cædibus deterreat. Regem hunc imitatur Deus ſapiens ille totius orbis Monarcha, qui diſponit omnia ſuauiter: nam vt peccatores, qui in magno mundi huius regno ſunt, compeſcat, virtuteſque in eodem faciat efflorefcere, variis iiſq; pulcherrimis conditis legibus, infernali quinetiam carcere conſtituto; per omnes Gentilitatis, Judaiſmi, & Chriſtianiſmi ciuitates, perque omnes Sacrarum litterarum vias, cruces, patibula, rotas diuerſaque ſuppliciorum genera conſtituit, quo iis viſis peccatores ab iniquitate deſiſterēt, vitam in melius commutarent, atque impij eorum conatus retunderentur.

Theba-

Thebani cum Lacedæmoniorum legibus inuiderent, eorumque rempubl. cernerent florentiſſimam & legum obſeruantiſſimam: Philoſophum quendam Plitonium nomine Lacedæmona deſtinarunt, qui leges & inſtituta eorum, quæ magni apud omnes fiebant, attentius conſideraret, & quæ in iis excellere viderentur, diligenter obſeruaret, quo eadem patriæ deinde communicaret. Cum igitur per multos dies Lacedæmone hæſiſſet, ſingulaque ſerio contemplatus eſſet, Thebas tandem reuerſus eſt.

Hic omnes ad mirabilia quædam audienda ſe parant, longaque eum ſerie ſingula deducturum putant: at ille theatrum extrui iuſſit, ac variis id crucibus, rotis: flagellis loris, ſecuribus laqueis, mucronibus, aliiſque ſuppliciis inſtruxit: atque hoc facto ſubito ſe proripuit. Thebani facti huius nouitatem demirati, legationis eum ſuæ rationem reddere coegerunt. Quare hac ad eos oratione vſus eſt: Lacedæmona me, viri ampliſſimi ac ciues clariſſimi, miſiſtis, vt leges & quidquid illa reſpubl. laudabile habet, tranſcriberem, & ad vos referrem. Ecce ad oculum vobis monſtraui, quid Lacedæmonios præ cæteris Græcis commendet atque eminere faciat.

Quid enim plurimas profuerit habere leges, ſi deſint in legum tranſgreſſores conſtituta ſupplicia? Ipſa ſcilicet in iudicando ſeueritas ſuppliciaque ac delictorum rigida caſtigatio, inque flagitioſos accurata animaduerſio rempublicam hanc celebrem reddunt, atque ad ſummam gloriam euehunt. Quibus omnibus ille efficere volebat, ipſam ſuppliciorum memoriam cogitationemque, vt dicere cœperamus, frenum quodammodo eſſe, quo ſcelerati à peccando retrahantur.

Ammian. lib. 23. Cambyſes Perſarum rex Siſamnem iudicem, qui auro expugnari ſe paſſus erat, ſanctiſſimaque iuſtitiæ iura violauerat, excoriari iuſſit, eiuſque exuuiis ſedem, cui iudicans & iuſtitiam adminiſtrans ſæpius inſederat, circumueſtiri: vt nimirum qui in regni negotiis diiudicandis ſuccederent, hoc viſo ſpectaculo, æquitatem colerent, iuſtitiam non euerterent, nec præter fas & nefas cauſas, auro corrupti diiudicarent. Idem propemodum de Artaxerxe, itidem rege Perſarum, refert Diodorus: qui plurimis regni ſui magiſtratibus, facile ſe corrumpi ſinentibus, pellem detrahi iuſſit, eamque per tribunalia appendi, vt qui ad eandem dignitatem promouerentur, rigido hoc ſupplicio perterriti, ab iiſdem flagitiis abſtinerent, & ſuum vnicuique ius adminiſtrarent. *Diod. Siculus lib. 15.* Et ſane quamuis omnia ex hæc Gentilium hiſtoriis, compilata ſint, certiſſimum tamen eſt, Deum ſimilia, imo & maiora crudelitatis exempla edidiſſe: qui nimirum ab ipſo mundi exordio varios enormium criminum reos acerrime caſtigauit, dignamque ac notabilem de eorum flagitiis vindictam ſumpſit. Voluit adhæc, vt eorum exuuiæ & pellis, hoc eſt, caſtigationis memoria & acta, in omnibus ſcripturæ locis & angulis legerentur, quo poſteri grauibus hiſce ſuppliciis animaduerſionibusque perlectis, aliorum damno & infortunio fierent cautiores. Videte obſecro quam acris illa animaduerſio fuerit, quam tempore diluuii exercuit, quando omnes omnino mortales, vndis abſorpti miſerrime periere: *Gen. 7.* videte deinde flagellum Sodomitarum ac Gomorrhæorum: videte & attendite, quam grauiter in Chore, Dathan, & Abiron, eorumque ſequaces animaduerſum ſit: *Gen. 19.* denique diſpicite vobiſcum, ad quam horrenda lurco ille Euangelicus tormenta ſit condemnatus. *Num. 16.* *Luc. 16.* O tormenta & ſupplicia, quæ omnes perterrefaciant! Atque hæc vt cautiores hac ratione reddantur poſteri, atque alieno malo diſcant ſapere: nam ille vere

Felix, quam faciunt aliena pericula cautum.

Lib. de const. Eruditorum omnium facile Princeps, ac Phœnix Lipſius, & cum eo C. Plinius, referunt, Afros, cum magnam paſſim à leonibus ſtragem tam hominum quam animalium edi cernerent: quo hanc rabiem compeſcerent ſuorumque vitæ conſulerent, plurimos in ſummis montibus, ac viis publicis leones in crucem egiſſe.

Et ecce, quod vere mirandum eſt, tantum ſupplicium hoc ferocientibus illis leonibus,

Digitized by Google

nibus formidinem incuſſit, vt nullus impoſterum ſiluis egredi, aut in viam publicam ſe dare auſus fuerit. Et ne putetis forſitan aniles me fabulas narrare; ipſe Scipio Africanus, & cum eo Polybius cum in Libya bellum gererent, viſis tot leonibus in crucem actis, non parum admirati fuere, donec incolæ regionis rationem huiuſce rei edocuiſſent. Profecto ſi crucis animaliumque in eam actorum conſpectus, feroces illas belluas, ſanguini & prædæ aſſuetas, rapto viuentes, humanique cruoris ſitientiſſimas, percellere & eneruare potuit: quanto magis ipſa tartara ſuppliciaque quæ in iis impios manent, cæteros mortales percellant neceſſe eſt, eorumque crudelitatem, id eſt, peccandi conſuetudinem, velut obiecto repagulo, impediant? Plin. lib. 8. cap. 16.

Nullus enim facile oratione complectatur, aut verbis exprimat; quantum ipſa ſuppliciorum, ac præſertim infernalium, aſſidua meditatio, virium habeat ad inueteratam peccandi conſuetudinem deferendam. Quid eſt enim quod maleficum magis à maleficiis auocet & à peccando deterreat, quam ſi ſocium ob ſimile delictum viderit condemnatum & in crucem actum? Vnde cum filii Iſrael cum filiabus Moab fornicarentur, & ab iiſdem ad idololatriam falſorumque deorum cultum imitarentur; Deus ad iracundiam prouocatus Moyſem mox vindictam de tam horrendo flagitio ſumere voluit, dicens, *Tolle cunctos principes populi & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.* Ceteri autem, viſa graui hac animaduerſione, adeo perterriti fuere, vt in idem peccatum nullus legatur relapſus. Quid? itane principum quorundam ſupplicium cæteram populi multitudinem potuit concutere, vt ab idolorum cultu recederet? magis profecto nos percellere debet tot Angelorum, qui inter ceteras creaturas principem locum obtinêt, igni ſempiterno ob contumaciam addictorum condemnatio: magis ipſa inferni meditatio, in quo ſexcentæ cruces, patibula, rotæ, eculei eſſe noſcuntur, quibus tot principes idololatria infames, tot Cæſares, Hannibales; Pompeii, Alexandri, Cyri, tot hæreſiarchæ, Arii, Macedonii, Neſtorii, Lutheri, Caluini, aliique peccatores dignitate quondam celeberrimi, affixi ſunt. Num. 25.

An non hæc omnia impediant, quo minus Deum offendamus, an non efficiant, ne quis vnquam, vel minimum delictum admittat; firmiterque ſecum ſtatuat; omnem penitus idolorum cultum, id eſt, peccatorum conſuetudinem, repudiare, ac fidele Deo obſequium & perfectam obedientiam exhibere? Nabuchodonoſor rex cum diuinos honores ambiret, atque inſtar numinis à ſubditis adorari vellet, ingentem coloſſum ex auro conflari iuſſit, eumque adorandum propoſuit: ex aduerſo vero fornacem ſuccendi fecit, cuius flamma 15 cubitis ſuper egrediebatur, in quam quicumque adorare detrectarent, conicerentur. Publica namque præconis voce edixerat: *Quacumque hora audieritis ſonitum buccinæ, proſternite vos & adorate ſtatuam quam feci: quod ſi non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis eſt Deus qui eripiet vos de manu mea?* Et ecce mox vt rauco ſtrepuerunt cornua cantu, omnes flammarum globos & incendia conſpicati, ideoque perterriti; proni in terram magna cum veneratione corruentes, ſtatuam adorauerunt. Si vniuerſam populi multitudinem vnius fornacis incendium ad adorandam ſtatuam potuit compellere; quid obſecro faciet infernalis illius camini aſſidua meditatio, camini inquam, in quo perpetuus ignis, qui omnes diuini præcepti tranſgreſſores aduret, collucebit? an non ad primam eiuſdem mentionem, ad minimam quoque recordationem, ad primum buccinæ ſignum, pronos in terram corruere nos oportet, & adorare, non dico ſtatuam, aut idola, ſed Deum illum viuentem in ſæcula ſæculorum? Arrigite aures & fauete linguis, audire videor tubæ ſignum, atque ideo: *Venite, adoremus & procidamus ante Deum*, eſt enim æquiſſimum, *Vt omnis terra adoret te Domine.* Sed audite iam nouum conceptum. Dan. 3. Pſal. 94. Pſal. 65.

Dum Chore, Dathan & Abiron, cum ducentis quinquaginta aliis, dehiſcente ſub pedibus terra, vna cum tentoriis & tabernaculis, abſorberentur; omnes qui per circui- Num. 16.

circuitum ſtabant, triſti hoc ſpectaculo conſternati retrocedebant, metuentes ne eadem ſorte voragine viui cum ceteris ad inferos deſcenderent.

Eheu, Auditores, ipſa nos fides docet & ſacræ litteræ, plurimos iam peccatores, diuinam vltionem expertos, ad inferos deſcendiſſe, nempe Angelos illos cõtumaces, Cain, Iudam, Epulonem, alioſq; innumeros? quorum omnium, ſi modo aures intendere velitis, clamores, eiulatus, lamenta & fremitus facile audietis. Fugiamus igitur, in tuto nos collocemus, ac ne eadem nos calamitas inuoluat, caueamus.

Num. 13. Ecce & aliud non minus horrendum eodem in libro legimus. Exploratores quos Moyſes in terram Chanaan miſerat, cum in caſtra rediiſſent, terræque ſitum & incolas deſcripſiſſent, quæ nimirum habitatores deuoraret, gigantes & monſtroſos homines educaret, quibus ceteri hominum collati lo-
Num. 14. cuſtæ viderentur; cum inquam hæc omnia referrent, *vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurati ſunt contra Moyſen & Aaron cuncti filii Iſrael, dicentes, Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, non in vaſta hac ſolitudine, vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores, & liberi noſtri ducantur captiui.* O cœlum, ô terra! ſi triſtis ille nuntius de viſis gigantibus, ac coloſſææ ſtatuæ viris, & quidem in regione peregrina, ſexcenta hominum millia percellere, & gemitus ac lachrymas iiſdem elicere potuit, adeoque concutere, vt in Ægyptum, in qua tamen grauiſſimo ſeruitutis iugo preſſi fuerant, redire maluerint, quam ſub gigantum illorum conſpectum venire.

An non multo magis noſtras animas percellat triſtis ille de regno Ditis nuntius, in quo tam horrenda, tam tetra monſtra ſtabulant, ipſi inquam dæmones, qui omnia immanitate ac fœditate monſtra ſuperant, regno adhæc, quo nullus in orbe locus terrior, triſtior & peſtilentior, regno in quo omnia ſæuitiæ & crudelitatis genera conſpiciuntur, an non hoc viſo, vel in mente habito lacrymemus, mundo valedicamus, firmiterque nobiſcum ſtatuamus, in deſerto pœnitentiæ potius emori, quam miſeram & execrandam hanc regionem adire? Ac merito quidem ita nobiſcum ſtatuamus.

Nullus enim vnquam exſtitit, qui aſſidue hoc in mente habens, non ingentem inde vtilitatem hauſerit, ſecumque iudicarit, nihil eadem cogitatione ad peccatorem permouendum, adque meliorem frugem reuocandum, poſſe inueniri vtilius. Hinc religioſum quemdam legimus, quotieſcumque ad flagitium aliquod committendum à diabolo exſtimulabatur, digitum flammæ iniicere, itaque periculum facere ſolitum, num aliquem cruciatum eumque exiguum & ad tria vel quatuor momenta duraturum, ſuſtinere poſſet: quem cum ferre nequiret, ita ſecum ratiocinatum: Quid miſer & infœlix, hoccine tu peccatum committere audeas, propter quod æternum ſubeas incendium neceſſe eſt? Vix ad modicum tempus digitum flamma amburi pati potes, quæ tamen cum Tartareo incendio comparata glacies, aut picta quædam flamma videatur: quomodo igitur totum corpus circumquaque acribus inferni ignibus, qui æternum duraturi ſunt, ac nullo vmquam æuo exſtinguendi, cruciari patiaris? Tantum porro vnica hæc cogitatio aduerſus omnes tentationes libidiniſque æſtum virium in eo habebat, vt omne earum incendium tartarei incendii meditatione reſtingueret. Profecto ſi idipſum ſequeremur, facile omnes dæmonum ſuggeſtiones eluderemus, nec tam promiſcue in peccatum prolaberemur.

Quod vt faciamus auctor nobis eſt Iſaias, vt nimirum, quotieſcumque ad pec- *Iſai.* 33.
candum nos Satanas inuitat, infernale incendium ob oculos reuocemus, eiuſque verbis dicamus, *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? quis habitabit cum ardoribus ſempiternis.* Perinde ac ſi diceret: Quando vobis, ô inſenſati peccatores, diabolus peccandi occaſiones ſuggerit, prius inferni ſupplicia in mentem reuocate, quam in peccatum conſentiatis.

Quis enim ſponte in præuiſum ſe incendium coniiciat? Ipſa ſcilicet incendii ſempi-

terni memoria, peccatorum incendia exſtinguit & ſopit, ſuppliciorumque apud inferos tolerandorum recordatio omnes peccandi occaſiones reſcindit.

Simile.

Nam quemadmodum prudens, & ſedulus agricola, cum agrum ſaxis, vrticis, vepribus, ſentibus, lolio, aliiſq; zizaniis oppletum videt, ita vt ſterilis factus fructum proferre nequeat, ignem ſubicit, qui omnia agri vitia exurat, ac tum demum eundem conſerit, qui læta mox ſegete dominum beat. Vnde Maro in Georgicis.

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros.

Ita, vt ſimilitudinem hanc propoſito adaptem, de vnoquoque noſtrum dicendum eſt: ille namque prudens appellandus eſt, qui vbi animæ agrum ſpinis flagitiorum atque abominationum vepribus aliiſq; zizaniis videt oppletum, adeo vt nullum bonorum operum meritorumque fructum proferat; eidem flammam infernalem inicit, aſſiduaque tartari cogitatione eandem excitat. Quod qui fecerit, næ ille omnes mox peccatorum radices ablatas videbit, verbique diuini ſementem in animam coniectam, varios ac multiplices virtutum & ſalutis fructus proferre: ac merito de huiuſmodi anima dici poterit, *Ignis ante ipſam præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*: ignem namque infernalem cogitationibus ſuis qui præmittit, omnes confeſtim inimicos, qui muris & propugnaculis illius inſidias ſtruunt, peccandi nimirum occaſiones, ipſaque peccata, incendio ſuffocat.

Pſal. 96.

Iud. 15. Allegoria.

Huc facere videtur ſtratagema illud Samſonis: qui vulpes caudis ſibi mutuo alligatas, addito igne, in hoſtilem ſegetem immiſit, quæ eandem huc illucq; curſitando deuaſtarunt. Hoc imitemur Auditores: vt enim dæmones hoſtes noſtros iuratiſſimos expugnemus, eorumq; ſegetem. id eſt peccata, penitus deſtruamus, cogitationum noſtrarum vulpes adhibendæ ſunt, earumq; caudis ignis infernalis alligandus, quæ per vitiorum noſtrorum ſegetem curſitantes, omnia vaſtabunt, ac ſtragem magno redimendam edent.

Quamobrem agito, Chriſtiane cœtus, *Recordare nouiſſima tua*, infernum illum deteſtabilem, receptaculum illud damnatorum, dæmonum aulam tibi præſcribe, propone menti ignem noctes atq; dies ardentem damnatorum illic excruciatorum rabiem, tormenta, ſuppliciaq; quæ illic inueniuntur, *& in æternum non peccabis* in eum qui carcerem hunc condidit, ac rebellibus & contumacibus hæc ſupplicia præparauit. *Et ſane ſi amor Dei*, ait Bernardus, *te tenere non poteſt, ſaltem teneat & terreat timor iudicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, ſulphur fœtens, torrens flamma & omnia mala tartarea.* Infernum igitur perhorreſce, accuratius ac diligentius eum perpende, *deſcende*, inquit idem qui ſupra, *viuens in infernū, percurre mentalibus oculis tormentorum officinas; fuge ſcelera & vitia, pro quibus ſcelerati homines & vitioſi perierunt.* Ignem igitur illum ſemper accenſum memoriæ inſcribe, ac penitus inſculpe.

Bernard. in floribus.

Sermone de San. regionibus.

Si enim in domibus contagioſis luculentus exſtrui focus conſueuit, quo aer noxius purgetur: multo maiori cum ratione anima peccati contagio, quo nullum deterius eſt ac peſtilentius infecta, altum ſibi ignem, infernalem ſc. proponat, qui omnem peſtilentem afflatum fuget ac diſpellat.

Vere igitur, ô animarum iudex, inferni recordatio ad animæ ſalutem neceſſaria eſt, atq; imprimis vtilis: tuum autem eſt efficere, vt eadem aſſidue in animis noſtris commoretur, cum nullum eadem aduerſus omnia delicta efficacius remedium haberi queat; & da, vt eadem in peccatis expugnandis vis minime in nobis requiratur. Et quoniam ô pater miſericordiarum, ſupplicii metus in pios à peccando deterrere ſolet, infernum vt perpetuo formidemus, gratiam concede, vtque ſuppliciorum illic ſuſtinendorum memoria meditatio; nos, qui vere natura impii ac nefarii ſumus, à peccando reuocet, ac prauā delinquendi conſuetudinē recidat: fac obſecro dulciſſime animarum ſponſe, vt ſponſæ tuæ chaos hoc confuſionis, locū illum incendii; carcerem illum obſcuriſſimum ſemper præ oculis habeant: cogitent inquam interdum, infer-

infernum barathrum ac voraginem eſſe, in quam, qui ſemel deuolutus fuerit, nunquam poterit eximi; locum etiam, in quo variæ moriendi ſunt occaſiones, mors tamen nulla, foſſam denique flamma & igne repletam, tenebris tamen denſiſſimis circumſeptam. Ad hæc cauernam draconibus & bufonibus plenam, abyſſum corruptionis & contagij, regnum cui dæmones & immania præſunt monſtra: hæc nempe cogitatio vnicum ad loci huius deteſtationem concipiendam, ad peccati odium, virtutum amorem, viamque quæ ad te, qui vera noſtra beatitudo es, ducit, ingrediendam, eſt remedium: ad quam nos dirigere ac conducere dignentur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

FERIA SECVNDA.

QVID SIT INFERNVS, ET VBInam terrarum ſitus.

Partitio.

1. *De diuerſis animarum receptaculis.*
2. *Quid & qualis ſit infernus.*
3. *Vbi ſit infernus.*

Memorate nouiſſima tua, *& inprimis infernum, ac cogita qualis ille ſit, & quonam in loco*, & in æternum non peccabis. *Eccl. 7.*

FIGVRA.

Eccleſ. 1. Miraculum illud antiquitatis, omniumque regum Juda ſapientiſſimus Salomon, vel potius Jeſus Syracides, in Eccleſiaſtico abyſſum quamdam profundam & altam depingit, cuius altitudinem nemo poterat dimetiri. Hanc cum mecum accuratius conſidero, inferni hic typum proponere poſteritati voluiſſe videri Sapiens queat. Ipſe enim abyſſus quædam eſt, ignem & flammam eructans, è qua numquam egredi licet, tantæque profunditatis & altitudinis, vt mundus eam dimetiri, aut eius proportionem noſſe nunquam potuerit. Ipſe nihilominus eandem vobis hodierna concione decreui deſcribere ac dimetiri, quaſi locum quo nullus in orbe terribilior aut horribilior. Te porro hic inuoco ſanctiſſime Spiritus omnium gratiarum abyſſe, ac ſupplex rogo, meam vt cymbam abyſſo huic innatantem dirigere ac propellere digneris, & te ô glorioſa ſtella maris, vt errantem in tenebris, luminis tui claritate illuſtres. Ideo ſalutationem tibi Angelicam depromo.

AVE MARIA.

Nullus veſtrûm eſt, auditores, qui ignoret diuerſa ac varia eſſe poſt hanc vitam loca, in quæ animæ corpore egreſſæ, vnaquæque iuxta ſtatum quo ex hac vita egreſſa fuerit, recipiantur, accedente præſertim Sacrarum litterarum auctoritate, ac totius Eccleſiæ vnanimi doctrina. Ita namque ſenſit Auguſtinus: *Habent*, inquit, *animæ cum de ſæculo exierunt, diuerſas receptiones ſuas.* *Tract. 49. in Ioan.* Primus ſpiritibus in alterum mundum proficiſcentibus deſtinatus locus, eſt ipſum gloriæ templum, diuinitatis palatium, cœlitum Paradiſus in cœlo empyreo, conſtitutus: cuius nobis introitum ac poſſeſſionem ſua Chriſtus paſſione ac morte comparauit, ita namque de ſe in Euangelio teſtatur, *Vado parare vobis locum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis*; *Ioan. 14.* item alio in loco, cum beatorum mercedē deſcriberet: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlo.* *Matth. 5.* Atque hæc eſt totius Eccleſiæ credendi ratio, vt è Concilio Florentino in Decreto vnionis manifeſte colligitur; illic enim totius Eccleſiæ nomine docetur, animas poſtquam debito ac legitimo modo hic purgatæ ſunt, ſtatim vt corpore egreſſæ fuerint, cœlo recipi, vbi diuinæ viſione maieſtatis recreantur. Idipſum & è Tridentina Synodo colligere eſt, quæ ait, Sanctos cum Deo in cœleſti regione regnare: hoc etiam docent omnes in genere Patres; Cyprianus imprimis Sermone de mortalitate, Baſilius homilia in XL Martyres; Auguſtinus in Pſalmum LXXXIII. Leo Papa ſermone de S. Laurentio martyre; Gregorius

Digitized by Google

gorius hom. XXXVII. in Euangelia Fulgentius Carthaginenſis, qui iam ab hinc mille annis in Eccleſia floruit, aliique innumeri, & auctoritatis irrefragabilis; qui docēt cœlum beatarum mentium locum eſſe ac receptaculum.

Alter locus priori penitus contrarius, ipſe eſt Tartarus, in imis terræ viſceribus conſtitutus, de quo ſæpenumero in Sacris libris eſt ſermo; vt in Numer. *Deſcenderunt viuentes in infernum, cooperti humo.* & in Pſalmis: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes.* & in Euangelio de diuite illo: *Mortuus eſt autem diues, & ſepultus eſt in inferno.* In quibus omnibus de inferno mentio: de inferno, inquā, in quo dæmones commorantur, furiæ habitant, damnatorum animæ captiuæ detinentur, & in quo denique ſcelerati ſempiternis cruciatibus affliguntur.

Num. 16.

Pſal. 45.

Luc. 16.

Tertius locus ipſe eſt limbus, in quo omnes Veteris Teſtamenti Patriarchæ ac iuſti exoptatum Meſſiæ aduentum præſtolabantur, qui eoſdem moriendo in veram libertatem aſſerere, ac cœli ianuas, quæ quinq; iam annorum millibus occluſæ fuerant, reſerare debebat. Cuius liberationis verum in Numeris exemplum ac typum legimus. Quicumque olim ob aliquod delictum apud Hebræos in exilium pulſi erant, in patriam prius reuerti non poterant, quam ſummus Pontifex exſpiraſſet: illo vero mortuo omnes in patriā à qua extorres erant, licite ac libere reuertebantur. Hic docemur, non prius homines, Paradiſo cœleſti, qui vera eorum patria eſt, propter peccatum originis expulſos, eodem redire potuiſſe, quam Jeſus Chriſtus, verus ille Pontifex, in cruce exſpiraſſet, cuius ſanguis ac paſſio nos in patriam reſtitueret, ab exilio liberaret, ac vera fœlicitate cumularet. Vnde Paulus figuræ huius terminis inhærendo, *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius ac perfectius tabernaculum non manu factum, id eſt, non huius creationis, neq; per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* De hoc autem loco mentio fit in Geneſi: *Deſcendam quærens filium meum Ioſeph, lugens in infernum*; & quamuis Nouatores hoc de ſepulchro dici tradant, vnanimis tamen ſanctorum Patrum conſenſus eſt, de limbo debere intelligi.

Num. 35.

Hebr. 9.

Gen. 37.

Non procul inde eſt infantium ſine baptiſmo, aut ſine circumciſione in Lege Moſaica mortuorum ſedes, quam quartam nuncupare poſſumus, qui quidem, iuxta Auguſtinum, aliqua rerum cognitione præditi erūt, ſed vt ita miſeriam ſortemque ſuam agnoſcant, cum ſe æterna beatitudine, cuius tamen capaces creati erant, in æternum priuādos intelligent: quæ quidem non ſenſus, ſed damni pœna à Theologis nominantur, quanquam in omnem æternitatem duratura ſit.

Quintus & vltimus locus eſt, quem communi nomine purgatorium dicimus: qui locus quidam eſt ſub terra conſtitutus, in quo animæ captiuæ detinentur, vt ibidem à delictorum ſedibus, quas è corpore emigrantes ſecum detulere, purgentur, atque vbi purgatæ fuerint, æternæ beatitudinis conſortes reddantur. Cuius rei figuram quamdam adferam. Abſalon quamuis contumaciæ ſuæ ac rebellionis veniam à patre impetraſſet, biennio tamen paterno conſpectu carere, atque aula priuatus viuere debuit. Ita quoque animæ, quamuis pleniſſimam in hac vita omniū delictorum veniam conſecutæ ſint, ob nonnullos tamen defectus & næuos, qui ipſis adhæreſcunt, ad aliquod tempus, cōſpectu Dei, qui ipſarum pater eſt, carere, & regno cœleſti excludi, inque purgatorij exilio verſari debent. 2. *Reg.* 14.

Egregie porro Doctorū ille Phœnix Thomas quinque has ſedes diſcriminat ac diſtinguit. Vt nimirum diuerſus eſt ſtatus, in quo animæ in hac vita deſcendunt, ita quoque diuerſa ſunt loca ac receptacula, in quæ poſt mortem ſecedunt. Nam quamdiu in corpore detinentur, mereri ſemper queunt: ſed corporis hiſce vinculis ſolutæ & perfectam libertatem aſſecutæ; operum ſuorum vel prauorum, vel bonorum mercedem conſequuntur. Adeo, vt mox à morte vel integram & abſolutam, vel interruptam compenſationem recipiant; ſi integram, duplex eadem quoque eſt, vel eſt gloria cœleſtis ac beati- *D. Thom.* 1. *p. q.* 69 *a.* 7.

Digitized by Google

beatitudo, quoad virtutes ac bona opera, vel inferni ſupplicia, quoad peccatum originale ipſe paruulorum limbus. Si vera illa interrupta erit, id fiet vel ob defectum perſonæ, & tunc adeundum erit purgatorium, vbi animæ detinentur, ne beatitudinis & compenſationis, ad quam aſpirant, ob delicta quædam non adeo diligenter expiata, tam cito participes reddantur: vel ob defectum naturæ, ac tum limbus, in quo veteres patres detinebantur, & ſummæ gloriæ fruitione propter humanæ naturæ delictum carebãt, quadrabit.

Cæterum quamuis hæc veriſſima ſint, nõ tamen adeo facile cuiuis perſuaderi queat, animas corporis expertes loco corporali poſſe contineri. Vnde Boëtius: *Communis ſapientum opinio eſt, incorporalia in loco non eſſe.* & amplius adhuc Auguſtinus: *Cito reſponderi poteſt, ad corporalia loca animam non ferri, niſi cum aliquo, &c.* Atqui animæ poſtquam corpore egreſſæ ſunt, corpore carent, qui igitur fieri poteſt eaſdem ſine corpore in loco corporali poſſe ſubſiſtere? Quamquam autem hoc ad intelligendum difficile ſit, credendum tamen eſt, atque indubitata fide tenendum. Licet enim Spiritus non ita locum occupent, vti alia corpora locum occupare dicimus: nec ratione quadam nobis nota aut perſpecta; ea tamen ratione occupant, quæ ſubſtãtiis incorporeis ac ſpiritualibus propria eſt: quæ etſi nobis incognita ſit atque obſcura, non ideo tamen dicẽdum, animas corpore egreſſas incertis vagare ſedibus, aut nullum certum habere receptaculum.

Boetius lib. de hebdom.
S. Aug. 12. ſuper Gen. ad litteram.

Nam ſi cœlum empyreum, quod verum & naturale corpus eſt, innumeris, mox vt conditum eſt, Angelis repletum fuit, vt venerabilis Beda ait, qui omnes tamen materiæ expertes ſunt & penitus incorporei; cur, obſecro, animabus, quæ eiuſdem naturæ & conditionis ſunt, locus aliquis quo contineantur non aſſignetur? Quamobrem cum D. Thoma dicendum eſt; quamuis ſubſtantiæ illæ angelicæ ac ſpirituales corporea mole & materia careant, ac nulla ratione à corporibus dependeant; res tamen corporeas ac graues à Deo per ſpirituales, vt docent etiam Auguſtin. & Greg. regi ac gubernari. Atque hinc ſympathia illa & affinitas oritur inter ea, quæ materia prædita ſunt, & quæ eadem carent, inter ſpiritus item & corpora, idque per modum congruitatis, vt nimirum rebus nobilioribus loca etiam nobiliora aſſignentur. Atque ita animabus corpore egreſſis, conuenientia naturæ meritis ac dignitati loca etiam corporalia, data ſunt, in quibus eo, quo ſpiritus locum occupare poteſt modo, continentur, & quo magis ad primam, quæ Deus eſt, ſubſtantiam, cui proinde ex congruo locus primus ac ſummus datus eſt, accedunt.

3 p q. 69. a 1.
Lib. 3. de Tri.
Gre. 4. Dial.

Atque ita animas beatorum in cœlo ſtatuimus, quod ad Deum quam proxime accedant, & quod locus ille omnium ſit primus ac digniſſimus, eorumque meritis conuenientiſſimus; damnatorum vero in inferno, qui omnium locorum infimus eſt ac poſtremus, & quo nullus vel terrior, vel abominabilior; quem ſi interdum mente volueremus: adeo eiuſdem horrore percelleremur, nunquam vt in animum vel minimum delictum admitteremus. Ita namque ſuadet Sapiens: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*; atque hæc eſt materia, quam hodie explicandam ſuſcepi. Quod vt cum aliquo emolumento ac fructu fiat, primo de miſeria atque horrore loci, ac deinde de eiuſdem ſitu agendum erit: quod vbi fecerim, aſſeuerare auſim, neminẽ veſtrum fore quin iudicaturus ſit, nullum in orbe locum cum eodem vel fœtore, vel horrore conferendum eſſe.

Eccleſ. 7.

Principio igitur infernus, vt proprie ac vere eundem deſcribamus, merum quoddam chaos confuſionis eſt; antrum corruptionis, locus maledictionis, carcer tormentis & cruciatibus plenus: eſt regnum tyrannicum, cui Satan abſoluta quadam & plenaria poteſtate præeſt, cuius diaboli membra ſunt, damnati ſerui ac ſubditi: eſt aula opaca, obſcura, tenebroſa, in qua flammarum globi loco lampadarum, dæmonum viſio loco pictarum tabularum, tenebræ inſtar aulæorum, in qua carceres loco atriorum, vincula & compedes loco menſarum, flammæ & ignes loco lecto-

Digitized by Google

rum, patibula loco deliciarum. Infernus denique locus eſt, qui cum nullo in orbe aut extra orbem comparari poteſt, quique omnia loca horrore & abominatione antecellat. Euidenter id apparet ex epithetis, quæ Sacra ei Scriptura paſſim attribuit, quæ varia ſunt, & eius horrorem ad viuum deſcribunt.

II. Eccleſiaſticus eundem abyſſum vocat, ſed abyſſum, cuius altitudinem nemo vnquam dimenſus ſit, *Profundum abyſſi quis vnquam dimenſus eſt?* Eſaias vero carcerem: *Congregabuntur in lecum, & claudentur ibi in carcerem.* Quam triſtis ille carcer, Auditores? Scatet ille maleficis & damnatis, & quidem ad æterna incendia damnatis: carcer, inquam, è quo nunquam egredi datur, & cuius dæmones cuſtodes ſunt & miniſtri. O carcerem vere horrendum & abominandum! Ipſe vero Dominus eum gehennæ nomine appellauit: *Timete eum, qui habet poteſtatem mittere in gehennam*; gehennam, inquam, quæ infinitis animas tormentis excruciat, damnatos in mediis ſuppliciis deſperare cogit, & ad rabiem concitat. Apoſtolorum autem princeps tartari ei nomen indidit: *Detractos in tartarum tradidit cruciandos*; Formatur autem Tartarus à Græco ταρτάζω, id eſt, turbas concito, idque propter turbas & motus aſſiduos quos in inferno eſſe conſtat, quibusque animæ exagitantur.

Eccleſ. 1. — Eſai. 24. — Luc. 12. — 2. Pet. 2.

Vere illic quidam tartarus, & quidem æternus, futurus eſt, in quo damnati clamare, vociferari & efferaſcere non deſinent, tortores vero ſæuiendo ferociendoq; inter ſe horribilem ſtrepitum ac ſonitum excitabunt, *Ibi clamabit*, inquit Bernardus, *dæmon ad dæmona: Percute, dilacera, interfice velociter, ſpolia detrahe, cito prædare, iniice prunas, & ebullientibus impone lebetibus.* O crudelitatem, rabiem, miſeriam! Ita porro eundem appellat Cyrillus Alexandrinus: *Hei, hei, qualis loci facies, vbi fletus & ſtridor dentium, quem tartarum appellant, quem ipſe quoque diabolus expauet.*

Orat. de exitu animæ.

Amos Propheta alia adhuc nomenclatura eundem denotat, ſcilicet domus dæmonis, *Bibebat vinum damnatorum in domo Dei ſui*, domo ſanguinolenti tyranni, domo cruoris ac ſuppliciorum plena, in qua furiæ commorantur, in qua mors habitat, in qua crudelitas, impatientia, deſperatio ſedem collocarunt; cuius ianitor eſt Cerberus, portæ æreæ, & vectes ferrei, vnde in Pſalmis: *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Quin & Euangelium portas ei tribuit, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* quas explicans Bernardus ait: *Portæ inferi ſunt cæca deſperatio, & dura obſtinatio.*

Amos 2. — Pſal. 106. — Matth. 16.

A Joanne autem in Apocalyſi vocatur *torcular Dei*; & non vſq; adeo abſurde. Nam ſicut in torculari variæ vuæ commiſcentur, ſimulque conteruntur, ita in tetro illo carcere, velut in quodam torculari infinita damnatarũ multitudo commiſcebitur, & à diabolis promiſcue comprimetur, conteretur, ac miſerum in modum cruciabitur, èque eorum corporibus ſanguinum riui & lachrymarum torrentes exſudabunt. Vnde Job prophetans loquitur: *Calcet ſuper eum, quaſi Rex interitus.*

Apoc. 19. — Iob. 18.

Euangeliſtæ vero fatalem hunc locum & regionem illam ſubterraneam graphice depingentes, locum tenebroſum, obſcurum perpetuisque ignibus collucentem appellarunt: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum; filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ac deinde: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igne comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi: mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos, qui fecerint iniquitatem, mittent in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et poſt aliquantulum: *Tunc dixit Rex miniſtris, Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et poſt duo capita: *Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.* Vbique mentio lachrymarum, tenebrarum & ſtridoris dentium.

Matth. 8. — Matth. 13. — Matth. 22. — Matth. 24 & 25.

Eiſdem tropis & loquendi modis vtitur & Lucas: *Et dicet vobis, Neſcio vos, vnde ſitis; diſcedite à me omnes operarij iniquitatis, vbi erit fletus*

Luc. 13.

Digitized by Google

fletus & ſtridor dentium: cum videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Quid amplius habet & Marcus, *Et ſi ſcandalizauerit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexſtinguibilem, vbi vermis non moritur, & ignis non exſtinguitur.* An non hæ triſtes loci huius delineationes ſunt? Omnes ecce de denſiſſimis tenebris, de igne inexſtinguibili, de vermibus perpetuo corrodentibus, de horrendo dentium ſtridore, deq; perpetuo fletu lachrymiſq; aſſiduis loquuntur, neq; enim digne horror eius & infelicitas miſeriaque verbis exprimi poteſt.

Marc. 9.

Iſaias autem nouo quodam & inuſitato eum nomine vocat, barbara ſcilicet voce Topheth. *Præparata eſt*, inquit, *ab heri Tophet, à rege præparata profunda & dilatata, nutrimentum eius ignis, & ligna multa. flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Doctiſſimus Ianſenius cum vocis huius originem inueſtigaret, ait olim iuxta montem Moria Ieroſolymis conterminum, vallem fuiſſe, in quam Siloe ſe aquæ exonerabant, Gehennon dictam, id eſt, vallem Hennon, de qua in Ioſue cap. 18. & 19. fit mentio. In hac olim Iudæi idololatria excæcati, idolum Moloch cui liberos ſuos immolabant erexere: quæ deinde Topheth fuit appellata, quaſi dicas tympanum: quia, interea dum tragicũ & lugubre hocce ſacrificium peragebatur, tympana aſſidue pulſabantur, ne fortaſſe parentes, audito liberorum eiulatu & lamentis, ad commiſerationem excitarentur. Vallem hanc Ioſias rex piiſſimus mortuorum oſſibus oppleuit, vt ita profanarentur, *Contaminauit quoque Tophet, quæ eſt in conualle filii Enon.* Ipſe quoque Dominus per Ieremiam comminatus eſt, hanc ſe vallem non amplius Topheth aut Gehennon, ſed vallem ſanguinis & mortis, appellaturum.

Iſai. 30.

In concord. Euang. c. 10.

4. Reg. 23.
Ierem. 9.

Inferno vallis Topheth comparatur.

Hoc igitur nomen Iſaias inferno tribuit, tum quod in valle hac infantes immolati erant, tum quod locus ille poſtea contaminatus ac profanatus eſt. *Ab heri præparata eſt Topheth*, id eſt, ab ipſo mundi exordio: (quia *mille anni apud Deum tanquam dies heſterna quæ præteriit*) ſed præparata à rege, qui regibus omnibus imperat, quique omnium regum Dominus eſt. *Profunda & dilatata*, quia infernus in centro terræ eſt, & ideo iuxta debitam proportionem latus, vt vtero ſuo & aluo omnes omnino damnatos comprehendat & complectatur: *nutrimentum ignis & ligna.* Scilicet damnati & ipſi dæmones: diuinæ vero iuſtitiæ flagellum eundem excitat, idque inſtar torrentis ſulphurei. An non omnia aptiſſime conueniunt? Ita profecto: infernus enim vera Topheth eſt, in qua non amplius pueri, ſed plurima damnatorum millia comburuntur: quorum ne fortaſſe clamores, eiulatus, lamentaque audiamus, continuo tympanorum ſtrepitu, id eſt, mundanorum gaudiorum tinnitu auribus noſtris dæmones obſtrepunt; vallis adhæc putida, profanata, cadaueribus oppleta: & mephytim exhalans.

Iſai. 30.
Pſal. 39.
Iſai. 30.
Iſai. 30.

Longe aliud ei nomen attribuit Propheta regius: appellat enim nomine putei, & quidem altiſſimi, *Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum*: & alibi: *Tu vero deduces eos in puteum interitus.* Ecquis ille puteus! quanta profunditas! adusque centrum terræ pertingit, adeo vt quod Samaritana in Euangelio ait, *Puteus altus eſt*, hic non abſurde repetere poſſimus.

Pſal 68.
Pſal. 54.

Hic quoque puteus eſt, de quo in Apocalypſi ſua Ioannes: Non autem ô ſponſa, puteus ille aquarum viuentium, ſed ciſterna plena flammis & ſulphure, fumumque obſcuriſſimum exhalans, *Et aſcendit fumus fornacis magnæ.* Exclamare igitur poſſum, ô locum vere horribilem!

Ioan 4.
Apoc. 9.
Cant. 4.

Aliter adhuc eundem deſcribit Propheta Iobus, *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Anne reperiri queat in orbe locus terrior ac magis abominandus? ſeptem ecce eiuſdem qualitates depromit, quarum vel minima potis eſt hominem ad deſperationem cogere. Imprimis quod nulla in eo lux ſit, quod in eodem ipſa dominetur mors,

Iob. 10.

quod

quod omne ab eo bonum ac deliciæ exulent, miſeriæque & mala affluant, quod Sol & Luna in eo non appareat, cœlum & terram non videatur, quod in eo nonniſi furiæ, Megæræ, ac diaboli, mera confuſio, & turbatio, horror ſempiternus, lachrymæ perennes, ac terrores aſſidui. O locum deteſtandum, ac vere infelicem!

Orat. de exitu animæ. Ipſi porro Patres etiam amplius eiuſdem miſeras abominationemque exaggerant. Et inprimis Cyrillus Alexandrinus, qui circa annum Domini 430. ſub Theodoſio Iuniore floruit: *Huc demerguntur animæ peccatorum, in omne æuum crematuræ, quemadmodum Iob tradidit, in terram noctis æternæ, vbi non lumen, non mortalibus vita, ſed iugis ægritudo, ſed mœror inceſſabilis, ſed planctus per noctes: væ illic æternum: illic, heu me! heu me! illic ingemiſcunt aſſidue, nec illic miſeretur: clamant è profundis, & nemo flectitur: lamentantur, & nullus eripit: exclamant & plangunt, & nemo miſeretur.* O verba etiam ſaxa emotura, & adamantina pectora emollitura!

Serm. de 5. regionibus. Quin & amplius Bernardus, exclamans: *O regio dura, & grauis, regio extimeſcenda! Regio fugienda, terra obliuionis, terra afflictionis, terra miſeriarum, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: locus letifer, in quo ignis ardens, vbi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, horribilis dæmonum facies: totus tremo atque horreo ad memoriam iſtius regionis, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea.* Ecce & alia non minus horrenda.

Lib. 4. de anima c. 13. Hugo de S. Victore, qui magna ante annos quingentos, & doctrina, & ſanctitate floruit, his eum verbis deſcripſit: *Infernus lacus eſt ſine menſura, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore inenarrabili: ibi miſeria, ibi tenebræ: ibi ordo nullus, horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali, omnis qui eſt in eo, odit ſe & omnes alios, ibi omnia genera tormentorum quorum minimum maius eſt omnibus his tormentis quæcunque in hoc ſæculo fieri poſſunt.* O locum teterrimum, inhabitabilem, intolerabilem, ac miſeriis refertum. Veniam petetis Auditores, ſermonem abrumpo: neq; enim abſque lachrymis, ſuſpiriis, mille ſingultibus loci huius horrorem pluribus repræſentare poſſum. Atque ideo materiam, dicendique genus mutabo, & demonſtrabo quo in loco & mundi climate ſit conſtitutus.

III. Interrogatus hac de re olim Gregorius, ac dicere coactus, quonam in mundi angulo infernorum ſedes eſſet, in hunc modum reſpondit, *De hac re temere definire nil audeo, nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum eſſe putauerunt, alii vero hunc ſub terra eſſe exiſtimant.* Cui vltimæ opinioni & ipſe viſus eſt aſſentiri, tum propter etymon nominis (infernus enim eſt qui inferius iacet) tum vero quia in Apocalypſi ſcriptum legimus: *Nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum.* Quibus duobus potiſſimum innixus fundamentis ait: *Cum ergo ad aperiendum librum nullus inueniatur dignus ſub terra, quid obſtat non video, quod infernus ſub terra eſſe credatur.* *Lib. 4. dial. de ſitu inferni.* *Apoc. 5.* *Greg. lib. 4. dial. cap. 4.*

Auguſtinus cum hunc labyrinthum intraſſet, & ſuum iam ſymbolum in medium protuliſſet, ita ſe tandem extricare conatus eſt: *In qua parte mundi infernus ſit, ſcire neminem arbitror, niſi cui Domini ſpiritus reuelauit.* Quamuis eodem loco duas rationes adferat, quibus demonſtret eum ſub terra eſſe, quarum prima hæc eſt: Animæ impiorum ex nimio erga corpus & carnem affectu peccarunt; neceſſe eſt igitur eandem illas ſortem ſubire quam res amata ſubiit: atqui corpus & caro poſt mortem ſub terra conduntur: ſequitur ergo neceſſario, animas eodem commigrare debere, ac proinde infernum ſub terra eſſe cōſtitutum. Altera hæc eſt: Quemadmodum omnium locorum pulcherrimus & ſimul altiſſimus, Beatorum gaudio & exultationi accommodatiſſimus eſt: ita quoque infimus & abiectiſſimus, infernus ſcilicet, ad miſeriam, calamitatem, deſperationemque damnatorum aptiſſimus exiſtit. Rationes hæ in ſpeciem videntur veriſſimæ ac variis in rerum natura experimentis poſſe confirmari. *Auguſt. lib. 12. ſuper Geneſ.*

Videmus enim in variis orbis partibus, in Aſia, Africa, & Europa, ac præſertim in Sicilia,

Digitized by Google

cilia, exæſtuantes Ætnas, Veſuuios, Heclas, alioſque montes flammarum globos perpetuo eructantes, éque terræ viſceribus fumum fauillaſque euomentes. Vnde manifeſtum eſt, infernum ſub terra conſtitutum eſſe, flammamque per illas fornaces, non ſecus ac per quædam reſpiracula fumique emiſſaria euomere. Ita ſcilicet ratiocinatur Auguſtinus.

Infernus ſub terra conſtitutus eſt.

Certum igitur indubitatumque maneat, abominabilem hunc damnatorum carcerem pedibus noſtris ſubiectum eſſe, & in imo terræ centro ſitum. Ita namq; vniuerſa credit Eccleſia, omneſq; tradunt è S. Scriptura prolatis teſtimoniis Theologi. Huc quippe trahunt verba illa Geneſeos, *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Vbi Tò *deſcendam* locum aliquem inferiorem denotat, & in imis terræ viſceribus conſtitutũ. Quanquam ſciam, locum hunc diuerſimode exponi, & à plurimis iuxta vniuſcuiuſque captum torqueri, & aliquos loco *infernum* ponere, ſepulchrum, idq, propter verbũ *Scheol,* quod hoc loco legitur: aſſerentes hocce verbum nunquam in ſacris litteris pro inferno capi.

Gen. 36.

In ſua recognit. Pentateuchi.

Primus controuerſiæ huius auctor fuit Eugubinus, qui ait non videri veriſimile, dilectum illum Deo Patriarchã Iacob, eo deſperationis delapſum, vt in infernum, locum damnatis & dæmonibus deſtinatum, deſcendere optarit: præſertim cum & vox hæc nunquam pro loco capiatur, in quem damnatorum animas deſcendere omnis credidit antiquitas, quem moderni Rabini gehennam appellant. Quam ſententiam vt confirmet ac veriſimiliorem reddat, duorum antiquorum Rabbinorum adhibet teſtimonia; primum eſt Rabbi Moyſes Ægyptii dicentis, *Supplicium quo cruciantur ſcelerati aſſerunt eſſe gehennam, quem locum dicunt eſſe ardentem flammis, vbi vna cum corpore, ſunt comburendi impii, non vno quidem ſuppliciorum genere, ſed adeo variis & exquiſitis, vt longum ſit recenſere.* Alterum eſt Rabbi Aben Eſræ, qui interpretem Chaldæum hic coarguit, quod verbum *Scheol,* gehennam interpretatus ſit.

Lib. de reſur.

Eiuſdem quoque opinionis exſtitit Cardinalis Caietanus, ac locum hunc Geneſeos de ſepulchro expoſuit: perinde ac ſi dixiſſet Iacob: omnem ſe conſolationem reſpuere, inque continuo luctu ad vſque mortis & ſepulturæ tempus velle verſari, quin & paratum ſe in alterum mundum deſcendere, vt dilectum ſibi Ioſeph videat. His accedit & Vatablus in litteris Hebraicis verſatiſſimus, dicens, hiſce verbis Hebraicam quandam loquendi rationem includi, ſcilicet viuere mortuo filio iam non potero, ſed neceſſe me eſt præ luctu & cordis amaritudine emori. His adſtipulatur & Lipomanus in Catena, aitque ex hiſcẻ verbis hunc ſenſum elici poſſe. Adeo me triſtis ille de morte Ioſeph nuntius affligit & afficit, vt vitam abrupturus ſim, ipſeque lachrymari non prius deſinã quam ad patres appoſitus fuero. Item Pagninus, & his omnibus ætate & tẽpore prior Alcuinus, Venerabilis Bedæ diſcipulus, & Caroli Magni Præceptor: *An etiam inferni nomine ſepulchrum ſignificant? Quaſi diceret, In luctu manebo donec me terra ſuſcipiat, ſicut illum recipit ſepulchrum.* Quis omnes haſce opiniones inter ſe conciliet? quis hos inter tantas componat lites?

Alcuin q ſuper Gen.

Sed verior & ſanior, meo quidem iudicio, opinio eſt eorum, qui per verbũ *Scheol,* hoc & aliis plurimis Scripturæ locis vſurpatum, infernum locum illum ſubterraneum, damnatorum ſuppliciis deſtinatum, exponi crediderunt.

Ac prima quæ eos ad hoc docendum impellat ratio, eſt, quod ſeptuaginta hic vt & alibi, hanc vocem per Græcum ᾅδης interpretati ſint: quod non aliter quam per infernum exponi poteſt, ac nemo vnquam exſtiterit, qui ſepulchri ſignificatione extulerit. Deinde Chaldæus paraphraſtes hanc ipſam, hoc loco *pro gehinna* interpretatus eſt, quæ nunquam aut nuſquam pro ſepulchro in ſacris voluminibus exponitur. Ipſe quoque Hieron. qui in harum linguarum cognitione imprimis excelluit, non aliter eam, quam per *infernum* extulit. Auguſtinus item hunc locum interpretatus, ait, *infernum* eadem hic ſignificatione accipi: ac quæſtionem inſtituit, Quomodo Iacob, ærumnis ſaturatus infernum adire voluerit, in quo certus erat, filium non eſſe, aitque hic hominis ex-

Digitized by Google

tremis doloribus affecti, triſtis, ſuamq; calamitatem deplorantis, orationē eſſe. Quod & Lyranus calculo ſuo confirmat, *Per infernum*, inquit, *Hebrai interpretantur foueam vel ſepulchrum, ſed melius Catholici exponunt limbum ſanctorum Patrum, qui eſt pars ſuperior inferni*. Quamobrem verus querelæ huiuſce ſenſus hic eſt: Caſus ille filii mei ac mors tātis me ærumnis & afflictionibus cumulat, vt præ earum magnitudine ac grauitate emoriturus ſim, itaque ad infernum deſcenſurus, ad locum inquam, in quem quicunque modo moriuntur deſcendunt, & in quo Ioſephum meum eſſe crediderim, qui tam amara ac triſti morte hinc dicitur abreptus. Quid vobis videtur docti, an non hæc opinio probabilior? & an non hinc (vt tandem aliquando vnde digreſſi ſumus redeamus,) manifeſtum redditur, infernū ſub terra eſſe? Et ſane ſubterraneus eſt, neq; alius ei locus poterit aſſignari.

Qu. 126. in Geneſ.

Quod & aliis demonſtrationibus, ac teſtimoniis notum faciam, in quibus etiam *Scheol*, ſine vlla controuerſia & omnibus cōſentientibus, pro inferno, damnatorum carcere, accipitur. In Numeris dum de Chore, Dathan & Abironis interitu agitur, hęc verba leguntur: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos, deſcenderuntq; viui in infernum*. In quibus verbis tam Latinum *Infernum*, quam Hebraicum *Scheol*, Epiphanius & Hieronymus magni vterque nominis, & in linguis Orientalibus apprime verſatus, de inferno, dæmonum ſede interpretantur, quod & Pſalmographus apertiſſimo teſtimonio confirmat dicens, *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi aſcendero in infernum, ades*. Vbi ſub antitheſi & illius ſublimitatem, & huius profunditatem voluit deſignare.

Num. 16.
Epiph. Anco.
Hiero. in c. 4. in ep ad Eph.
Pſal. 138.

Cum igitur nihil cœlo altius ſit, neceſſe quoque eſt infernum omnium locorum infimum eſſe (oppoſitorum enim oppoſita eſt ratio.) Ita namque locum hunc exponunt quo celebres Rabini, Kimhi, & Aben Eſra. Quin & hoc modo intelligendus eſt locus ille Matth. 11. *Et tu Capharnaum, numquid vſque ad cœlos exaltaberis? vſque ad infernum deſcendes?* Hic de vtroque extremo ſermo eſt, vno ſummo, altero infimo, cœlo inquam & inferno, in primo extremitatem axis, in ſecundo centrum videmus terræ. Quis igitur negare præſumat, illum, ſub pedibus noſtris, in imis terræ viſceribus eſſe? quod & egregiis rationibus confirmabo.

Philoſophorum axioma eſt, per contraria contraria firmari & aſtrui poſſe: nā contraria contrariorum ſunt conſequentia; ſi enim aqua frigeſacit, ignis calefacit: ergo & contrariorum contraria ſunt loca. Atqui beati & damnati penitus inter ſe contrarii ſunt, atque diuerſa amborum ſors & conditio; hi quippe ſupplicia ſuſtinent, illi gloria perfruuntur. Cum igitur cœlum, quo nullus in orbe locus altior aut ſublimior, Sanctorum habitatio ſit, & ſedes; ſequitur, infernum qui damnatorum receptaculum eſt, omnium infimum & profundiſſimum eſſe.

Demonſtratur rationibus ſub terra infernum eſſe.

Axioma item aliud eſt, locum dignitati locati & meritis reſpondere debet: atqui certum eſt, nihil peccatore vilius eſſe, quippe quem Propheta pulueri, vti rei viliſſimæ, comparat, *Non ſic impii, non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ*. Æquum eſt ergo, omnium locorum infimum & abiectiſſimum peccatori aſſignari. Vnde ſequitur, infernum peccatorum & impiorum habitaculum, omnium locorū poſtremum eſſe.

Pſal. 1.

Quemadmodū ea quæ leuia ſunt & ſubtilia, ſimul in altum feruntur, ita grauia & denſa, ad ima ſubſidunt; at nihil peccatore grauius aut ponderoſius, quem nimirum ſacra Scriptura omnium ponderum ponderoſiſſimo, plumbo inquam, comparat, *Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis*: Pſalmographus, iniquitates ſuas ſicut onus graue ſuper ſe grauatas deplorat. Inferre igitur poſſumus, qui peccatores omnes recipit & complectitur, infernum, omnium locorum profundiſſimum & remotiſſimum eſſe.

Exod. 15.
Pſal. 37.

Quis igitur de eo dubitet? cuius tanta veſania futura eſt, vt in tam horrendū velit locum deſcendere? in tam maledicta terra viuere? terra, inquam, quam nec oriens modiuſue, cadenſue Phœbus adire poteſt, in

qua

Digitized by Google

qua nulla temporum indicia aut dimenſiones horarum, in qua nonniſi tenebræ videntur, nonniſi gemitus & vlulatus audiuntur, nonniſi mephitis & odor teterrimus percipitur: terra, inquam, adeo à cœlo, Deo, Angelis, omnibuſque creaturis remota. Quis, inquam, non reformidet in mundi fundo, in abyſſo è qua egredi non liceat, atque ſub omnium creaturarum pedibus viuere? Abſit, eſt enim miſerum, horrendum, intolerabile. Quamobrem inſenſate & demens peccator rerum tuarum ſatage; iter aliud ingredere, tandem reſipiſce, viam illam latam deſere, quæ ad interitum ducit, *Recordare nouiſſima* ac præſertim quæ ad infernum ſpectant, & *in æternum non peccabis*.

Eccl. 7.

Et eſt quam veriſſimum, Domine metuende & tremende, eum qui hæc in mente habuerit: huc oculos & cogitationes intenderit, nihil vnquam aduerſus maieſtatem tuam commiſſurum, locique tam horrendi aſſiduam meditationẽ nimium quantum ad omnes peccandi occaſiones reſcindendas ſufficere. Si enim exilii metus ac peregrinæ regionis incolatus, ſuppliciorumq; terror, rebelles & ſeditioſos intra lineam contineant, & Principibus obedire cogant: quid an non inferni apprehenſio, exilii perpetui & quidem in terra deſerta & inaquoſa, locoque incognito & barbaro formido, tantorum deinde cruciatuum, tormentorũ, ſuppliciorumq; cogitatio, peccatorem impellant, ac quodammodo cogant, vt diuinam maieſtatem colat, adoret, reuereatur, legibus eius obtemperet, voluntati obſecundet, eiuſque iuſtitiam & vltionem reformidet? Nullus ſane te vnquam Domine offendere præſumat, ſi cogitet quid ſit infernus; ſi cogitet lacum eſſe flammas & ſulphur euaporantem, puteum perpetuis ignibus æſtuantem, abyſſum denſiſſimis & palpabilibus tenebris obſitam, quam ſol radiis nunquam illuſtrat, in qua nullæ apparent ſtellæ, quam nulla voluptas ſed luctus aſſiduus & ſempiternus horror inhabitat; eſſe deniq; locum omnium locorum infimum & abiectiſſimum, & haud procul a terræ centro conſtitutum. Tu autem gratiam nobis præſta Domine, vt eundem ſemper præ oculis habeamus, eiuſque horrorem metuamus, horrentes abominemur, abominantes recte ad cœleſtem patriam contendamus, in qua omnis noſtra, & quidem perfectiſſima beatitudo ſita eſt, quam elargiri nobis dignetur, qui in ſæculorum ſæcula viuit & dominatur Deus. Amen.

FERIA TERTIA.

DE POENIS INFERNI.

Partitio.

I. *De pœnis ab irato iam Deo illatis generatim.*
II. *De variis damnatorum pœnis.*
III. *De duabus aliis pœnis ſingularibus.*
IV. *De pœnarum diuerſitate pro delictorum qualitate.*

Memorare nouiſſima tua, *& præſertim ſupplicia, quæ in inferno ſubeunda ſunt*, & in æternum non peccabis. Eccleſ. 7.

FIGVRA.

VIRTVTVM omnium, ac præſertim patientiæ ſpeculum Iob, ærumnas ſuas deplorans, terram quandam barbaram & inamœnam depingit, quam terram miſeriæ vocat & tenebrarum, opertam mortis caligine, quã vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror ac confuſionis chaos, calamitatumque iliades inhabitant. Hanc cum ipſe mecum perpendo, non poſſum quin mihi perſuadeam, ſanctiſſimum illum virum infernalem terram deſcribere, eiuſque ſuppliciorum grauitatẽ, ac tormentorum quæ impii in illa ſubeunt acerbitatem, ob oculos ponere voluiſſe. Illa enim vere, terra miſeriæ & tenebrarum, & mortis caligine operta appellari poteſt, in qua lumen nunquam effundit, vbi nullus dies, aut horarũ indicia ſunt. Terra, in qua nonniſi mera nox, amaritudo Iob. 10.

terni memoria, peccatorum incendia exſtinguit & ſopit, ſuppliciorumque apud inferos tolerandorum recordatio omnes peccandi occaſiones reſcindit.

Simile.

Nam quemadmodum prudens, & ſedulus agricola, cum agrum ſaxis, vrticis, vepribus, ſentibus, lolio, aliiſq; zizaniis oppletum videt, ita vt ſterilis factus fructum proferre nequeat, ignem ſubicit, qui omnia agri vitia exurat, ac tum demum eundem conſerit, qui læta mox ſegete dominum beat. Vnde Maro in Georgicis.

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros.

Ita, vt ſimilitudinem hanc propoſito adaptem, de vnoquoque noſtrum dicendum eſt: ille namque prudens appellandus eſt, qui vbi animæ agrum ſpinis flagitiorum atque abominationum vepribus aliiſq; zizaniis videt oppletum, adeo vt nullum bonorum operum meritorumque fructum proferat; eidem flammam infernalem inicit, aſſiduaque tartari cogitatione eandem excitat. Quod qui fecerit, næ ille omnes mox peccatorum radices ablatas videbit, verbique diuini ſementem in animam coniectam, varios ac multiplices virtutum & ſalutis fructus proferre: ac merito de huiuſmodi anima dici poterit,

Pſal. 96.

Ignis ante ipſam præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: ignem namque infernalem cogitationibus ſuis qui præmittit, omnes confeſtim inimicos, qui muris & propugnaculis illius inſidias ſtruunt, peccandi nimirum occaſiones, ipſaque peccata, incendio ſuffocat.

Iud. 15. Allegoria.

Huc facere videtur ſtratagema illud Samſonis: qui vulpes caudis ſibi mutuo alligatas, addito igne, in hoſtilem ſegetem immiſit, quæ eandem huc illucq; curſitando deuaſtarunt. Hoc imitemur Auditores: vt enim dæmones hoſtes noſtros iratiſſimos expugnemus, eorumq; ſegetem, id eſt peccata, penitus deſtruamus, cogitationum noſtrarum vulpes adhibendæ ſunt, earumq; caudis ignis infernalis alligandus, quæ per vitiorum noſtrorum ſegetem curſitantes, omnia vaſtabunt, ac ſtragem magno redimendam edent.

Quamobrem agito, Chriſtiane cœtus, *Recordare nouiſſima tua*, infernum illum deteſtabilem, receptaculum illud damnatorum, dæmonum aulam tibi præſcribe, propone menti ignem noctes atq; dies ardentem damnatorum illic excruciatorum rabiem, tormenta, ſuppliciaq; quæ illic inueniuntur, *& in æternum non peccabis* in eum qui carcerem hunc condidit, ac rebellibus & contumacibus hæc ſupplicia præparauit. *Et ſane ſi amor Dei*, ait Bernardus, *te tenere non poteſt, ſaltem teneat & terreat timor iudicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, ſulphur fœtens, torrens flamma & omnia mala tartarea.* Infernum igitur perhorreſce, accuratius ac diligentius eum perpende, *deſcende*, inquit idem qui ſupra, *viuens in infernũ, percurre mentalibus oculis tormentorum officinas; fuge ſcelera & vitia, pro quibus ſcelerati homines & vitioſi perierunt.* Ignem igitur illum ſemper accenſum memoriæ inſcribe, ac penitus inſculpe.

Bernard. in floribus.

Sermone de San. regimibus.

Si enim in domibus contagioſis luculentus exſtrui focus conſueuit, quo aer noxius purgetur: multo maiori cum ratione anima peccati contagio, quo nullum deterius eſt ac peſtilentius infecta, alium ſibi ignem, infernalem ſc. proponat, qui omnem peſtilentem afflatum fuget ac diſpellat.

Vere igitur, ô animarum iudex, inferni recordatio ad animæ ſalutem neceſſaria eſt, atq; imprimis vtilis: tuum autem eſt efficere, vt eadem aſſidue in animis noſtris commoretur, cum nullum eadem aduerſus omnia delicta efficacius remedium haberi queat; & da, vt eadem in peccatis expugnandis vis minime in nobis requiratur. Et quoniam ô pater miſericordiarum, ſupplicii metus in pios à peccando deterrere ſolet, infernum vt perpetuo formidemus, gratiam concede, vtque ſuppliciorum illic ſuſtinendorum memoria meditatio; nos, qui vere natura impii ac nefarii ſumus, à peccando reuocet, ac prauã delinquendi conſuetudinẽ recidat: fac obſecro dulciſſime animarum ſponſe, vt ſponſæ tuæ chaos hoc confuſionis, locũ illum incendii; carcerem illum obſcuriſſimum ſemper præ oculis habeant: cogitent inquam interdum,

infer-

Digitized by Google

infernum barathrum ac voraginem eſſe, in quam, qui ſemel deuolutus fuerit, nunquam poterit eximi; locum etiam, in quo variæ moriendi ſunt occaſiones, mors tamen nulla, foſſam denique flamma & igne repletam, tenebris tamen denſiſſimis circumſeptam. Ad hæc cauernam draconibus & bufonibus plenam, abyſſum corruptionis & contagij, regnum cui dæmones & immania præiunt monſtra: hæc nempe cogitatio vnicum ad loci huius deteſtationem concipiendam, ad peccati odium, virtutum amorem, viamque quæ ad te, qui vera noſtra beatitudo es, ducit, ingrediendam, eſt remedium: ad quam nos dirigere ac conducere dignetur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. AMEN.

FERIA SECVNDA.

QVID SIT INFERNVS, ET VBInam terrarum ſitus.

Partitio.

1. *De diuerſis animarum receptaculis.*
2. *Quid & qualis ſit infernus.*
3. *Vbi ſit infernus.*

Memorate nouiſſima tua, *& inprimis infernum, ac cogita qualis ille ſit, & quonam in loco*, & in æternum non peccabis. *Eccl.* 7.

FIGVRA.

Eccleſ. 1. MIraculum illud antiquitatis, omniumque regum Juda ſapientiſſimus Salomon, vel potius Jeſus Syracides, in Eccleſiaſtico abyſſum quamdam profundam & altam depingit, cuius altitudinem nemo poterat dimetiri. Hanc cum mecum accuratius conſidero, inferni hic typum proponere poſteritati voluiſſe videri Sapiens queat. Ipſe enim abyſſus quædam eſt, ignem & flammam eructans, è qua numquam egredi licet, tantæque profunditatis & altitudinis, vt mundus eam dimetiri, aut eius proportionem noſſe nunquam potuerit. Ipſe nihilominus eandem vobis hodierna concione decreui deſcribere ac dimetiri, quaſi locum quo nullus in orbe terribilior aut horribilior. Te porro hic inuoco ſanctiſſime Spiritus omnium gratiarum abyſſe, ac ſupplex rogo, meam vt cymbam abyſſo huic innatantem dirigere ac propellere digneris, & te ô glorioſa ſtella maris, vt errantem in tenebris, luminis tui claritate illuſtres. Ideo ſalutationem tibi Angelicam depromo.

AVE MARIA.

Nullus veſtrûm eſt, auditores, qui ignoret diuerſa ac varia eſſe poſt hanc vitam loca, in quæ animæ corpore egreſſæ, vnaquæque iuxta ſtatum quo ex hac vita egreſſa fuerit, recipiantur, accedente præſertim Sacrarum litterarum auctoritate, ac totius Eccleſiæ vnanimi doctrina. Ita namque ſenſit Auguſtinus: *Habent*, inquit, *animæ cum de ſæculo exierunt, diuerſas receptiones ſuas.* Primus ſpiritibus in alterum mundum proficiſcentibus deſtinatus locus, eſt ipſum gloriæ templum, diuinitatis palatium, cœlitum Paradiſus in cœlo empyreo, conſtitutus: cuius nobis introitum ac poſſeſſionem ſua Chriſtus paſſione ac morte comparauit, ita namque de ſe in Euangelio teſtatur, *Vado parare vobis locum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis*; item alio in loco, cum beatorum mercedē deſcriberet: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlo.* Atque hæc eſt totius Eccleſiæ credendi ratio, vt è Concilio Florentino in Decreto vnionis manifeſte colligitur; illic enim totius Eccleſiæ nomine docetur, animas poſtquam debito ac legitimo modo hic purgatæ ſunt, ſtatim vt corpore egreſſæ fuerint, cœlo recipi, vbi diuinæ viſione maieſtatis recreantur. Idipſum & è Tridentina Synodo colligere eſt, quæ ait, Sanctos cum Deo in cœleſti regione regnare: hoc etiam docent omnes in genere Patres; Cyprianus imprimis Sermone de mortalitate, Baſilius homilia in XL Martyres; Auguſtinus in Pſalmum LXXXIII. Leo Papa ſermone de S. Laurentio martyre; Gregorius

Marginal notes: I. — *Tract.* 49. *in Ioan.* — *Ioan.* 14. — *Matth.* 5.

gorius hom. XXXVII. in Euangelia Fulgentius Carthaginenſis, qui iam ab hinc mille annis in Eccleſia floruit aliiq; e innumeri, & auctoritatis irrefragabilis; qui docēt cœlum beatarum mentium locum eſſe ac receptaculum.

Alter locus priori penitus contrarius, ipſe eſt Tartarus, in imis terræ viſceribus conſtitutus, de quo ſæpenumero in Sacris libris eſt ſermo; vt in Numer. *Deſcenderunt viuentes in infernum, cooperti humo.* & in Pſalmis: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes.* & in Euangelio de diuite illo: *Mortuus eſt autem diues, & ſepultus eſt in inferno.* In quibus omnibus de inferno mentio: de inferno, inquā, in quo dæmones commorantur, furiæ habitant, damnatorum animæ captiuæ detinentur, & in quo denique ſcelerati ſempiternis cruciatibus affliguntur.

Num.16. *Pſal.45.* *Luc.16.*

Tertius locus ipſe eſt limbus, in quo omnes Veteris Teſtamenti Patriarchæ ac iuſti exoptatum Meſſiæ aduentum præſtolabantur, qui eoſdem moriendo in veram libertatem aſſerere, ac cœli ianuas, quæ quinq; iam annorum millibus occluſæ fuerant, reſerare debebat. Cuius liberationis verum in Numeris exemplum ac typum legimus. Quicumque olim ob aliquod delictum apud Hebræos in exilium pulſi erant, in patriam prius reuerti non poterant, quam ſummus Pontifex exſpiraſſet: illo vero mortuo omnes in patriā à qua extorres erant, licite ac libere reuertebantur. Hic docemur, non prius homines, Paradiſo cœleſti, qui vera eorum patria eſt, propter peccatum originis expulſos, eodem redire potuiſſe, quam Jeſus Chriſtus, verus ille Pontifex, in cruce exſpiraſſet, cuius ſanguis ac paſſio nos in patriam reſtitueret, ab exilio liberaret, ac vera fœlicitate cumularet. Vnde Paulus figuræ huius terminis inhærendo, *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius ac perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis, neq; per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* De hoc autem loco mentio fit in Geneſi: *Deſcendam quærens filium meum Ioſeph, lugens infernum*; & quamuis Nouatores hoc de ſepulchro dici tradant, vnanimis tamen ſanctorum Patrum conſenſus eſt, de limbo debere intelligi.

Num.35. *Hebr.9.* *Gen.37.*

Non procul inde eſt infantium ſine baptiſmo, aut ſine circumciſione in Lege Moſaica mortuorum ſedes, quam quartam nuncupare poſſumus, qui quidem, iuxta Auguſtinum, aliqua rerum cognitione prædit erūt, ſed vt ita miſeriam ſortemque ſuam agnoſcant, cum ſe æterna beatitudine, cuius tamen capaces creati erant, in æternum priuādos intelligent: quæ quidem non ſenſus, ſed damni pœna à Theologis nominantur, quanquam in omnem æternitatem duratura ſit.

Quintus & vltimus locus eſt, quem communi nomine purgatorium dicimus: qui locus quidam eſt ſub terra conſtitutus, in quo animæ captiuæ detinentur, vt ibidem à delictorum ſedibus, quas è corpore emigrantes ſecum detulere, purgentur, atque vbi purgatæ fuerint, æternæ beatitudinis conſortes reddantur. Cuius rei figuram quamdam adferam. Abſalon quamuis contumaciæ ſuæ ac rebellionis veniam à patre impetraſſet, biennio tamen paterno conſpectu carere, atque aula priuatus viuere debuit. Ita quoque animæ, quamuis pleniſſimam in hac vita omniū delictorum veniam conſecutæ ſint, ob nonnullos tamen defectus & næuos, qui ipſis adhæreſcunt, ad aliquod tempus, cōſpectu Dei, qui ipſarum pater eſt, carere, & regno cœleſti excludi, inque purgatorij exilio verſari debent. *2.Reg.14.*

Egregie porro Doctorū ille Phœnix Thomas quinque has ſedes diſcriminat ac diſtinguit. Vt nimirum diuerſus eſt ſtatus, in quo animæ in hac vita deſcendunt, ita quoque diuerſa ſunt loca ac receptacula, in quæ poſt mortem ſecedunt. Nam quamdiu in corpore detinentur, mereri ſemper queunt: ſed corporis hiſce vinculis ſolutæ & perfectam libertatem aſſecutæ; operum ſuorum vel prauorum, vel bonorum mercedem conſequuntur. Adeo, vt mox à morte vel integram & abſolutam, vel interruptam compenſationem recipiant; ſi integram, duplex eadem quoque eſt, vel eſt gloria cœleſtis ac beati- *D.Thom.1. p.q.69 a.7.*

Digitized by Google

beatitudo, quoad virtutes ac bona opera, vel inferni ſupplicia, quoad peccatum originale ipſe paruulorum limbus. Si vera illa interrupta erit, id fiet vel ob defectum perſonæ, & tunc adeundum erit purgatorium, vbi animæ detinentur, ne beatitudinis & compenſationis, ad quam aſpirant, ob delicta quædam non adeo diligenter expiata, tam cito participes reddantur: vel ob defectum naturæ, ac tum limbus, in quo veteres patres detinebantur, & ſummæ gloriæ fruitione propter humanæ naturæ delictum carebāt, quadrabit.

Cæterum quamuis hæc veriſſima ſint, nō tamen adeo facile cuiuis perſuaderi queat, animas corporis expertes loco corporali poſſe contineri. Vnde Boëtius: *Communis ſapientum opinio eſt, incorporalia in loco non eſſe.* & amplius adhuc Auguſtinus: *Cito reſponderi poteſt, ad corporalia loca animam non ferri, niſi cum aliquo, &c.* Atqui animæ poſtquam corpore egreſſæ ſunt, corpore carent, qui igitur fieri poteſt eaſdem ſine corpore in loco corporali poſſe ſubſiſtere? Quamquam autem hoc ad intelligendum difficile ſit, credendum tamen eſt, atque indubitata fide tenendum. Licet enim Spiritus non ita locum occupent, vti alia corpora locum occupare dicimus: nec ratione quadam nobis nota aut perſpecta; ea tamen ratione occupant, quæ ſubſtātiis incorporeis ac ſpiritualibus propria eſt: quæ etſi nobis incognita ſit atque obſcura, non ideo tamen dicēdum, animas corpore egreſſas incertis vagare ſedibus, aut nullum certum habere receptaculum.

Boetius lib. de hebdom. S. Aug. 12. ſuper Gen. ad litteram.

Nam ſi cœlum empyreum, quod verum & naturale corpus eſt, innumeris, mox vt conditum eſt, Angelis repletum fuit, vt venerabilis Beda ait, qui omnes tamen materiæ expertes ſunt & penitus incorporei; cur, obſecto, animabus, quæ eiuſdem naturæ & conditionis ſunt, locus aliquis quo contineantur non aſſignetur? Quamobrem cum D. Thoma dicendum eſt; quamuis ſubſtantiæ illæ angelicæ ac ſpirituales corporea mole & materia careant, ac nulla ratione à corporibus dependeant; res tamen corporeas ac graues à Deo per ſpirituales, vt docent etiam Auguſtin & Greg. regi ac gubernari. Atque hinc ſympathia illa & affinitas oritur inter ea, quæ materia prædita ſunt, & quæ eadem carent, inter ſpiritus item & corpora, idque per modum congruitatis, vt n[illegible] rebus nobilioribus loca etiam nobiliora aſſignentur. Atque ita animabus corpore egreſſis, conuenientia naturæ meritis ac dignitati loca etiam corporalia, data ſunt, in quibus eo, quo ſpiritus locum occupare poteſt modo, continentur, & quo magis ad primam, quæ Deus eſt, ſubſtantiam, cui proinde ex congruo locus primus ac ſummus datus eſt, accedunt.

3 p q. 69. a 1. Lib. 3. de Tri. Gre. 4. Dial.

Atque ita animas beatorum in cœlo ſtatuimus, quod ad Deum quam proxime accedant, & quod locus ille omnium ſit primus ac digniſſimus, eorumque meritis conuenientiſſimus; damnatorum vero in inferno, qui omnium locorum infimus eſt ac poſtremus, & quo nullus vel tetrior, vel abominabilior; quem ſi interdum mente voluere mus: adeo eiuſdem horrore percelleremur, nunquam vt in animum vel minimum delictum admitteremus. Ita namque ſuadet Sapiens: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*; *Eccleſ. 7.* atque hæc eſt materia, quam hodie explicandam ſuſcepi. Quod vt cum aliquo emolumento ac fructu fiat, primo de miſeria atque horrore loci, ac deinde de eiuſdem ſitu agendum erit: quod vbi fecerim, aſſeuerare auſim, neminē veſtrum fore quin iudicaturus ſit, nullum in orbe locum cum eodem vel fœtore, vel horrore conferendum eſſe.

Principio igitur infernus, vt proprie ac vere eundem deſcribamus, merum quoddam chaos confuſionis eſt, antrum corruptionis, locus maledictionis, carcer tormentis & cruciatibus plenus: eſt regnum tyrannicum, cui Satan abſoluta quadam & plenaria poteſtate præeſt, cuius diaboli membra ſunt, damnati ſerui ac ſubditi: eſt aula opaca, obſcura, tenebroſa, in qua flammarum globi loco lampadarum, dæmonum viſio loco pictarum tabularum, tenebræ inſtar aulæorum, in qua carceres loco atriorum, vincula & compedes loco menſarum, flammæ & ignes loco lecto-

rum, patibula loco deliciarum. Infernus denique locus eſt, qui cum nullo in orbe aut extra orbem comparari poteſt, quique omnia loca horrore & abominatione antecellat. Euidenter id apparet ex epithetis, quæ Sacra ei Scriptura paſſim attribuit, quæ varia ſunt, & eius horrorem ad viuum deſcribunt.

II. Eccleſiaſticus eundem abyſſum vocat, ſed abyſſum, cuius altitudinem nemo vnquam dimenſus ſit, *Profundum abyſſi quis vnquam dimenſus eſt?* Eſaias vero carcerem: *Congregabuntur in lacum, & claudentur ibi in carcerem.* Quam triſtis ille carcer, Auditores? Scatet ille maleficis & damnatis, & quidem ad æterna incendia damnatis: carcer, inquam, è quo nunquam egredi datur, & cuius dæmones cuſtodes ſunt & miniſtri. O carcerem vere horrendum & abominandum! Ipſe vero Dominus eum gehennæ nomine appellauit: *Timete eum, qui habet poteſtatem mittere in gehennam*; gehennam, inquam, quæ infinitis animas tormentis excruciat, damnatos in mediis ſuppliciis deſperare cogit, & ad rabiem concitat. Apoſtolorum autem princeps tartari ei nomen indidit: *Detractos in tartarum tradidit cruciandos*; Formatur autem Tartarus à Græco ταρτάρω, id eſt, turbas concito, idque propter turbas & motus aſſiduos quos in inferno eſſe conſtat, quibusque animæ exagitantur.

Eccleſ. 1. — Eſai. 24. — Luc. 12. — 2. Pet. 2.

Vere illic quidam tartarus, & quidem æternus, futurus eſt, in quo damnati clamare, vociferari & efferaſcere non deſinent, tortores vero ſæuiendo ferociendoq; inter ſe horribilem ſtrepitum ac ſonitum excitabunt, *Ibi clamabit*, inquit Bernardus, *dæmon ad dæmona: Percute, dilacera, interfice velociter, ſpolia detrahe, cito prædare, inijce prunis, & ebullientibus impone lebetibus.* O crudelitatem, rabiem, miſeriam! Ita porro eundem appellat Cyrillus Alexandrinus: *Hei, hei, qualis loci facies, vbi fletus & ſtridor dentium, quem tartarum appellant, quem ipſe quoque diabolus expauet.*

Orat. de exitu animæ.

Amos Propheta alia adhuc nomenclatura eundem denotat, ſcilicet domus dæmonis, *Bibebat vinum damnatorum in domo Dei ſui*, domo ſanguinolenti tyranni, domo terroris ac ſuppliciorum plena, in qua furiæ commorantur, in qua mors habitat, in qua crudelitas, impatientia, deſperatio ſedem collocarunt; cuius ianitor eſt Cerberus, portæ æreæ, & vectes ferrei, vnde in Pſalmis: *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Quin & Euangelium portas ei tribuit, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* quas explicans Bernardus ait: *Portæ inferi ſunt cæca deſperatio, & dura obſtinatio.*

Amos 2. — Pſal. 106. — Matth. 16.

A Joanne autem in Apocalyſi vocatur *torcular Dei*; & non vſq; adeo abſurde. Nam ſicut in torculari variæ vuæ commiſcentur, ſimulque conteruntur, ita in tetro illo carcere, velut in quodam torculari infinita damnatarũ multitudo commiſcebitur, & à diabolis promiſcue comprimetur, conteretur, ac miſerum in modum cruciabitur, èque eorum corporibus ſanguinum riui & lachrymarum torrentes exſudabunt. Vnde Job prophetans loquitur: *Calcet ſuper eum, quaſi Rex interitus.*

Apoc. 19. — Iob. 18.

Euangeliſtæ vero fatalem hunc locum & regionem illam ſubterraneam graphice depingentes, locum tenebroſum, obſcurum perpetuiſque ignibus collucentem appellarunt: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum; filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ac deinde: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igne comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi: mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos, qui fecerint iniquitatem, mittent in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et poſt aliquantulum: *Tunc dixit Rex miniſtris, Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et poſt duo capita: *Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.* Vbique mentio lachrymarum, tenebrarum & ſtridoris dentium.

Matth. 8. — Matth. 13. — Matth. 22. — Matth. 14. & 25.

Eiſdem tropis & loquendi modis vtitur & Lucas: *Et dicet vobis, Neſcio vos, vnde ſitis; diſcedite à me omnes operarij iniquitatis, ubi erit fletus*

Luc. 13.

fletus & ſtridor dentium: cum videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Quid amplius habet & Marcus, *Et ſi ſcandalizauerit te manus*
Marc. 9. *tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexſtinguibilem, vbi vermis non moritur, & ignis non exſtinguitur.* An non hæ triſtes loci huius delineationes ſunt? Omnes ecce de denſiſſimis tenebris, de igne inexſtinguibili, de vermibus perpetuo corrodentibus, de horrendo dentium ſtridore, deq; perpetuo fletu lachrymiſq; aſſiduis loquuntur, neq; enim digne horror eius & infelicitas miſeriaque verbis exprimi poteſt.

Iſaias autem nouo quodam & inuſitato eum nomine vocat, barbara ſcilicet voce
Iſai. 30. Topheth. *Præparata eſt*, inquit, *ab heri Tophet, à rege præparata profunda & dilatata, nutrimentum eius ignis, & ligna multa. flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.*
In concord. Euang. c. 10. Doctiſſimus Ianſenius cum vocis huius originem inueſtigaret, ait olim iuxta montem Moria Ieroſolymis conterminum, vallem fuiſſe, in quam Siloe ſe aquæ exonerabant, Gehennon dictam, id eſt, vallem Hennon, de qua in Ioſue cap. 18. & 19. fit mentio. In hac olim Iudæi idololatria excæcati, idolum Moloch cui liberos ſuos immolabant erexere: quæ deinde Topheth fuit appellata, quaſi dicas tympanum: quia, interea dum tragicũ & lugubre hocce ſacrificium peragebatur, tympana aſſidue pulſabantur, ne fortaſſe parentes, audito liberorum eiulatu & lamentis, ad commiſerationem excitarentur. Vallem hanc Ioſias rex piiſſimus mortuorum oſſibus
4. Reg. 23. oppleuit, vt ita profanarentur, *Contaminauit quoque Tophet, quæ eſt in conualle filii Ennon.* Ipſe
Ierem. 9. quoque Dominus per Ieremiam comminatus eſt, hanc ſe vallem non amplius Topheth aut Gehennon, ſed vallem ſanguinis & mortis, appellaturum.

Inferno vallis Topheth comparatur.

Hoc igitur nomen Iſaias inferno tribuit, tum quod in valle hac infantes immolati e-
Iſai. 30. rant, tum quod locus ille poſtea contami-
Pſal. 39. natus ac profanatus eſt. *Ab heri præparata eſt Topheth*, id eſt, ab ipſo mundi exordio: (quia *mille anni apud Deum tanquam dies heſterna quæ præteriit*) ſed præparata à rege, qui regibus omnibus imperat, quique omnium regum Dominus eſt. *Profunda & dilatata*, quia infernus in centro terræ eſt, & ideo iuxta debitam proportionem latus, vt vtero ſuo & aluo omnes omnino damnatos comprehendat & complectatur: *nutrimentum ignis & ligna.* Scilicet damnati & ipſi dæmones: diuinæ vero iuſtitiæ flagellum eundem excitat, idque inſtar torrentis ſulphurei. An non omnia aptiſſime conueniunt? Ita profecto: infernus enim vera Topheth eſt, in qua non amplius pueri, ſed plurima damnatorum millia comburuntur: quorum ne fortaſſe clamores, eiulatus, lamentaque audiamus, continuo tympanorum ſtrepitu, id eſt, mundanorum gaudiorum tinnitu auribus noſtris dæmones obſtrepunt: vallis adhæc putida, profanata, cadaueribus oppleta: & mephytim exhalans.

Iſa. 30. Iſai. 30.

Longe aliud ei nomen attribuit Prophe- Pſal 68.
ta regius: appellat enim nomine putei, & Pſal. 54.
quidem altiſſimi, *Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum*: & alibi: *Tu vero deduces eos in puteum interitus.* Ecquis ille puteus! quanta profunditas! aduſque centrum terræ pertingit, adeo vt quod Samaritana in Euangelio ait, *Puteus altus eſt*, hic non abſurde repetere poſſimus.

Hic quoque puteus eſt, de quo in Apoca- Ioan 4.
lypſi ſua Ioannes: Non autem ô ſponſa, pu- Apoc. 9.
teus ille aquarum viuentium, ſed ciſterna plena flammis & ſulphure, fumumque ob- Cant. 4.
ſcuriſſimum exhalans, *Et aſcendit fumus fornacis magnæ.* Exclamare igitur poſſum, ô locum vere horribilem!

Aliter adhuc eundem deſcribit Propheta Iob. 10.
Iobus, *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Anne reperiri queat in orbe locus terrior ac magis abominandus? ſeptem ecce eiuſdem qualitates depromit, quarum vel minima potis eſt hominem ad deſperationem cogere. Imprimis quod nulla in eo lux ſit, quod in eodem ipſa dominetur mors,

quod

Digitized by Google

quod omne ab eo bonum ac deliciæ exulent, miſeriæque & mala affluant, quod Sol & Luna in eo non appareat, cœlum & terram non videatur, quod in eo nonniſi furiæ, Megæræ, ac diaboli, mera confuſio, & turbatio, horror ſempiternus, lachrymæ perennes, ac terrores aſſidui. O locum deteſtandum, ac vere infelicem!

Orat. de exitu animæ. Ipſi porro Patres etiam amplius eiuſdem miſeras abominationemque exaggerant. Et inprimis Cyrillus Alexandrinus, qui circa annum Domini 430. ſub Theodoſio Iuniore floruit: *Huc demerguntur animæ peccatorum, in omne æuum crematuræ, quemadmodum Iob tradidit, in terram noctis æternæ, vbi non lumen, non mortalibus vita, ſed iugis ægritudo, ſed mœror inceſſabilis, ſed planctus per noctes: væ illic æternum: illic, heu me! heu me! illic ingemiſcunt aſſidue, nec illic miſeretur: clamant è profundis, & nemo flectitur: lamentantur, & nullus eripit: exclamant & plangunt, & nemo miſeretur.* O verba etiam ſaxa emotura, & adamantina pectora emollitura!

Serm. de 5. regionibus. Quin & amplius Bernardus, exclamans: *O regio dira, & grauis, regio extimeſcenda! Regio fugienda, terra obliuionis, terra afflictionis, terra miſeriarum, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: locus letifer, in quo ignis ardens, vbi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, horribilis dæmonum facies: totus tremo atque horreo ad memoriam iſtius regionis, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea.* Ecce & alia non minus horrenda.

Lib. 4. de anima c. 13. Hugo de S. Victore, qui magna ante annos quingentos, & doctrina, & ſanctitate floruit, his eum verbis deſcripſit: *Infernus lacus eſt ſine menſura, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore inenarrabili: ibi miſeria, ibi tenebræ: ibi ordo nullus, horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali, omnis qui eſt in eo, odit ſe & omnes alios, ibi omnia genera tormentorum quorum minimum maius eſt omnibus his tormentis quæcunque in hoc ſæculo fieri poſſunt.* O locum teterrimum, inhabitabilem, intolerabilem, ac miſeriis refertum. Veniam petetis Auditores, ſermonem abrumpo: neque enim abſque lachrymis, ſuſpiriis, mille ſingultibus loci huius horrorem pluribus repræſentare poſſum. Atque ideo materiam, dicendique genus mutabo, & demonſtrabo quo in loco & mundi climate ſit conſtitutus.

Interrogatus hac de re olim Gregorius, ac dicere coactus, quonam in mundi angulo infernorum ſedes eſſet, in hunc modum reſpondit, *De hac re temere definire nil audeo, nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum eſſe putauerunt, alii vero hunc ſub terra eſſe exiſtimant.* Cui vltimæ opinioni & ipſe viſus eſt aſſentiri, tum propter etymon nominis (infernus enim eſt qui inferius iacet) tum vero quia in Apocalypſi ſcriptum legimus: *Nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum.* Quibus duobus potiſſimum innixus fundamentis ait: *Cum ergo ad aperiendum librum nullus inueniatur dignus ſub terra, quid obſtat non video, quod infernus ſub terra eſſe credatur.* III.

Lib. 4. dial. de ſitu inferni. *Apoc. 5.* *Greg. lib. 4. dial. cap. 4.*

Auguſtinus cum hunc labyrinthum intraſſet, & ſuum iam ſymbolum in medium protuliſſet, ita ſe tandem extricare conatus eſt: *In qua parte mundi infernus ſit, ſcire neminem arbitror, niſi cui Domini ſpiritus reuelauit.* Quamuis eodem loco duas rationes adferat, quibus demonſtret eum ſub terra eſſe, quarum prima hæc eſt: Animæ impiorum ex nimio erga corpus & carnem affectu peccarunt; neceſſe eſt igitur eandem illas ſortem ſubire quam res amata ſubiit: atqui corpus & caro poſt mortem ſub terra conduntur: ſequitur ergo neceſſario, animas eodem commigrare debere, ac proinde infernum ſub terra eſſe cõſtitutum. Altera hæc eſt: Quemadmodum omnium locorum pulcherrimus & ſimul altiſſimus, Beatorum gaudio & exultationi accommodatiſſimus eſt: ita quoque infimus & abiectiſſimus, infernus ſcilicet, ad miſeriam, calamitatem, deſperationemque damnatorum aptiſſimus exiſtit. Rationes hæ in ſpeciem videntur veriſſimæ ac variis in rerum natura experimentis poſſe confirmari. *Auguſt. lib. 12. ſuper Geneſ.*

Videmus enim in variis orbis partibus, in Aſia, Africa, & Europa, ac præſertim in Sicilia,

Digitized by Google

cilia, exæſtuantes Ætnas, Veſuuios, Heclas, alioſque montes flammarum globos perpetuo eructantes, éque terræ viſceribus fumum fauillaſque euomentes. Vnde manifeſtum eſt, infernum ſub terra conſtitutum eſſe, flammamque per illas fornaces, non ſecus ac per quædam reſpiracula fumique emiſſaria euomere. Ita ſcilicet ratiocinatur Auguſtinus.

Infernus ſub terra conſtitutus eſt.

Certum igitur indubitatumque maneat, abominabilem hunc damnatorum carcerem pedibus noſtris ſubiectum eſſe, & in imo terræ centro ſitum. Ita namq; vniuerſa credit Eccleſia, omneſq; tradunt è S. Scriptura prolatis teſtimoniis Theologi. Huc quippe trahunt verba illa Geneſeos, *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Vbi Tò *deſcendam* locum aliquem inferiorem denotat, & in imis terræ viſceribus conſtitutũ. Quanquam ſciam, locum hunc diuerſimode exponi, & à plurimis iuxta vniuſcuiuſque captum torqueri, & aliquos loco *infernum* ponere, ſepulchrum, idq; propter verbũ *Scheol*, quod hoc loco legitur: aſſerentes hocce verbum nunquam in ſacris litteris pro inferno capi.

Gen. 36.

Primus controuerſiæ huius auctor fuit Eugubinus, qui ait non videri veriſimile, dilectum illum Deo Patriarchã Iacob, eo deſperationis delapſum, vt in infernum, locum damnatis & dæmonibus deſtinatum, deſcendere optarit: præſertim cum & vox hæc nunquam pro loco capiatur, in quem damnatorum animas deſcendere omnis credidit antiquitas, quem moderni Rabini gehennam appellant. Quam ſententiam vt confirmet ac veriſimiliorem reddat, duorum antiquorum Rabbinorum adhibet teſtimonia; primum eſt Rabbi Moyſes Ægyptii dicentis, *Supplicium quo cruciantur ſcelerati aſſerunt eſſe gehennam, quem locum dicunt eſſe ardentem flammis, vbi vna cum corpore, ſunt comburendi impii, non vno quidem ſuppliciorum genere, ſed adeo variis & exquiſitis, vt longum ſit recenſere.* Alterum eſt Rabbi Aben Eſræ, qui interpretem Chaldæum hic coarguit, quod verbum *Scheol*, gehennam interpretatus ſit.

In ſua recognit. Pentateuchi.

Lib. de reſur.

Eiuſdem quoque opinionis exſtitit Cardinalis Caietanus, ac locum hunc Geneſeos de ſepulchro expoſuit: perinde ac ſi dixiſſet Iacob: omnem ſe conſolationem reſpuere, inque continuo luctu ad vſque mortis & ſepulturæ tempus velle verſari, quin & paratum ſe in alterum mundum deſcendere, vt dilectum ſibi Ioſeph videat. His accedit & Vatablus in litteris Hebraicis verſatiſſimus, dicens, hiſce verbis Hebraicam quandam loquendi rationem includi, ſcilicet viuere mortuo filio iam non potero, ſed neceſſe me eſt præ luctu & cordis amaritudine emori. His adſtipulatur & Lipomanus in Catena, aitque ex hiſcè verbis hunc ſenſum elici poſſe. Adeo me triſtis ille de morte Ioſeph nuncius affligit & afficit, vt vitam abrupturus ſim, ipſeque lachrymari non prius deſinã quam ad patres appoſitus fuero. Item Pagninus, & his omnibus ætate & tẽpore prior Alcuinus, Venerabilis Bedæ diſcipulus, & Caroli Magni Præceptor: *An etiam inferni nomine ſepulchrum ſignificant? Quaſi diceret, In luctu manebo donec me terra ſuſcipiat, ſicut illum recipit ſepulchrum.* Quis omnes haſce opiniones inter ſe conciliet? quis hos inter tantas componat lites?

Alcuin q ſuper Gen.

Sed verior & ſanior, meo quidem iudicio, opinio eſt eorum, qui per verbũ *Scheol*, hoc & aliis plurimis Scripturæ locis vſurpatum, infernum locum illum ſubterraneum, damnatorum ſuppliciis deſtinatum, exponi crediderunt.

Ac prima quæ eos ad hoc docendum impellat ratio, eſt, quod ſeptuaginta hic vt & alibi, hanc vocem per Græcum ᾅδης interpretati ſint: quod non aliter quam per infernum exponi poteſt, ac nemo vnquam exſtiterit, qui ſepulchri ſignificatione extulerit. Deinde Chaldæus paraphraſtes hanc ipſam, hoc loco *pro gehinna* interpretatus eſt, quæ nunquam aut nuſquam pro ſepulchro in ſacris voluminibus exponitur. Ipſe quoque Hieron. qui in harum linguarum cognitione imprimis excelluit, non aliter eam, quam per *infernum* extulit. Auguſtinus item hunc locum interpretatus, ait, *infernum* eadem hic ſignificatione accipi: ac quæſtionem inſtituit, Quomodo Iacob, ærumnis ſaturatus infernum adire voluerit, in quo certus erat, filium non eſſe, aitque hic hominis ex-

Digitized by Google

qua nulla temporum indicia aut dimenſiones horarum, in qua nonniſi tenebræ videntur, nonniſi gemitus & vlulatus audiuntur, nonniſi mephitis & odor teterrimus percipitur: terra, inquam, adeo à cœlo, Deo, Angelis, omnibuſque creaturis remota. Quis, inquam, non reformidet in mundi fundo, in abyſſo è qua egredi non liceat, atque ſub omnium creaturarum pedibus viuere? Abſit, eſt enim miſerum, horrendum, intolerabile. Quamobrem inſenſate & demens peccator rerum tuarum ſatage, iter aliud ingredere, tandem reſipiſce, viam illam latam deſere, quæ ad interitum ducit, *Recordare nouiſſima* ac præſertim quæ ad infernum ſpectant, *& in æternum non peccabis.* Eccl. 7.

Et eſt quam veriſſimum, Domine metuende & tremende, eum qui hæc in mente habuerit: huc oculos & cogitationes intenderit, nihil vnquam aduerſus maieſtatem tuam commiſſurum, locique tam horrendi aſſiduam meditationẽ nimium quantum ad omnes peccandi occaſiones reſcindendas ſufficere. Si enim exilii metus ac peregrinæ regionis incolatus, ſuppliciorumq; terror, rebelles & ſeditioſos intra lineam contineant, & Principibus obedire cogant: quid an non inferni apprehenſio, exilii perpetui & quidem in terra deſerta & inaquoſa, locoque incognito & barbaro formido, tantorum deinde cruciatuum, tormentorũ, ſuppliciorumq; cogitatio, peccatorem impellant, ac quodammodo cogant, vt diuinam maieſtatem colat, adoret, reuereatur, legibus eius obtemperet, voluntati obſecundet, eiuſque iuſtitiam & vltionem reformidet? Nullus ſane te vnquam Domine offendere præſumat, ſi cogitet quid ſit infernus; ſi cogitet lacum eſſe flammas & ſulphur euaporantem, puteum perpetuis ignibus æſtuantem, abyſſum denſiſſimis & palpabilibus tenebris obſitam, quam ſol radiis nunquam illuſtrat, in qua nullæ apparent ſtellæ, quam nulla voluptas ſed luctus aſſiduus & ſempiternus horror inhabitat; eſſe deniq; locum omnium locorum infimum & abiectiſſimum, & haud procul a terræ centro conſtitutum. Tu autem & etiam nobis præſta Domine, vt eundem ſemper præ oculis habeamus, eiuſque horrorem metuamus, horrentes abominemur, abominantes recte ad cœleſtem patriam contendamus, in qua omnis noſtra, & quidem perfectiſſima beatitudo ſita eſt, quam elargiri nobis dignetur, qui in ſæculorum ſecula viuit & dominatur Deus. Amen.

FERIA TERTIA.

DE POENIS INFERNI.

Partitio.

I. *De pœnis ab irato iam Deo illatis generatim.*
II. *De variis damnatorum pœnis.*
III. *De duabus aliis pœnis ſingularibus.*
IV. *De pœnarum diuerſitate pro delictorum qualitate.*

Memorare nouiſſima tua, *& præſertim ſupplicia, quæ in inferno ſubeunda ſunt*, & in æternum non peccabis. Eccleſ. 7.

FIGVRA.

VIRTVTVM omnium, ac præſertim patientiæ ſpeculum Iob, ærumnas ſuas deplorans, terram quandam barbaram & inamœnam depingit, quam terram miſeriæ vocat & tenebrarum, opertam mortis caligine, quã vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror ac confuſionis chaos, calamitatumque iliades inhabitant. Hanc cum ipſe mecum perpendo, non poſſum quin mihi perſuadeam, ſanctiſſimum illum virum infernalem terram deſcribere, eiuſque ſuppliciorum grauitatẽ, ac tormentorum quæ impii in illa ſubeunt acerbitatem, ob oculos ponere voluiſſe. Illa enim vere, terra miſeriæ & tenebrarum, & mortis caligine operta appellari poteſt, in qua lumen nunquam effundit, vbi nullus dies, aut horarũ indicia ſunt. Terra, in qua nonniſi mera nox, ama- Iob. 10.

ritudo & acerbitas, nonniſi tormenta & ſupplicia. Terra, qua nulla in mundo infelicior aut deteſtabilior, & cuius ſupplicia pœnæque ſunt infinitæ: quas hodie ſingillatim deſcribere, vobiſque ad oculum demonſtrare conabor, auxiliantibus nimirum ſanctiſſimo Paraclito, & glorioſa Deipara Maria, quam proinde ſalutatione, quam ſanctiſſimus Spiritus per Angelum pronuntiauit, compellemus:

AVE MARIA.

I. Ipſa nobis fides, ſacræ literæ, ratioque naturalis demonſtrant, quo Deus iuſtus dicatur; neceſſarium eſſe credere, in altero mundo locum eſſe in quo impios poſt mortem excruciet, ſuamque illos iuſtitiam, quam interea dum viuerent, ante oculos non habuere, faciat experiri. Teſtatur id Vates Regius dicens: *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos: pacem peccatorum videns; quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum; in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. ideo tenuit eos ſuperbia. Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias: exiſtimabam vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum.* Pſal. 72. Quaſi diceret, Cogitationes meæ, quæ ſunt veluti pedes animæ, quibus per omnia diſcurrit, & ambulat, pene commotæ ſunt & concuſſæ, dum peccatorum veſtigia conſector, & ab iiſdem moueor, vt in eorum partes concedam, cum videam quanta pace rerumque omnium affluentia perfruantur. Quod vero inprimis me permouebat, erat, quod viderem eos etiam diutius aliis viuere, & ſi qua interdum eos premeret aduerſitas, eandem noua ſuperueniente proſperitate, auferri, *Non eſt firmamentum in plaga eorum.* Ibid. Adhæc exemptos illos eſſe ab omnibus calamitatibus, quibus communiter homines obnoxii ſunt; ſed diuitiarum, honorum, deliciarumque torrentes illis vltro quam abundantiſſime affluere. Hæc omnia dum mecum tacitus voluerem, ſperans aliquam me huiuſce fœlicitatis tandem anſam inueſtigare poſſe; fruſtra fui, donec & arcana prouidentiæ tuæ adyta ingreſſus, vidi quanta eoſdem poſt alteram vitam manerent ſupplicia, tormenta, calamitates. Tunc nimirum aduerti, nullum eorum à tormentis immunem aut exemptum eſſe, teq; eoſdem, licet hic in pace agant, deliciis abundent, inſolentius ſeſe gerant, & cornua extollant, grauiſſime puniturum.

Quam dextre ſcopum tetigiſti, ô Vates, quam Chriſtiane hic philoſophatus es! nam ita reuera ſeſe res habet, non minus enim principis alicuius prudentia ac ſapientia in caſtigandis nefariis ac ſceleratis, quam in proborum bene meritorumq; compenſatione relucet. Quod ipſum ſanctiſſimus Propheta Iob de Deo noſtro viſus eſt inſinuaſſe; qui nullum ſcilicet delictũ relinquat impunitũ, nullumque opus bonum, quod non ampliſſima mercede compenſet: *Verebar omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti:* Iob. 9. quippe qui iam inde à mundi exordio ad delictorum caſtigationem infernum conſtitueris. Quo etiam trahere poſſumus verba illa Pſalmiſtæ: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi;* Pſal. 100. illam ſcilicet oſtendis interea dum hic viuimus, hoc vero poſt mortem.

Idipſum & è plurimis aliis Scripturæ locis manifeſtum redditur, & præſertim è Pſalm. 93. in quo cum ſecundum vulgatam legatur: *Qui corripit gentes, non arguet.* Chaldæus Paraphraſtes legendum monuit: *An poſſibile eſt, quod ille qui dedit legem populo ſuo, cum peccauerit, non arguet eos?* E quibus omnibus efficitur, nihil omnino impunitum remanere, & impiorum delicta, ſi hac in vita digna caſtigatione non plectantur, grauiora durioraque in altera flagella promereri, & acerbiſſime caſtiganda; Ideoque ingens diuinæ illius bonitatis clementiæque argumentum eſt, quando aliquos hoc in mundo corripit; quoniam fit hoc quam leuiſſime & nonniſi obiter, at in altero ſeueriſſime ac ſine vllo benignitatis reſpectu caſtigaturus eſt.

Quando virgã Moyſis in ſerpentem commutatam legimus, veram correptionis huius fi- Exod. 4.

ius fi-

ius figuram videmus: per virgam enim deſignari eandem certiſſimum eſt. Vnde Pſalmographus: *Virga tua & baculus tuus ipſa me*
Pſal.22. *conſolata ſunt*. Item alibi: *Viſitabo in virga iniquitates eorum.*
Pſal.88. Hanc porro virgam Deus, quamdiu hæc vita ducitur, in filiorum ſuorum correptione inſtar patrisfamilias alicuius adhibet; ſed in altero mundo eadem in ſerpentem, (id eſt, in ſeueritatem vigoremque) conuertetur. Mutationem hanc & metamorphoſim dilucidius explicatam videre
Pſal.2. vultis, audite Pſalmiſtam dicentem: *Reges*
Apoc.2. *eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. Quam ferus enim coluber eſt virga ferrea? Ita namque quidam ſæculi noſtri auctor, hanc comparationem inſtituit: *Quid*
Exod.4. *per virgam*, inquit, *niſi dulcis correctio Domini deſignatur, ſed hæc virga in draconem vertitur, quando leuiter correcti emendare ſe nolentes, in alio mundo grauiſſime puniuntur.* Hocquidem in Ægypto apertiſſime viſum eſt.

Ac multo deinde poſt in Iudæa aliud haud omnino diſſimile, Ieremiæ Prophetæ à Domino demonſtratũ eſt. Vidit ille namq; virgam vigilantem, & illam deinde in ollam ſuccenſam conuerſam. Quo aliud non deſignatur, quam Deum in hoc mundo nonniſi virga correctionis, vti, at in altero ferrum & ignem vſurpaturum, eiuſq; iuſtitiam quam modo eſt, multo grauiorẽ fore. Ictus enim quos nunc infligit, nonniſi flagellorum ac virgarum ſunt, vt vbi eoſdem peccatores ſenſerint, vitæ emendationem inſtituant, atque oportune reſipiſcant.

Solet adhæc, virga ad excutiendum è veſtibus puluerem ſordeſque detegendas adhiberi, hoc & facit Deus, cum nos correctionis ſuæ virga corripuit, hominũ namq; eadem conſcientias emundat, peccatorum venialium puluerem excutit, omneſque vitæ huius ſordes aufert. Docuit me hoc ſacra Scriptura, nam in Iſaia legitur Dominus tyrannos, quos ad peccata populi ſui caſtiganda immittebat, virgæ nomine, & quidem virgæ furoris, & baculi indignationis, nuncupaſſe, *Væ Aſſur, virga furoris mei, & bacu-*
Iſai.10. *lus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea.* Per Aſſurem hunc, Sennacherib Aſſyriorum regem intellexit, quo ad populum Iudaicum corrigendum puniendumque vſus eſt: porro, vt paterfamilias virgam, caſtigatione peracta, igni inijcit, ita ipſe punientem puniuit, & ignibus æternis addixit.

Dicendum eſt igitur, vitæ huius correctionem, correptionemque nonniſi virgam eſſe, ſed alterius, ignem & fornacẽ æſtuantem. Felices igitur ter & amplius, quos hac in vita virgis percuti contigerit, quo ab æterna caſtigatione, & alterius ſæculi pœnis liberi eſſe queant. Hinc ſupplex Dominum orabat ſanctiſſimus Auguſtinus, ſic vt hic, quo In oratior
in æternum parceret, flagellaret: *O Domine* eius hęc
hic ſeca, hic vre, hic non parcas, vt in æternum ba inueniű
parcas. Item Manaſſes Rex: *Domine, remitte* tur ante ter
mihi, & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus tiű li. Eſdrę.
meis, neq; in æternum reſerues mala mihi. Nihil igitur ſunt flagella, quæ hac in vita infliguntur, at quæ in altero mundo infliguntur, magna ſunt & metuenda: illa in momento pertranſeunt, hæc in ſempiternum durant, & duratura ſunt, tamq; horrenda ſunt, & enormia, vt ſi vel ſemel eadem in mente haberemus, nunquam Dominum gloriæ offenderemus: dicit enim Sapiens: *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. Eccl.7.
De hiſce flagellis hodiernam concionem inſtituam, quam in duo membra diuidam: primo declarabo, quam varia & multiplicia flagella ac ſupplicia ſint, quæ damnati apud inferos ſuſtineant; altero vero diſputabo, num ſupplicia hæc æqualia ſint, & num omnes ad eadem tormenta ſubeunda condemnati. Quæ duo, ſi ſolita me dicentem beneuolentia attentioneque proſequamini, vobis apertiſſime magnaque cum vtilitate declarabo.

Principio igitur, quemadmodum *Beatitudo*, teſte Boetio, *ſtatus eſt omnium bonorum aggregatione perfectus*: ita damnatio ſtatus eſt omnium malorum aggregatione perfectus. II.
Et vt Paulus de æterna beatitudine ſcripſit:
Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe: 1.Cor.2.
ita mutatis terminis, de infernalibus ſupplicijs dicere parodice poſſum: *Nec oculus vidit*,

plicia intolerabilia! ô tormenta inſupportabilia!

Quæ cum Pſaltes attentius perpenderet ad peccatores conuerſus exclamat, *Deficiant peccatores à terra, & iniquita vt non ſint.* Non poſtulat eoſdē hic deficere quoad ſubſtantiam, ſed quoad delicta, vt nimirum peccare deſinant, & diuinam maieſtatem ad iracundiam prouocare: vnde efficere vult, tantæ attentam horum ſuppliciorum meditationem efficaciæ eſſe, vt nullus, qui eadem mente voluat, diuinam bonitatem amplius poſſet offendere. Atq; hoc eſt, quod & alio loco ait, *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei*, omnia delicta tam attrocibus ſuppliciis caſtigantis; itaque à via iniquitatis declinent.

Pſal. 103.

Pſal. 97.

Vtinam cor veſtrum, Auditores, hodierna die inſtar ceræ emolliatur, liqueſcat, ac diffluat, non quidem ad conſpectum & radios ſolis, ſed ad calorem ignium infernalium, ad ardorem ollæ illius ſuccenſæ: vtinam hodie peccatis valedicatis, vitam in melius cōmutetis, vtinam terribilibus auditis ſuppliciis ſancto quodam timore percellamini! Et merito quidem. Non enim aliud Ioann. Caſſianus ad ſæculi ſui peccatores conuertendos remediū adhibet! *Quis ergo*, inquit, *fidelium hæc audiens & talia ſciens non contremiſcat? Digito ignem modicū tangere horremus, & quomodo non formidamus in ignis rogum ligatis manibus & pedibus conijci?*

In confeſſ. Theo. par 3.

Iubar illud Eccleſiæ Orientalis Chryſoſtomus idipſum ſæpius pro concione dicebat; *Quando ingredimur carcerem regium, & videmus ibi alios catenis oneratos, alios mortuos fame, alios ſqualidos & pallidos, alios in tenebris clauſos, neſcientes quando ſit dies vel nox, horremus: quid ergo erit videre carcerem illum Dei, vbi tot captiui, tot tormenta, &c.* Merito igitur his viſis vel auditis percelli debetis: quamobrem hæc ſemper animo inſculpta gerite; alia proferam è quibus de eiuſdem miſeria diiudicare poteritis.

Hom. 5. in 1. ad Cor. c. 2.

Idem qui ſupra Caſſian. Presbyter Maſſilienſis, magni olim Chryſoſtomi diſcipulus, qui ſub Imp. Honorio & Theodoſio Iuniore in Eccleſia floruit, miſerrimam damnatorum conditionem eorumque tormenta & cruciatus depingens, quaſi nullis eadem exprimi verbis poſſent exclamat: *Sed dicere quis valeat, qui impiis & male viuentibus tormenta ſunt præparata? in ipſo enim continuo mortis loco qui infernus appellatur, quid aliud niſi ignis, flamma, perſeuerans tribulatio, & perpetua pœna, atque infinita totius mali calamitas eſſe poteſt.*

Eod. loco quo ſupra.

Multo adhuc terribilius eſt, quod Iobo Prophetæ Sophar Naamitides reſpondens ait, *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti: luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur: iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum, deuorabit eum ignis qui non ſuccenditur.* O verba horrenda, quæ vel ferreum cor emolliant! Omnia ſcilicet ſuppliciorum, tormentorumq; genera eos diuexabunt: dolor capitis, dolor dentium, dolor renum, ſtomachi cōmotio, conuulſiones iliorū, cerebri concuſſio, angina incurabilis, ſuffuſiones, parotides, chiragra, gangræna, aliique dolores infiniti: *Ibi dolores vt parturientis*, ait Dauid; *Dolores parturientis venient*, ait Oſee. Quo & Dominus in Euangelio reſpexit; cum enim de ſignis iudicium præceſſuris egiſſet mox ſubnectit, *Hæc autem omnia initia ſunt dolorum*; & in Marco, *Initium dolorum hæc:* perinde ac ſi dixiſſet, Videre ſolem obſcuratum, lunam deliquium patientem, ſtellas cœlo cadentes, audire tonitrua & fragores in aere, terræ motus aſſiduos, beſtiarum vlulatus, videre exareſcentes herbas, homines eiulantes, totum orbem denique incendio pereuntem, nonniſi initia & præludia dolorum infernalium ſunt.

Iob. 20.

Pſal. 74.

Oſea 13.

Matth. 24.

Moyſes cum olim Dei iuſſu populo comminaretur, his eum verbis allocutus eſt, *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* Dic veritatem Moyſes, an non ſub hiſce cōminationibus inferni ſupplicia delineare voluiſti? Illic enim Deus merito indignatus omnia malorum genera congregat, vt impios & damnatos caſtiget, inque eos omnes furores ſui ſagittas eiaculetur. Illic quippe omnia ſupplicia congregabuntur, & vnum velut in locum colligentur, illic pecca-

Deut. 32.

Digitized by Google

vita eſt, motus ceſſabit, ideoque nulla amplius generatio, corruptio, aut corruptibilis commutatio in rerum natura dabitur: ſed erunt nihilominus vertigo quædam capitis, & terribilis oculorũ ſuffuſio, vt è verbis ſupra allatis etiam demonſtrari poteſt. Nam impiorũ corpora nõ modo exterius affligẽtur, verum etiã interius & à reb.iſitis, idq; iuxta bonas ac prauas animæ inclinationes.

Quidquid ſit, certiſſimum eſt infœlices illos ac miſeros ex igne in aquam, è calore in glaciem, è caminis in ſtagna detrudendos. O horrenda commutatio & pœnarum renouatio? & ꝙ omnium grauiſſimum eſt, nemo eorũ miſerebitur, ſed homines ſimul & Angeli in eorũ interitu lætabuntur, imo & longe maiores & acerbiores illis cruciatus exoptabunt. Teſtatur id vates regius, *Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum: ſecundum opera eorum tribue eis, redde retributionem eorum ipſis.* Ita quidem Chriſtus Iudæis ſuis crucifixoribus imprecatus videatur, ſed myſtice eadẽ verba de Sanctis, damnationẽ & interitum impiis exprobrantib. intelligi queunt, dicentibus, aſſidue, Vlciſcere Domine peccatores, caſtiga iam impios ſecundum opera eorum, pœnamque quam peccando promeruerunt, inflige: vnde & alibi, *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Pſal.27. Pſal.57.

Quid? itane ô Angeli, itane Sancti in aliorum calamitate ridebitis? an neſcitis, afflicto non eſſe dandam afflictionem? Et ecce, damnatis hiſce nouum cruciatum arceſſitis. Idumæi cum viderent Babylonios in Ieroſolymitanos graſſantes, omnia circumquaque deuaſtantes, tantum abfuit, vt eos ad clementiam moderationemq; adhortarentur, vt ſuaſerint etiã in lapides ſæuire, & omnia funditus conuellere & euertere. Vnde vates hæc omnia præſagiens dixit, *Memor eſto filiorum Edom, qui dicunt, Exinanite, exinanite, vſq; ad fundamentum in ea.* Idipſum de vobis, ô glorioſi ſpiritus animæque cœleſtes, dicere poſſumus: tantum enim aberit, vt damnatorum vos capiat miſeratio, vt Deum ipſum vindicẽ illum acerrimum exſtimulaturi ſitis vt tormenta & cruciatus adaugeat. Sancti quippe cum diuinam eſſentiã contemplantur, eadem ſimul opera eiuſdem voluntatem vident, videnteſq; eidem ſeſe adaptant, adeo vt nihil velint aut nolint, quam quod illa velit aut nolit. Ita quoque dicendum eſt damnatorum eos ſupplicia, Deumq; iuſto furore accenſum contemplari, & ideo fieri, nulla vt erga eos compaſſione tangantur, ſed in illorum interitu cruciatibuſque exultent ac iubilent. Quod exemplo Patris Abraham confirmat Magiſter ſententiarum, qui nullis Epulonis precibus flecti, nullis obſecrationibus ad compaſſionem poterat excitari, adeo vt ne vel aquæ guttam eidem in ardoris leuamen dare voluerit. Pſal.136. Luc.16.

Euangeliſtæ cum Iudæorum crudelitatem ferociamq; quam erga vnigentum Patris exercuerant, deſcriberent, aiunt, eoſdẽ Chriſto in crucẽ acto inſultaſſe, exprobraſſe, improperiorum contumeliarumq; plauſtra in eum congeſſiſſe: *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei,* quin & ipſe per Prophetam de hac eorum impietate conqueſtus eſt, *Omnes videntes me, deriſerunt me.* Erat profecto inſignis illorum crudelitatis argumentum, æterni Patris filium in tormentis conſtitutum ridere, ſubſannare, & exſibilare. Idipſum de cœleſtibus illis ſpiritibus dicere poſſumus, riſuros nimirum & ſubſannaturos, quando damnatos in cruces actos, fornacibus ardentibus immerſos, ſuper ardẽtiſſimas prunas extenſos, in flamma ſepultos, in rotis denique tortos conſpicient. Ipſe quoque Dominus vindex in miſeriis eorum lætabitur & ridebit: *Tu Domine deridebis eos.* O dulcem crudelitatem! ô inhumanitatem vere iuſtam, & ex æquo demonſtratam! Matth.27. Pſal.21.

Caſtitatis exemplum Suſanna, cum ad ſupplicium adulterii inſimulata raperetur, omnes qui eandem nouerant, lachrymabantur, eiuſque calamitati condolebant: at quando damnati, variorum adulteriorum rei, in ignem æternum, ad vincula, cõpedes, & cruces, aliaq; ſuppliciarapiẽtur, nullus omnino eorum malis ad miſericordiã flectetur. Adeo vt illud Prophetæ merito vſurpare queant, *Suſtinui qui ſimul cõtriſtaretur, & non fuit,* Dan.13. Pſal.68.

& qui conſolaretur, & non inueni. Atque hoc omnium miſeriarum malorumq; maximum eſt. Iam vero videndū reſtat, quomodo ſupplicia illa ſingulis impoſita ſint, & diſpiciendum, num omnes eadem patiantur, quod initio facturos nos promiſeramus.

IV. Non eodē omnes modo apud inferos caſtigabuntur. Dicendum eſt igitur, non eadem omnes in tartarea illa regione ſupplicia perpeti, aut eodem ſingulos modo cruciari, ſed vnumquemq; iuxta numerum ac grauitatem ſcelerum, caſtigari: qui enim magis enormia crimina cōmiſere, grauius quoq; cruciabuntur. Hoc nempe ad diuinā iuſtitiam ſpectat, quæ tam in caſtigandis improbis, quam in remunerandis iuſtis eluceat neceſſe eſt: idque iuxta Pſalmiſtæ ſententiam, *Iuſtus Dominus*, & in damnatione impiorum, & in remuneratione Sanctorum, *& iuſtitias dilexit, æquitatē vidit vultus eius.* Perinde ac ſi dixiſſet, Iam quinq; annorū millia euoluta ſunt, ex quo ſummus ille Deus cœlorum terræq; dominium tenuit, omnia nutu ſuo direxit ac moderatus eſt, ex quo totius orbis homines iudicauit, ex quo tot decreta & ſententias pnuntiauit. Iudicauit quippe Angelos & Adami poſteritatem, ſententiā venturi diluuii tulit, condēnauit Sodomitas, Ægyptios ſubmerſioni & abyſſis adiudicauit, aliaq; iudicia tulit: nemo tamen vnquam exſtitit, qui eundē iniuſtitiæ coarguat, aut etiam in minimo iniquum fuiſſe audeat confiteri: *Nam iuſtitia Domini recta*, & de eodem alibi ſcriptum eſt, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Adeo vt in hac impiorum condemnatione iuſtitia illius inprimis eluceſcat. (Pſal. 10.) (Pſal. 18.) (Pſal. 44.)

At non meminiſti parabolæ illius Euangelicæ, in qua vineæ cultores cum patrefamilias expoſtulabant, quod eodem omnes donatos ſtipendio dimitteret? Audite eorū querelas, *Hi nouiſſima hora venerunt: & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Quanto maiori cum ratione duorū vel trium tantum criminum rei cum Deo expoſtulare poſſent, ſi tam grauia ſupplicia paterentur, quam ii qui infinitis ſe criminibus obſtrinxiſſent. Erit igitur cruciatuū ac tormentorum diuerſitas, ac ſinguli diuerſimode cruciabuntur. (Matth. 20.)

Ita namque ſenſit magnus Gregor. explicans enim verba illa Iob, *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, ait, *Quomodo in ſuppliciis ordo non erit, dum damnatorum quemque iuxta modum criminis retributio ſequatur vltionis.* Erit quidē hac in re ordo & diſtinctio ac in cæteris mera confuſio & chaos. Grauiter namque torquebuntur fornicatores, grauius adulteri, ac grauiſſime ſacrilegi, inceſtuoſi, atque omnium maxime Sodomitæ. Non erit igitur eadem in ſingulis ſuppliciorum ratio. (Iob. 10.) (Lib. 9. mor. cap. 47.)

Hinc bene olim Salomon, *Potentes potenter tormenta patiuntur, & fortibus fortior inſtat cruciatio.* Nam quemadmodum peccata inter ſe diſtincta ſunt, ita quoque ſupplicia iiſdem debita diuerſa ſunt: neque enim dominus & ſeruus, Princeps & ſubditus eodem torquebuntur modo: ſed ſicut peccata regum ac Principum peccatis populi grauiora ſunt, ſic etiam eorum damnatio grauior & acerbior erit. De meretrice illa Babylonica etiam ſcriptum legimus, *Quantum glorificabit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Per Babylonem hanc, cui hæ minæ intentantur, intelligendæ ſunt peccatorū animæ: quæ cum in abyſſos illas tartareas deciderit, tantum dolorum ac cruciatuum tolerant, quantum hic prius deliciarum ac voluptatis habuerunt. Et hæc omnia quam iuſtiſſime. Figuras huc facientes producamus. (Sap. 6.) (Apoc. 18.)

Præcepit olim Ezechiel Prophetæ Deus, vt nouacula comas & barbam raderet, ac ſegmenta & pilos trutinæ impoſitos ponderaret, inque tres eoſdem partes diuideret, primam in medio ciuitatis combureret, alteram gladio in eiuſdem circuitu concideret, tertiam vero in ventos diſpergeret, & gladium manu vibraret. Quodnam hoc ænigma eſt, Auditores? litteraliter quidem de Iudæorum calamitate ac miſeria intelligi poteſt, qui corraſi ac patria ſua Babylonico gladio ciecti, diuinæ vindictæ trutinā ſubierunt: pars igne conſumpta, pars ferro neci data, pars in captiuitatem abducta, gladium ceruicibus imminentem habens, ſed tropologice hic ſuppliciorum, quæ apud inferos damnati ſubeunt, diuerſitas deſignatur, qui inſtar crinium quiſquiliarumque (Ezech. 5.)

que

ſque ſuperfluarum quadam die è mundi huius capite, ſummi iudicis gladio (de quo in Pſalm. 7. mentio eſt, *Gladium ſuum vibrauit.*) reſecti, eiuſque iuſtitię bilanci impoſiti, partim igni in medio magnę illius ciuitatis Plutoniæ tradentur, partim in minutas particulas concidentur, & ferro necabuntur, partim etiam in captiuitatis æternique exilii auras diſpergentur, nudum ſemper mucronem ante oculos conſpicantes. An non igitur omnia hæc ad amuſſim materiæ noſtræ quadrant? an non hinc manifeſtum redditur, non eadem omnium damnatorum eſſe ſupplicia?

Melius idipſum Dominus in Euangelio cum de zizaniis ageret, demonſtrauit; dicit enim patrēfamilias meſſoribus dixiſſe: *Colligite primum zizania, & ligate ea in faſciculos ad comburendum.* Deſignare ſcilicet vult, peccatores, qui vere zizania nuncupari poſſunt, in mundi huius agros conſitos, tempore meſſis, i.e. iudicii generalis die collectum iri, & in faſciculos colligandos, magnos ſcilicet cum magnis, paruos cum paruis, vt ita omnes pariter tantum in ignem cōiiciantur, quo ſecundum delictorum maleficiorumq; grauitatem exurantur. Ita nempe locum hunc interpretatur Gregorius Pontifex: *Faſciculos ad comburendum,* inquit, *ligare, eſt eos, qui æterno igni tradendi ſunt, pares paribus ſociare, vt qui ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat.* An non hoc ex mente noſtra eſt interpretati?

Matth. 13.

Gregor. in Euang.

Huc quoque viſus eſt reſpexiſſe Gentium Doctor Paulus, cum ait, varia in magna familia vaſa reperiri, alia nimirum aurea, alia argentea, alia lignea, & figlina, illa quidē in honorem & decus, hæc vero in contumeliā & dedecus, & pro eorum varietate varia iiſdem aſſignata eſſe loca. Ad huius imitationē dicere poſſumus, vniuerſum hunc terrarum orbem, inſtar palatii cuiuſdam ampliſſimi, variis vaſis repletum eſſe, his quidem aureis & argenteis, i.e. iuſtis, illis autē ligneis & fictilibus, i.e. peccatoribus: hos eſſe ad gloriā, illos ad contumeliam & opprobrium ſempiternum deſtinatos; deinde varia his in cœleſti aula, & illis apud inferos in regno Plutonio loco ſedeſq; aſſignatas eſſe. Præcepit olim Dominus Noacho, vt plurimas in Arca manſiunculas inſtitueret, vt vnumquodq; in ijs animal iuxta naturæ ſuæ præſcriptum diuerteretur, aues nimirum cum auibus, lupi cum lupis, leones cum leonibus, atq; ita ſingula cum ſui ſimilibus; vt quemadmodum inter ſe ſpecie non diſcrepabant, ita quoque loco & ſedibus non differrent, ſed eſſent velut contubernalia. Mundus hic, Auditores, vera quædam arca dicendus eſt, ſed omni animalium genere refertiſſimus; quibus omnibus ſapiens ille Noë Deus diuerſas manſiones ac receptacula dedit; in ſuperiori quidem parte, i. cœlo, animas illas ſubtiliores ac meritorum pennis in ſublime elatas, Sāctos, inquam, & juſtos, commorari voluit: in locis vero humilioribus, i. apud inferos, peccatores, bruta illa animalia & naturæ ſtupidioris, collocauit. Fecit adhæc in duobus hiſce locis etiam aliquas diſtinctiones vt illi pro meritorum, hi pro delictorum magnitudine & numero, mercedem reciperēt. Hinc fortaſſe factum, vt, cum in Sacris litteris ſedium illarum ſubterranearum carceriſq, Plutonij mētio incidit, plurali plerumq; numero, Inferorum, id fiat: vt & in Symbolo Apoſtolorum, *deſcendit ad inferos*: quo hinc manifeſtum fieret, plurimas apud manes habitationes eſſe, & carcerem illum plurima habere receptacula, in quibus tum damnati, tum diaboli vinculis conſtricti ſint.

2. Tim. 2.

Gen. 6.

Figura.

Thomas ille Aquinas, omnium ingeniorum facile ſummum, omniumq; Theologorum corypheus, apertiſſime quoque, vt omnia, demonſtrat, ſ. quemadmodum varij in cœlo gloriæ gradus ſunt, & nō eadem ſingulorum beatitudo ac fœlicitas, iuxta verba illa Domini: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt,* idq; propter meritorum virtutumq; differentiam, ita quoque apud inferos plurima tormentorum ſuppliciorumq; genera, propter delictorū varietatem ac diſcrimen reperiri. Teſtis accedat Magnus ille Gregorius: *Licet,* inquit, *gehenna cunctis vna ſit, non tamen cunctos vna eademq; qualitate ſuccendit* quod & egregia quadam ſimilitudine confirmat.

3. Par.

Ioan. 14.

Libr. 9 Mor. c. 47. & ſuper Euang.

Nam quemadmodum in æſtate Syrio ſtella omnia adurente, & per terras graſſante, omnes quidem eundem Solem, ſed non eundē calo-

Simile.

colorem ſentiunt, aut non tantum ille quantum ille, propter diuerſam corporum diſpoſitionem, ſudat. Adeo vt qui teneriores, & delicatiores, citius & vehementius ſudent, quam robuſti & ſanguinei, aulici quoque citius quam ruſtici aut opifices, mulieres delicijs aſſuetæ, prius quã rurales aut mulctralibus aſſuetæ: *Ita*, inquit magnus ille Doctor, *damnatis eſt vna gehenna quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hic agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.* O ſententiam & conceptum tanto dignum Pontifice! ô ſimilitudinem ſcite adaptatam. Ecce & aliam.

Aliud. Videmus quotidiana experientia, igne accenſo non eodem modo paleas, lignum, ferrum aduri aut conſumi, nec eodem in tria hæc modo flammam agere; paleas namque quam celerrime abſumit, lignũ maiori cum vehementia: ferrum denique nonniſi ſumma vi; inprimis calor quidam mediocris eſt in ſecundo vehementior, in tertio autẽ vehementiſſimus. Ad eundem modum, fide & rationibus certiſſimum eſt, ignem quidem infernalẽ nonniſi vnicum eſſe, & tamen non eodem omnes damnatos modo adurere, ſed hos leuiter, illos grauius, alios vero grauiſſime; homicida enim vehementem quidem ardorem ſentiet, ſicarius vehementiorem, at vehementiſſimum ac propemodum intolerabilem, qui parricidali manus ſanguine cruentauit.

De vera pænit. c. 3. Comparationi meæ ſuffragatur doctiſſimus Ephrem, dicens: *Sicut ſunt peccatorum differentiæ, ita ſunt & cruciatuum varietates: aliter enim cruciatur adulter, aliter fornicator, aliter homicida.* Nec in ipſis quidem tribunalibus ciuilibus, eadẽ omnes malefici ſupplicia ſubeunt, neue omnes in crucẽ aguntur: his enim crura & oſſa ferro comminuuntur, illi capite truncantur, his candenti ferro carnes aduruntur, illos flamma in fauillas redegit, alios denique equi, in diuerſa agitati dilaniant, atque aliis alii ſuppliciis afficiuntur, quod ipſum & de diuino tribunali ſentiendum eſt.

Lib. Medit. c. 3. Proferat & hic ſuum ſymbolum Bernardus, audiamus quid ſentiat: *Iuxta qualitatem culpæ, pœnam ſuſtinebit vnuſquiſque gehenna, & ſimilis culpæ rei omnes ſimilib. iungentur cruciandi.* Omnes ſcil. ventri & gulæ dediti cum diuite Epulone vnum in locum cõpingentur, homicidæ cum Caino, auari & proditores cum Iuda Iſcariota, ſuperbi & contumaces cum Chore, Dathan, & Abiron, elati deniq; cum diabolis, vt quos I a uere in peccando velut exemplum & paradigma, apud inferos habeant ſocios & ſodales.

E quibus omnibus efficitur, eos grauiſſimis apud manes cruciatibus ſubditos eſſe, quia plura & grauiora hic peccata cõmiſerunt. Et ſane ſi dæmones vnam ob noxã, vel ſola cogitatione conceptã, tam acerbis cruciatibus affliguntur: quid imminere ſibi ſperent, qui innumeris Deum delictis ad iracundiam prouocare? Si lurco ille Euangelicus, quod epularetur ſplendide, & purpura quotidie ac byſſo indueretur, medias inter flammas ſepultus eſt: quæ ſupplicia, Deum immortalem! manent eos, qui tot quadrageſimarum ieiunia violarunt, luxum, libidinem, & ingluuiem tantopere conſectati ſunt? an non grauiores illis cruciatus expectandi? *Luc. 16.*

O horrendum ac vere miſerum! Miſerum vere, Caino, diuite epulone, ipſis quoq; dæmonibus maiores & acerbiores pœnas pati. Quis hæc audiendo non expalleſcat? ita tamen ſeſe res habet; nam ſicuti in cœlo hominum aliqui angelos in gloria & beatitudine ſuperabunt: ita quoque apud inferos reperientur, qui dæmonas in ſuppliciis tormentis doloribuſq, antecellent. O cruciatus intolerabiles!

Erunt in inferno, qui magis excruciabuntur quã ipſi dæmones.

Quamobrem peccatores, *ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Domino, inquam, cuius carceres ſunt infernales illi ſpecus, quiq; tot ad caſtigandos impios parata habet ſupplicia: *Apprehendite*, itaque, *diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius.* Expergiſcimini tandẽ aliquando, cum tam horrenda auribus veſtris verba inſonuerint. Recordamini nouiſſima veſtra, ac præſertim pœnas infernales, & in æternum non peccabitis. Si enim Niniuitæ, audito vrbis exterminio & clade & mortis nuntio, in cinere & ſordibus pœnitentiam egerint, ſacco membra *Pſal. 8.* *Ibid.* *Ion. 3.*

Digitized by Google

bra contexerint, triduanam per totam ciuitatem etiam animantibus ieiunium indixerint: quid vos facere par eſt peccatores, cũ vos ad mortem, & quidem æternam, ſuppliciaque intolerabilia propemodum condemnatos videtis.

1. Reg. 21. Si Achab, impius ille Rex, qui idolis immolabat, & Prophetas Dei ad necem perſequebatur, audita Eliæ Prophetæ comminatione, familiæ deſtructione, & filiorum interitu, veſtimenta lacerauit, cilicium induit, ieiunio carnem macerauit, dormiuit in ſacco, ſeſeq; coram Domino humiliauit; quid vos, ô inſenſati peccatores, facere æquum eſt, cum certi ſitis, tam graue vobis exitium, tam acerba ſupplicia, mortem adhæc ſempiternam imminere? an non hæc cilicium, cineres, lachrymas, auſteritatemq; promereri videntur?

Ion. 1. Propheta Ionas, diuini præcepti contemptor, cum in naui ſterteret, interea dũ tempeſtate cæteri iactarentur, nautæ accedentes, dixere: *Quid tu ſomno deprimeris? Surge & inuoca Deum tuum, ſi forte cogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Iiſdem vos ipſe hodie verbis compello peccatores, quid cogitatis? quid agitis? nauis in qua nauigamus, vitæ huius cymba eſt, mare ipſe mundus, tempeſtas qua iactamur, & quæ nobis imminet, diuinæ iuſtitiæ furor & indignatio, Ionas ille dormiens ipſe peccator peccatis indormiens, contumax, rebellis, diuinorumque mandatorũ contemptor, qui fluctuũ, tempeſtatum, omniumque procellarum rabiem irridens, deque eiuſdem nihilum ſollicitus, ſtertit ſecurus, & in vtramque aurem ſine vllo metu ac formidine indormit, ſed fungar ipſe hodie vice naucleri, voſque omnes à ſomno excitare conabor vociferans, & alta voce inclamans: Suſtollite in altum oculos peccatores, quod ſomno ſepulti iacetis? Expergeſcimini tandem aliquando, ad Deũ confugite, eundẽ vobis propitium reddite, quo à naufragio tuti & immunes ſitis: expergiſcimini, inquam, & recordamini nouiſſima veſtra, atque ita ab omnibus vos peccatis continebitis.

Et ſane tam altum dormimus Domine, tam graui lethargo oppreſſi ſumus, vt niſi ipſe manum admoueas, noſque gratia tua excites, nunquam expergiſci, aut oculos aperire poſſemus, imo diſcrimen, ne in peccatis mori contingat, adiremus. Illumina ergo oculos, ne vnquam obdormiamus in morte, aurem nobis vellica, tu qui medicus noſter es, Saluator, conditor, Deus, & omnia, excita corda noſtra, vt ſemper tormenta hæc, ſupplicia, doloreſque illos perennes ante oculos habeamus; ſupplicia, inquam, illa diuerſa & intolerabilia, modo frigoris intenſiſſimi, modo ignis vehementiſſimi, modo gelidi ſtagni, modo ardentis camini rabiem: ſupplicia adhæc quæ iuxta vniuſcuiuſque delicta augebuntur vel minuentur. Atque hæc omnia Domine, adeo terribilia & horrenda, vt qui eandẽ aſſidue mente verſaret, te nunquam offendere, tuiſque præceptis aduerſari præſumeret; ſed perpetuo in timore & anxietate, quæ initium omnis ſapientiæ eſt, viueret, atque ita in mandatorum tuorum obſeruatione ſe exerceret, quæ certiſſima ad ſalutem via, ac beatitudinis mater eſt, cuius nos participes reddant Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA QVARTA.

DE POENA EXTERIORI, QVAM dicunt ſenſus.

Partitio.

I. Pœnas eſſe infernales neceſſe eſſe.
II. De pœna ſenſus.
III. Qui poſſit in animas agere ignis infernalis.

Memorare nouiſſima tua, *& præſertim pœnam quæ ſenſibus ipſis apud inferos percipitur*, & in æternum non peccabis. Eccleſ. 7.

FIGVRA.

Luc. 16. DIves ille gulo, qui quotidie epulabatur ſplendide, induebatur purpura & byſſo & erga egenos mendicoſque interea immitis erat, cum fatis conceſſiſſet, ad inferos delatus fuit, inq; mediis flammis conſtitutus, rabie & furore percitus, præ deſperatione clamabat: Heu miſerũ me, excrucior in hac flamma, emorior, incendium hoc perferre nequeo. Fuit ille exemplum pœnarum ſenſibilium, quas damnati apud inferos quotidie patiuntur, pœnarum, inquam, terribiliũ, incredibilium, intolerabilium, homines ſimul & diabolos in deſperationis abyſſum præcipitare potentium. Pluribus de iiſdem præſenti exhortatione acturus ſum, ſi ſanctiſſimo Spiritui ac glorioſiſs. Virgini gratia nobis ſua adeſſe viſum fuerit; ſalutemus eam proinde ſalutatione, qua olim à Gabriele Archangelo ſalutata fuit.

AVE MARIA.

I. Atheei illi dicendi ſuntq; pœnas infernales negãt. Stupidus profecto eorum fuit error Auditores, qui neſcio quo ducti affectu, aut qua doctrina in reprobum ſenſum dati, omnem iuſtitiã è mundo eliminantes perſuadere conati ſunt, nulla poſt hanc vitam tormenta ſupereſſe, aut ea nonniſi ludicra & imaginaria: & næ ille atheus & impius, omniſq; religionis expers dicendus eſt, qui huius ſic dogmatis opinioniſque aſſertorem & defenſorem exhibet. Vt enim fide tenemus, ac certo nobis certius perſuademus, animas in cœleſti regione æterna beatitudine perfrui, ita eadem fide credendũ, improborum animas apud inferos acerbiſſimis pœnis & cruciatibus torqueri. Ita ſc. argumentatur Magnus Gregorius: *Si eſſe*, inquit, *Sanctorum animas in cælo ſacri eloquii ſacis, actione tradidiſti; oportet vt per omnia eſſe credas & peccatorũ animas in inferno: nam ſi ut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quod in die exitus ſui ignis improbos exurat.*

Profecto quicunq; huius opinionis eſt, & eo audaciæ deuenit, vt ſupplicia hæc negare non vereatur, non minus ſenſus & rationis, quã fidei & religionis expers dicendus eſt. Vobiſcũ ipſi ſtatuere poteſtis. An non enim ille vobis demens & ratione priuatus videatur, qui Sanctos credat tot in hoc mundo perpeſſos eſſe mala, tantos tamque graues labores, ærumnas & ſudores in declarandis promulgandiſque tormentis inferorum ſubiiſſe, quæ tamen non niſi vmbratica & ludicra eſſent? quid? anne veriſimile videatur, Martyres conſtantiſſimos tot tormenta, rotas, cruces, eculeos ac tormenta, quæ non niſi fabula & vmbra inaniora erant, euitanda ppeſſos? Anne Chriſtus, Apoſtoli, Prophetæ, Doctores errarunt, cũ inferni nobis ſupplicia, & quidem adeo horrenda depinxere, ante oculos etiam habuere? cum illa nonniſi inania quædam terriculamenta ſint, ad aues, non vero homines percellendos.

An non enim hanc ob cauſam, veritatemque huiuſce rei decidendam, Eſaias lignea per medium ſectus fuit ſerra, Ieremias lapidatus, Zacharias inter templum & altare interemptus, Michæas alapis cæſus, Paul. gladio percuſſus, Petrus in crucem actus, Ioannes Baptiſta capite trũcatus, varii deniq; viri ac fœminæ martyrio coronatæ? Neq; enim hoc æquum & veroſimile videatur. Hoc argumento ſimili in re vſus eſt, & Hieron. in Epiſtol. ad Pammachium ſanctæ Paulæ generum, qui mortua coniuge ſæculo valedicens monaſticam vitam profeſſus erat: *An putamus*, inquit, *fratres, quod iocando Prophetæ prædicant, ridendo loquantur Apoſtoli, Chri-* *Hier. epiſt. ad Pammachiũ & Oceanũ.*
ſtus

Digitized by Google

flus infantiliter cōminetur? ſed ioci non ſunt, vbi ſupplicia intercredūt: ſi iocādo paſſi ſunt, credātur & iocādo locuti. O verba aurea atq; auro redimenda! ecce & alia non minus admiranda, licet ab Ethnico calamo profecta.

Sententia Alexandri Aphrod.

Alexander Aphrodiſæ⁹ Antonino Pio Roman. Imp. epiſtola ad eum miſſa perſuadere conatus, pœnas, quæ damnatos poſt hãc vitam manent, veras eſſe & reales, ac vere illos in altero ſæculo tormenta perpeti, hunc in modum argumentatus eſt: ſi nulla poſt mortem tormenta ſubeunda reſtant, Deus nullam bonorū aut malorum rationē habet, ſi nec de his ſupplicio, nec de illis pręmio afficiēdis ſollicitus eſt, tribus hoc de cauſis cōtingat neceſſe eſt, vel quod ignoret, quæcūque hic à nobis fiunt: vel quod nec benefacta mercede, nec delicta debito ſupplicio cōpenſare queat: vel deniq; ꝙ vtrumq; facere negligat. Si primum, huius rei cauſam dixeris, omnem prorſus à Deo ſcientiam tolles, eumq; ignorantem effinges, ꝙ tamen abſurdiſſimum eſt: ſi ſecundum, potentiam eius imminues, qua tamen potiſſimum omne illius regnum niti videatur: ſi vero tertium, iniuſtum eum dices: neq; enim ius tunc vnicuiq; ſuum tribuerit, nec probis ꝓ meritis ac virtutibus mercedem, neue impiis ꝓ delictis pœnas potis fuerit aſſignare. Quam vere hæc omnia? & q̃ proxime Ethnicus ille veritatis hic ſcopum attigit? Vnum hoc addidero, quod quicunque de hac re dubitat, de Deo ipſo dubitare videatur, animas enecet noſque animalibus ac beſtiis, quoad ſalutem beatitudinemq;, ſimillimos efficiat & verbo vt dicā, atheus ſit, & à paganorum infidelitate haud longe remotus. Sed iterum hinc in ſcenam prodeat magnus ille Pontifex ac Doctor Gregor. cum enim inaudiſſet eſſe quoſdam, qui exiſtimarent pœnas quas Deus poſt hanc vitam comminatus eſt, non niſi ad percellēdos homines, & à vitiis auocandos, excogitatas eſſe, in hunc modum reſpondit: *Si falſum eſt quod minatus eſt, vt ab iniuſtitia corrigeret, etiam falſa eſt pollicitus, vt ad iuſtitiam prouocaret: ſed quis hoc dicere vel inſanus præſumeret?* Sed relictis hiſce dubitandi occaſionibus firmiter teneamus, tormenta hæc vera eſſe, non vero imaginaria, aut vmbratica, ac veros & reales à morte apud inferos cruciatus eſſe ſubeundos. Ita nēpe id in Euangelio aſſeruit ipſe vnigenitus Dei Filius Chriſtus: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*: expertus quoque hoc erat epulo, cum vociferatur, *Crucior in hac flamma*: idipſum & Apoſtoli docuere dicentes, *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.* Sunt deniq; cruciatus veri & ſenſibus exterioribus perceptibiles, ac multiplices: quos Theologi Scholaſtici bifariam diuidunt: ſunt nimirum pœnę ſenſus, & pœnæ damni, prioris generis ſunt dolores & cruciatus ignium & flammarum, frigoris acerbitas, vmbrarum dæmonumque horror, tetræ exhalationis fœtor, aliique qui ſenſib. exterioribus percipiuntur: ad poſterioris autē generis pœnas reuocari debet amara illa afflictio, qua damnati diuina ſe viſione ac beatitudinis fruitione in æternum priuatos videbunt. Hæc quidem pœna ſubeunda venit, quod peccatores delinquendo a Deo ſeſe auerterint; illa vero, quod inordinato & effreni quodā affectu ad creaturas ē cōtra ſeſe conuerterint. De priori hodiernam exhortationem inſtituam, de poſteriori craſtina die locuturus. Vt vero ſolitā procedendi materiæq; deducendę rationem teneā, in duas partes hanc de pœna ſenſus materiam diuidā, primo declarare conabor, in quo eadem conſtat, ac deinde, quonam modo ignis, qui præcipuum cruciandi inſtrumentum eſt, in damnatorum animas agere queat. Si vos veſtris in audiendo partibus nō defueritis, equidem operam dabo, ipſe ne officio meo videar defuiſſe.

Libr. 3. Dial. c. 44.

Matth. 8. Luc. 16. Matth. 25.

II.

Scotus lib. 4. diſt. 44. q. 2.

Principio igitur, tradit Scotus, duo pœnarum genera damnatorum animas apud inferos ſuſtinere: primum in ſua eſſentia: quamuis enim illæ puriſſimi quidam ſpiritus ſint, realiter tamen aliquod, idque per ignem à Deo, velut iuſtitiæ ſuæ inſtrumentū, intenſum ſupplicium patiuntur, alterum in omnibus ſuis partibus: animæ enim qui cum omnibus ſuis facultatibus in captiuitate detentæ ſunt, & velut in flammarum lacu ſepultæ, in omnibus ſuis facultatibus eſſentiæq; ſuis angulis, aliquid etiam ſuſtinent. Ipſe namq; intellectus, cum in mediis ſeſe flammis conſtitu-

Anima in omnibus ſuis facultatibus dolorē ſentiet.

ſtitu-

Digitized by Google

plicia intolerabilia! ô tormenta inſupportabilia!

Quæ cum Pſaltes attentius perpenderet ad peccatores conuerſus exclamat, *Deficiant peccatores à terra, & iniquitas vt non ſint.* Non poſtulat eoſdẽ hic deficere quoad ſubſtantiam, ſed quoad delicta, vt nimirum peccare deſinant, & diuinam maieſtatem ad iracundiam prouocare: vnde efficere vult, tantæ attentam horum ſuppliciorum meditationem efficaciæ eſſe, vt nullus, qui eadem mente voluat, diuinam bonitatem amplius poſſet offendere. Atq; hoc eſt, quod & alio loco ait, *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei*, omnia delicta tam atrocibus ſuppliciis caſtigantis; itaque à via iniquitatis declinent.

Pſal. 103.

Pſal. 97.

Vtinam cor veſtrum, Auditores, hodierna die inſtar ceræ emolliatur, liqueſcat, ac diffluat, non quidem ad conſpectum & radios ſolis, ſed ad calorem ignium infernalium, ad ardorem ollæ illius ſuccenſæ: vtinam hodie peccatis valedicatis, vitam in melius cõmutetis, vtinam terribilibus auditis ſuppliciis ſancto quodam timore percellamini! Et merito quidem. Non enim aliud Ioann. Caſſianus ad ſæculi ſui peccatores conuertendos remediũ adhibet! *Quis ergo*, inquit, *fidelium hæc audiens & talia ſciens non contremiſcat? Digito ignem modicũ tangere horremus, & quomodo non formidamus in ignis rogum ligatis manibus & pedibus conici?*

In confeſſ. Theo. par 3.

Iubar illud Eccleſiæ Orientalis Chryſoſtomus idipſum ſæpius pro concione dicebat; *Quando ingredimur carcerem regium, & videmus ibi alios catenis oneratos, alios mortuos fame, alios ſqualidos & pallidos, alios in tenebris clauſos, neſcientes quando ſit dies vel nox, horremus: quid ergo erit videre carcerem illum Dei, vbi tot captiui, tot tormenta, &c.* Merito igitur his viſis vel auditis percelli debetis: quamobrem hæc ſemper animo inſculpta gerite; alia proferam è quibus de eiuſdem miſeria diiudicare poteritis.

Hom. 5. in 1. ad Cor. c. 2.

Idem qui ſupra Caſſian. Presbyter Maſſilienſis, magni olim Chryſoſtomi diſcipulus, qui ſub Imp. Honorio & Theodoſio Iuniore in Eccleſia floruit, miſerrimam damnatorum conditionem eorumque tormenta & cruciatus depingens, quaſi nullis eadem exprimi verbis poſſent exclamat: *Sed dicere quis valeat, qui impiis & male viuentibus tormenta ſunt præparata? in ipſo enim continuo mortis loco qui infernus appellatur, quid aliud niſi ignis, flamma, perſeuerans tribulatio, & perpetua pœna, atque infinita totius mali calamitas eſſe poteſt.*

Ead. loco quo ſupra.

Multo adhuc terribilius eſt, quod Iobo Prophetæ Sophar Naamitides reſpondens ait, *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti: luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur: iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum, deuorabit eum ignis qui non ſuccenditur.* O verba horrenda, quæ vel ferreum cor emolliant! Omnia ſcilicet ſuppliciorũm, tormentorumq; genera eos diuexabunt: dolor capitis, dolor dentium, dolor renum, ſtomachi cõmotio, conuulſiones iliorũ, cerebri concuſſio, angina incurabilis, ſuffuſiones, parotides, chiragra, gangræna, aliique dolores infiniti: *Ibi dolores vt parturientis*, ait Dauid; *Dolores parturientis venient*, ait Oſee. Quo & Dominus in Euangelio reſpexit; cum enim de ſignis iudicium præceſſuris egiſſet mox ſubnectit, *Hac autem omnia initia ſunt dolorum*; & in Marco, *Initium dolorum hæc:* perinde ac ſi dixiſſet, Videre ſolem obſcuratum, lunam deliquium patientem, ſtellas cœlo cadentes, audire tonitrua & fragores in aere, terræ motus aſſiduos, beſtiarum vlulatus, videre exareſcentes herbas, homines eiulantes, totum orbem denique incendio pereuntem, nonniſi initia & præludia dolorum infernalium ſunt.

Iob. 20.

Pſal. 74.

Oſee 13.

Matth. 24.

Moyſes cum olim Dei iuſſu populo comminaretur, his eum verbis allocutus eſt, *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* Dic veritatem Moyſes, an non ſub hiſce cõminationibus inferni ſupplicia delineare voluiſti? Illic enim Deus merito indignatus omnia malorum genera congregat, vt impios & damnatos caſtiget, inque eos omnes furores ſui ſagittas eiaculetur. Illic quippe omnia ſupplicia congregabuntur, & vnum velut in locum colligentur, illic pecca-

Deut. 32.

Digitized by Google

vita eſt, motus ceſſabit, ideoque nulla amplius generatio, corruptio, aut corruptibilis commutatio in rerum natura dabitur: ſed erunt nihilominus vertigo quædam capitis, & terribilis oculorũ ſuffuſio, vt è verbis ſupra allatis etiam demonſtrari poteſt. Nam impiorũ corpora nõ modo exterius affligẽtur, verum etiã interius & à reb. infitis, idq; iuxta bonas ac prauas animæ inclinationes.

Quidquid ſit, certiſſimum eſt infœlices illos ac miſeros ex igne in aquam, è calore in glaciem, è caminis in ſtagna detrudendos. O horrenda commutatio & pœnarum renouatio? & quod omnium grauiſſimum eſt, nemo eorũ miſerebitur, ſed homines ſimul & Angeli in eorũ interitu lætabuntur, imo & longe maiores & acerbiores illis cruciatus exoptabunt. Teſtatur id vates regius, *Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum: ſecundum opera eorum tribue eis, redde retributionem eorum ipſis.* Ita quidem Chriſtus Iudæis ſuis crucifixoribus imprecatus videatur, ſed myſtice eadẽ verba de Sanctis, damnationẽ & interitum impiis exprobrantib. intelligi queunt, dicentibus, aſſidue, Vlciſcere Domine peccatores, caſtiga iam impios ſecundum opera eorum, pœnamque quam peccando promeruerunt, inflige: vnde & alibi, *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.*

Psal. 27.

Psal. 57.

Quid? itane ô Angeli, itane Sancti in aliorum calamitate ridebitis? an neſcitis, afflicto non eſſe dandam afflictionem? Et ecce, damnatis hiſce nouum cruciatum arceſſitis. Idumæi cum viderent Babylonios in Ieroſolymitanos graſſantes, omnia circumquaque deuaſtantes, tantum abfuit, vt eos ad clementiam moderationemq; adhortarentur, vt ſuaſerint etiã in lapides ſæuire, & omnia funditus conuellere & euertere. Vnde vates hæc omnia præſagiens dixit, *Memor eſto filiorum Edom, qui dicunt, Exinanite, exinanite, vſq; ad fundamentum in ea.* Idipſum de vobis, ô glorioſi ſpiritus animæque cœleſtes, dicere poſſumus: tantum enim aberit, vt damnatorum vos capiat miſeratio, vt Deum ipſum vindicẽ illum acerrimum exſtimulaturi ſitis vt tormenta & cruciatus adaugeat. Sancti quippe cum diuinam eſſentiã contemplantur, eadem ſimul opera eiuſdem voluntatem vident, videnteſq, eidem ſeſe adaptant, adeo vt nihil velint aut nolint, quam quod illa velit aut nolit. Ita quoque dicendum eſt damnatorum eos ſupplicia, Deumq; iuſto furore accenſum contemplari, & ideo fieri, nulla vt erga eos compaſſione tangantur, ſed in illorum interitu cruciatibuſque exultent ac iubilent. Quod exemplo Patris Abraham confirmat Magiſter ſententiarum, qui nullis Epulonis precibus flecti, nullis obſecrationibus ad compaſſionem poterat excitari, adeo vt ne vel aquæ guttam eidem in ardoris leuamen dare voluerit.

Psal. 136.

Luc. 16.

Euangeliſtæ cum Iudæorum crudelitatem ferociamq; quam erga vnigenitum Patris exercuerant, deſcriberent, aiunt, eoſdẽ Chriſto in crucẽ acto inſultaſſe, exprobraſſe, improperiorum contumeliarumq; plauſtra in eum congeſſiſſe: *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei,* quin & ipſe per Prophetam de hac eorum impietate conqueſtus eſt, *Omnes videntes me, deriſerunt me.* Erat profecto inſignis illorum crudelitatis argumentum, æterni Patris filium in tormentis conſtitutum ridere, ſubſannare, & exſibilare. Idipſum de cœleſtibus illis ſpiritibus dicere poſſumus, riſuros nimirum & ſubſannaturos, quando damnatos in cruces actos, fornacibus ardentibus immerſos, ſuper ardẽtiſſimas prunas extenſos, in flammas ſepultos, in rotis denique tortos conſpicient. Ipſe quoque Dominus vindex in miſeriis eorum lætabitur & ridebit: *Tu Domine deridebis eos.* O dulcem crudelitatem! ô inhumanitatem vere iuſtam, & ex æquo demonſtratam!

Matth. 27.

Psal. 21.

Caſtitatis exemplum Suſanna, cum ad ſupplicium adulterii inſimulata raperetur, omnes qui eandem nouerant, lachrymabantur, eiuſque calamitati condolebant: at quando damnati, variorum adulteriorum rei, in ignem æternum, ad vincula, cõpedes, & cruces, aliaq; ſupplicia rapiẽtur, nullus omnino eorum malis ad miſericordiã flectetur. Adeo vt illud Prophetæ merito vſurpare queant, *Suſtinui qui ſimul cõtriſtaretur, & non fuit,* &

Dan. 13.

Psal. 68.

Digitized by Google

& qui conſolaretur, & non inueni. Atque hoc omnium miſeriarum malorumq; maximum eſt. Iam vero videndũ reſtat, quomodo ſupplicia illa ſingulis impoſita ſint, & diſpiciendum, num omnes eadem patiantur, quod initio facturos nos promiſeramus.

IV. Non eodẽ omnes modo apud inferos caſtigabuntur. Dicendum eſt igitur, non eadem omnes in tartarea illa regione ſupplicia perpeti, aut eodem ſingulos modo cruciari, ſed vnumquemq; iuxta numerum ac grauitatem ſcelerum, caſtigari: qui enim magis enormia crimina cõmiſere, grauius quoq; cruciabuntur. Hoc nempe ad diuinã iuſtitiam ſpectat, quæ tam in caſtigandis improbis, quam in remunerandis iuſtis eluceat neceſſe eſt: idque iuxta Pſalmiſtæ ſententiam, *Iuſtus Dominus*, & in damnatione impiorum, & in remuneratione Sanctorum, *& iuſtitias dilexit, æquitatẽ vidit vultus eius.* Perinde ac ſi dixiſſet, Iam quinq; annorũ millia euoluta ſunt, ex quo ſummus ille Deus cœlorum terræq; dominium tenuit, omnia nutu ſuo direxit ac moderatus eſt, ex quo totius orbis homines iudicauit, ex quo tot decreta & ſententias ꝓnuntiauit. Iudicauit quippe Angelos & Adami poſteritatem, ſententiã venturi diluuii tulit, condẽnauit Sodomitas, Ægyptios ſubmerſioni & abyſſis adiudicauit, aliaq; iudicia tulit: nemo tamen vnquam exſtitit, qui eundẽ iniuſtitiæ coarguat, aut etiam in minimo iniquum fuiſſe audeat confiteri: *Nam iuſtitia Domini recta*, & de eodem alibi ſcriptum eſt, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Adeo vt in hac impiorum condemnatione iuſtitia illius inprimis eluceſcat. Pſal. 10. Pſal. 18. Pſal. 44.

At non meminiſti parabolæ illius Euangelicæ, in qua vineæ cultores cum patrefamilias expoſtulabant, quod eodem omnes donatos ſtipendio dimitteret? Audite eorũ querelas, *Hi nouiſſima hora venerunt: & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Quanto maiori cum ratione duorũ vel trium tantum criminum rei cum Deo expoſtulare poſſent, ſi tam grauia ſupplicia paterentur, quam ii qui infinitis ſe criminibus obſtrinxiſſent. Erit igitur cruciatuũ ac tormentorum diuerſitas, ac ſinguli diuerſimode cruciabuntur. Matth. 20.

Iob. 10. Ita namque ſenſit magnus Gregor. explicans enim verba illa Iob, *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, ait, *Quomodo in ſuppliciis ordo non erit, dum damnatorum quemque iuxta modum criminis retributio ſequitur vltionis.* Erit quidẽ hac in re ordo & diſtinctio ac in cæteris mera confuſio & chaos. Grauiter namque torquebuntur fornicatores, grauius adulteri, ac grauiſſime ſacrilegi, inceſtuoſi, atque omnium maxime Sodomitæ. Non erit igitur eadem in ſingulis ſuppliciorum ratio. Lib. 9. mor. cap. 47.

Hinc bene olim Salomon, *Potentes potenter tormenta patiuntur, & fortibus fortior inſtat cruciatio.* Nam quemadmodum peccata inter ſe diſtincta ſunt, ita quoque ſupplicia iiſdem debita diuerſa ſunt: neque enim dominus & ſeruus, Princeps & ſubditus eodem torquebuntur modo: ſed ſicut peccata regum ac Principum peccatis populi grauiora ſunt, ſic etiam eorum damnatio grauior & acerbior erit. De meretrice illa Babylonica etiam ſcriptum legimus, *Quantum glorificabit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Per Babylonem hanc, cui hæ minæ intentantur, intelligendæ ſunt peccatorũ animæ: quæ cum in abyſſos illas tartareas deciderit, tantum dolorum ac cruciatuum tolerant, quantum hic prius deliciarum ac voluptatis habuerunt. Et hæc omnia quam iuſtiſſime. Figuras huc facientes producamus. Sap. 6. Apoc. 18.

Præcepit olim Ezechiel Prophetæ Deus, vt nouacula comas & barbam raderet, ac ſegmenta & pilos trutinæ impoſitos ponderaret, inque tres eoſdem partes diuideret, primam in medio ciuitatis combureret, alteram gladio in eiuſdem circuitu concideret, tertiam vero in ventos diſpergeret, & gladium manu vibraret. Quodnam hoc ænigma eſt, Auditores? litteraliter quidem de Iudæorum calamitate ac miſeria intelligi poteſt, qui corraſi ac patria ſua Babylonico gladio eiecti, diuinæ vindictæ trutinã ſubierunt: pars igne conſumpta, pars ferro neci data, pars in captiuitatem abducta, gladium ceruicibus imminentem habens, ſed tropologice hic ſuppliciorum, quæ apud inferos damnati ſubeunt, diuerſitas deſignatur, qui inſtar crinium quiſquiliarumque Ezech. 5.

Digitized by Google

que ſuperfluarum quadam die è mundi huius capite, ſummi iudicis gladio (de quo in Pſalm. 7. mentio eſt, *Gladium ſuum vibrauit.*) reſecti, eiuſque iuſtitiæ bilanci impoſiti, partim igni in medio magnæ illius ciuitatis Plutoniæ tradentur, partim in minutas particulas concidentur, & ferro necabuntur, partim etiam in captiuitatis æternique exilii auras diſpergentur, nudum ſemper mucronem ante oculos conſpicantes. An non igitur omnia hæc ad amuſſim materiæ noſtræ quadrant? an non hinc manifeſtum redditur, non eadem omnium damnatorum eſſe ſupplicia?

Melius idipſum Dominus in Euangelio cum de zizaniis ageret, demonſtrauit; dicit enim patrẽfamilias meſſoribus dixiſſe: *Colligite primum zizania, & ligate ea in faſciculos ad comburendum.* Deſignare ſcilicet vult, peccatores, qui vere zizania nuncupari poſſunt, in mundi huius agros conſitos, tempore meſſis, i.e. iudicii generalis die collectum iri, & in faſciculos colligandos, magnos ſcilicet cum magnis, paruos cum paruis, vt ita omnes pariter tantum in ignem cõiiciantur, quo ſecundum delictorum maleficiorumq; grauitatem exurantur. Ita nempe locum hunc interpretatur Gregorius Pontifex: *Faſciculos ad comburendum,* inquit, *ligare, eſt eos, qui æterno igni tradendi ſunt, pares paribus ſociare, vt qu[os] ſimilis culpa i[nquin]at, par etiam pœna conſtring[a]t* An non hoc ex mente noſtra eſt interpretari?

Matth. 13.

Gregor. in Euang.

Huc quoque viſus eſt reſpexiſſe Gentium Doctor Paulus, cum ait, varia in magna familia vaſa reperiri, alia nimirum aurea, alia argentea, alia lignea, & figlina, illa quidẽ in honorem & decus, hæc vero in contumeliã & dedecus, & pro eorum varietate varia iiſdem aſſignata eſſe loca. Ad huius imitationẽ dicere poſſumus, vniuerſum hunc terrarum orbem, inſtar palatii cuiuſdam ampliſſimi, variis vaſis repletum eſſe, his quidem aureis & argenteis, i.e. iuſtis, illis autẽ ligneis & fictilibus, i.e. peccatoribus: hos eſſe ad gloriã, illos ad contumeliam & opprobrium ſempiternum deſtinatos; deinde varia his in cœleſti aula, & illis apud inferos in regno Plutonio loco ſedeſq; aſſignatas eſſe. Præcepit olim Dominus Noacho, vt plurimas in Arca manſiunculas inſtitueret, vt vnumquodq; in iis animal iuxta naturæ ſuæ præſcriptum diuerteretur, aues nimirum cum auibus, lupi cum lupis, leones cum leonibus, atq; ita ſingula cum ſui ſimilibus; vt quemadmodum inter ſe ſpecie non diſcrepabant, ita quoque loco & ſedibus non differrent, ſed eſſent velut contubernalia. Mundus hic, Auditores, vera quædam arca dicendus eſt, ſed omni animalium genere refertiſſimus; quibus omnibus ſapiens ille Noë Deus diuerſas manſiones ac receptacula dedit; in ſuperiori quidem parte, i. cœlo, animas illas ſubtiliores ac meritorum pennis in ſublime elatas, Sãctos, inquam, & juſtos, commorari voluit: in locis vero humilioribus, i. apud inferos, peccatores, bruta illa animalia & naturæ ſtupidioris, collocauit. Fecit adhæc in duobus hiſce locis etiam aliquas diſtinctiones vt illi ꝓ meritorum, hi pro delictorum magnitudine & numero, mercedem reciperẽt. Hinc fortaſſe factum, vt, cum in Sacris litteris ſedium illarum ſubterranearum carceriſq; Plutonij mẽtio incidit, plurali plerumq; numero, Inferorum, id fiat: vt & in Symbolo Apoſtolorum, *deſcendit ad inferos*: quo hinc manifeſtum fieret, plurimas apud manes habitationes eſſe, & carcerem illum plurima habere receptacula, in quibus tum damnati, tum diaboli vinculis conſtricti ſint.

2. Tim. 5.

Gen. 6.

Figura.

Thomas ille Aquinas, omnium ingeniorum facile ſummum, omniumq; Theologorum corypheus, apertiſſime quoque, vt omnia, demonſtrat, ſ. quemadmodum varij in cœlo gloriæ gradus ſunt, & nõ eadem ſingulorum beatitudo ac fœlicitas, iuxta verba illa Domini: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt,* idq; propter meritorum virtutumq; differentiam, ita quoque apud inferos plurima tormentorum ſuppliciorumq; genera, propter delictorũ varietatem ac diſcrimen reperiri. Teſtis accedat Magnus ille Gregorius: *Licet,* inquit, *gehenna cunctis vna ſit, non tamen cunctos vna eademq; qualitate ſuccendit* quod & egregia quadam ſimilitudine confirmat.

3. Par.

Ioan. 14.

Libr. 9 Mor. c. 47. & ſuper Euang.

Nam quemadmodum in æſtate Syrio ſtella omnia adurente, & per terras graſſante, omnes quidem eundem Solem, ſed non eundẽ

Simile.

 calo-

Digitized by Google

colorem ſentiunt, aut non tantum ille quantum ille, propter diuerſam corporum diſpoſitionem, ſudat. Adeo vt qui teneriores, & delicatiores, citius & vehementius ſudent, q̃ robuſti & ſanguinei, aulici quoque citius quam ruſtici aut opifices, mulieres delicijs aſſuetæ, prius quā rurales aut mulctralibus aſſuetæ: *ita*, inquit magnus ille Doctor, *damnatis eſt vna gehenna quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hic agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.* O ſententiam & conceptum tanto dignum Pontifice! ô ſimilitudinem ſcite adaptatam. Ecce & aliam.

Aliud. Videmus quotidiana experientia, igne accenſo non eodem modo paleas, lignum, ferrum aduri aut conſumi, nec eodem in tria hæc modo flammam agere; paleas namque quam celerrime abſumit, lignū maiori cum vehementia: ferrum denique nonniſi ſumma vi; inprimis calor quidam mediocris eſt in ſecundo vehementior, in tertio autē vehementiſſimus. Ad eundem modum, fide & rationibus certiſſimum eſt, ignem quidem infernalē nonniſi vnicum eſſe, & tamen non eodem omnes damnatos modo adurere, ſed hos leuiter, illos grauius, alios vero grauiſſime; homicida enim vehementem quidem ardorem ſentiet, ſicarius vehementiorem, at vehementiſſimum ac propemodum intolerabilem, qui parricidali manus ſanguine cruentauit.

Comparationi meæ ſuffragatur doctiſſimus Ephrem, dicens: *Sicut ſunt peccatorum differentiæ, ita ſunt & cruciatuum varietates: aliter enim cruciatur adulter, aliter fornicator, aliter homicida.* Nec in ipſis quidem tribunalibus ciuilibus, eadē omnes malefici ſupplicia ſubeunt, neue omnes in crucē aguntur: his enim crura & oſſa ferro comminuuntur, illi capite truncantur, his candenti ferro carnes aduruntur, illos flamma in fauillas redegit, alios denique equi in diuerſa agitati dilaniant, atque aliis alii ſuppliciis afficiuntur, quod ipſum & de diuino tribunali ſentiendum eſt.

De vera pœnit. c. 3.

Lib. Medit. c. 3. Proferat & hic ſuum ſymbolum Bernardus, audiamus quid ſentiat: *Iuxta qualitatem culpæ pœnam ſuſtinebit vnuſquiſque gehennæ, & ſimiles culpa rei omnes ſimilib. iungentur cruciandi.* Omnes ſcil. ventri & gulæ dediti cum diuite Epulone vnum in locum cōpingentur, homicidæ cum Caino, auari & proditores cum Iuda Iſcariota, ſuperbi & contumaces cum Chore, Dathan, & Abiron, elati deniq; cum diabolis, vt quos habuere in peccando velut exemplum & paradigma, apud inferos habeant ſocios & ſodales.

E quibus omnibus efficitur, eos grauiſſimis apud manes cruciatibus ſubditos eſſe, quia plura & grauiora hic peccata cōmiſerunt. Et ſane ſi dæmones vnam ob noxā, vel ſola cogitatione conceptā, tam acerbis cruciatibus affliguntur: quid imminere ſibi ſperent, qui innumeris Deum delictis ad iracundiam prouocare? Si lurco ille Euangelicus, quod epularetur ſplendide, & purpura *Luc. 16.* quotidie ac byſſo indueretur, medias inter flammas ſepultus eſt: quæ ſupplicia, Deum immortalem! manent eos, qui tot quadrageſimarum ieiunia violarunt, luxum, libidinem, & ingluuiem tantopere conſectati ſunt? an non grauiores illis cruciatus expectandi?

O horrendum ac vere miſerum! Miſerum vere, Caino, diuite epulone, ipſis quoq; dæmonibus maiores & acerbiores pœnas pati. Quis hæc audiendo non expalleſcat? ita tamen ſeſe res habet; nam ſicuti in cœlo hominum aliqui angelos in gloria & beatitudine ſuperabunt: ita quoque apud inferos reperientur, qui dæmonas in ſuppliciis tormentis doloribuſq; antecellent. O cruciatus intolerabiles!

Erunt in inferno, qui magis excruciabuntur quā ipſi dæmones.

Quamobrem peccatores, *ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Domino, *Pſal. 8.* inquam, cuius carceres ſunt infernales illi ſpecus, quiq; tot ad caſtigandos impios parata habet ſupplicia: *Apprehendite*, itaque, *diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius.* *Ibid.* Expergiſcimini tandē aliquando, cum tam horrenda auribus veſtris verba inſonuerint. Recordamini nouiſſima veſtra, ac præſertim pœnas infernales, & in æternum non peccabitis. Si enim Niniuitæ, audito vrbis exterminio & clade & mortis nuntio, in cinere & *Ion. 3.* ſordibus pœnitentiam egerint, ſacco membra

bra

bra contexerint, triduanam per totam ciuitatem etiam animantibus ieiunium indixerint: quid vos facere par eſt peccatores, cũ vos ad mortem, & quidem æternam, ſuppliciaque intolerabilia propemodum condemnatos videtis.

2. *Rg.* 21. Si Achab, impius ille Rex, qui idolis immolabat, & Prophetas Dei ad necem perſequebatur, audita Eliæ Prophetæ comminatione, familiæ deſtructione, & filiorum interitu, veſtimenta lacerauit, cilicium induit, ieiunio carnem macerauit, dormiuit in ſacco, ſeſeq; coram Domino humiliauit; quid vos, ô inſenſati peccatores, facere æquum eſt, cum certi ſitis, tam graue vobis exitium, tam acerba ſupplicia, mortem adhæc ſempiternam imminere? an non hæc cilicium, cineres, lachrymas, auſteritatemq; promereri videntur?

Ion. 1. Propheta Ionas, diuini præcepti contemptor, cum in naui ſterteret, interea dũ tempeſtate cæteri iactarentur, nautæ accedentes, dixere: *Quid tu ſomno deprimeris? Surge & inuoca Deum tuum, ſi forte cogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Iiſdem vos ipſe hodie verbis compello peccatores, quid cogitatis? quid agitis? nauis in qua nauigamus, vitæ huius cymba eſt, mare ipſe mundus, tempeſtas qua iactamur, & quæ nobis imminet, diuinæ iuſtitiæ furor & indignatio, Ionas ille dormiens ipſe peccator peccatis indormiens, contumax, rebellis, diuinorumque mandatorũ contemptor, qui fluctuũ, tempeſtatum, omniumque procellarum rabiem irridens, deque eiuſdem nihilum ſollicitus, ſtertit ſecurus, & in vtramque aurem ſine vllo metu ac formidine indormit, ſed fungar ipſe hodie vice naucleri, voſque omnes à ſomno excitare conabor vociferans, & alta voce inclamans: Suſtollite in altum oculos peccatores, quod ſomno ſepulti iacetis? Expergeſcimini tandem aliquando, ad Deũ confugite, eundē vobis propitium reddite, quo à naufragio tuti & immunes ſitis: expergiſcimini, inquam, & recordamini noviſſima veſtra, atque ita ab omnibus vos peccatis continebitis.

Et ſane tam altum dormimus Domine, tam graui lethargo oppreſſi ſumus, vt niſi ipſe manum admoueas, noſque gratia tua excites, nunquam expergiſci, aut oculos aperire poſſemus, imo diſcrimen, ne in peccatis mori contingat, adiremus. Illumina ergo oculos, ne vnquam obdormiamus in morte, autem nobis vellica, tu qui medicus noſter es, Saluator, conditor, Deus, & omnia, excita corda noſtra, vt ſemper tormenta hæc, ſupplicia, doloreſque illos perennes ante oculos habeamus; ſupplicia, inquam, illa diuerſa & intolerabilia, modo frigoris intenſiſſimi, modo ignis vehementiſſimi, modo gelidi ſtagni, modo ardentis camini rabiem: ſupplicia adhæc quæ iuxta vniuſcuiuſque delicta augebuntur vel minuentur. Atque hæc omnia Domine, adeo terribilia & horrenda, vt qui eandē aſſidue mente verſaret, te nunquam offendere, tuiſque præceptis aduerſari præſumeret; ſed perpetuo in timore & anxietate, quæ initium omnis ſapientiæ eſt, viueret, atque ita in mandatorum tuorum obſeruatione ſe exerceret, quæ certiſſima ad ſalutem via, ac beatitudinis mater eſt, cuius nos participes reddant Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA QVARTA.

DE POENA EXTERIORI, QVAM dicunt ſenſus.

Partitio.

I. *Pœnas eſſe infernales neceſſe eſſe.*
II. *De pœna ſenſus.*
III. *Qui poſſit in animas agere ignis infernalis.*

Memorare nouiſſima tua, *& præſertim pœnam quæ ſenſibus ipſis apud inferos percipitur*, & in æternum non peccabis. Eccleſ. 7.

FIGVRA.

Luc. 16. DIves ille gulo, qui quotidie epulabatur ſplendide, induebatur purpura & byſſo & erga egenos mendicoſque interea immitis erat, cum fatis conceſſiſſet, ad inferos delatus fuit, inq; mediis flammis conſtitutus, rabie & furore percitus, præ deſperatione clamabat: Heu miſerũ me, excrucior in hac flamma, emorior, incendium hoc perferre nequeo. Fuit ille exemplum pœnarum ſenſibilium, quas damnati apud inferos quotidie patiuntur, pœnarum, inquam, terribiliũ, incredibilium, intolerabilium, homines ſimul & diabolos in deſperationis abyſſum præcipitare potentium. Pluribus de iiſdem præſenti exhortatione acturus ſum, ſi ſanctiſſimo Spiritui ac glorioſiſs. Virgini gratia nobis ſua adeſſe viſum fuerit; ſalutemus eam proinde ſalutatione, qua olim à Gabriele Archangelo ſalutata fuit.

AVE MARIA.

I. Stupidus profecto eorum fuit error Auditores, qui neſcio quo ducti affectu, aut qua doctrina in reprobum ſenſum dati, omnem iuſtitiã è mundo eliminantes perſuadere conati ſunt, nulla poſt hanc vitam tormenta ſupereſſe, aut ea nonniſi ludicra & imaginaria: & næ ille atheus & impius, omniſq; religionis expers dicendus eſt, qui huius ſe dogmatis opinioniſque aſſertorem & defenſorem exhibet. Vt enim fide tenemus, ac certo nobis certius perſuademus, animas in cœleſti regione æterna beatitudine perfrui, ita eadem fide credendũ, improborum animas apud inferos acerbiſſimis pœnis & cruciatibus torqueri. Ita ſc. argumentatur Magnus Gregorius: *Sicut eſſe*, inquit, *Sanctorum animas in cœlo ſacri eloquii ſatis, ratione tradidiſti; oportet vt per omnia eſſe credas & peccatorũ animas in inferno: nam ſi ut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quod in die exitus ſui ignis improbos exurat.*

[Margin: Athei illi dicendi ſuntq pœnas infernales negãt.]

Profecto quicunq; huius opinionis eſt, & eo audaciæ deuenit, vt ſupplicia hæc negare non vereatur, non minus ſenſus & rationis, quã fidei & religionis expers dicendus eſt. Vobiſcũ ipſi ſtatuere poteſtis. An non enim ille vobis demens & ratione priuatus videatur, qui Sanctos credat tot in hoc mundo perpeſſos eſſe mala, tantos tamque graues labores, ærumnas & ſudores in declarandis promulgandiſque tormentis inferorum ſubiiſſe, quæ tamen non niſi vmbratica & ludicra eſſent? quid? anne veriſimile videatur, Martyres conſtantiſſimos tot tormenta, rotas, cruces, eculeos ac tormenta, quæ non niſi fabula & vmbra inaniora erant, euitanda ppeſſos? Anne Chriſtus, Apoſtoli, Prophetæ, Doctores errarunt, cũ inferni nobis ſupplicia, & quidem adeo horrenda depinxere, ante oculos etiam habuere? cum illa nonniſi inania quædam terriculamenta ſint, ad aues, non vero homines percellendos.

An non enim hanc ob cauſam, veritatemque huiuſce rei decidendam, Eſaias lignea per medium ſectus fuit ſerra, Ieremias lapidatus, Zacharias inter templum & altare interemptus, Michæas alapis cæſus, Paul. gladio percuſſus, Petrus in crucem actus, Ioannes Baptiſta capite trũcatus, varii deniq; viri ac fœminæ martyrio coronatæ? Neq; enim hoc æquum & veroſimile videatur. Hoc argumento ſimili in re vſus eſt, & Hieron. in Epiſtol. ad Pammachium ſanctæ Paulæ generum, qui mortua coniuge ſæculo valedicens monaſticam vitam profeſſus erat: *An putamus*, inquit, *fratres, quod iocando Prophetæ prædicant, ridendo loquantur Apoſtoli, Chriſtus*

[Margin: Hier. epiſt. ad Pammachiũ & Oceanũ.]

Digitized by Google

ſlus infantiliter cõminetur? ſed ioci non ſunt, vbi ſupplicia intercredũt: ſi iocãdo paſſi ſunt, credãtur & iocãdo locuti. O verba aurea atq; auro redimenda! ecce & alia non minus admiranda, licet ab Ethnico calamo profecta.

Sententia Alexandri Aphrod.

Alexander Aphrodiſæ' Antonino Pio Roman. Imp. epiſtola ad eum miſſa perſuadere conatus, pœnas, quæ damnatos poſt hãc vitam manent, veras eſſe & reales, ac vere illos in altero ſæculo tormenta perpeti, hunc in modum argumentatus eſt: ſi nulla poſt mortem tormenta ſubeunda reſtant, Deus nullam bonorũ aut malorum rationẽ habet, ſi nec de his ſupplicio, nec de illis prȩmio afficiẽdis ſollicitus eſt, tribus hoc de cauſis cõtingat neceſſe eſt, vel quod ignoret, quæcũque hic à nobis fiunt: vel quod nec benefacta mercede, nec delicta debito ſupplicio cõpenſare queat: vel deniq; ꝙ vtrumq; facere negligat. Si primum, huius rei cauſam dixeris, omnem prorſus à Deo ſcientiam tolles, eumq; ignorantem effinges, ꝙ tamen abſurdiſſimum eſt: ſi ſecundum, potentiam eius imminues, qua tamen potiſſimum omne illius regnum niti videatur: ſi vero tertium, iniuſtum eum dices: neq; enim ius tunc vnicuiq; ſuum tribuerit, nec probis ꝓ meritis ac virtutibus mercedem, neue impiis ꝓ delictis pœnas potis fuerit aſſignare. Quam vere hæc omnia? & q̃ proxime Ethnicus ille veritatis hic ſcopum attigit? Vnum hoc addidero, quod quicunque de hac re dubitat, de Deo ipſo dubitare videatur, animas enecet noſque animalibus ac beſtiis, quoad ſalutem beatitudinemq;, ſimillimos efficiat & verbo vt dicã, atheus ſit, & a paganorum infidelitate haud longe remotus. Sed iterum hinc in ſcenam prodeat magnus ille Pontifex ac Doctor Gregor. cum enim inaudiſſet eſſe quoſdam, qui exiſtimarent pœnas quas Deus poſt hanc vitam comminatus eſt, non niſi ad percellẽdos homines, & à vitiis auocandos, excogitatas eſſe, in hunc modum reſpondit: *Si falſum eſt quod minatus eſt, vt ab iniuſtitia corrigeret, etiam falſa eſt pollicitus, vt ad iuſtitiam prouocaret: ſed quis hoc dicere vel inſanus præſumeret?* Sed relictis hiſce dubitandi occaſionibus firmiter teneamus, tormenta hæc vera eſſe, non vero imaginaria, aut vmbratica, ac veros & reales à morte apud inferos cruciatus eſſe ſubeundos. Ita nẽpe id in Euangelio aſſeruit ipſe vnigenitus Dei Filius Chriſtus: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*: expertus quoque hoc erat epulo, cum vociferatur, *Crucior in hac flamma*: idipſum & Apoſtoli docuere dicentes, *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum* Sunt deniq; cruciatus veri & ſenſibus exterioribus perceptibiles, ac multiplices: quos Theologi Scholaſtici bifariam diuidunt: ſunt nimirum pœnȩ ſenſus, & pœnæ damni, prioris generis ſunt dolores & cruciatus ignium & flammarum, frigoris acerbitas, vmbrarum dæmonumq́ue horror, tetræ exhalationis fœtor, aliiq́ue qui ſenſib. exterioribus percipiuntur: ad poſterioris autẽ generis pœnas reuocari debet amara illa afflictio, qua damnati diuina ſe viſione ac beatitudinis fruitione in æternum priuatos videbunt. Hæc quidem pœna ſubeunda venit, quod peccatores delinquendo à Deo ſeſe auerterint; illa vero, quod inordinato & effreni quodã affectu ad creaturas è cõtra ſeſe conuerterint. De priori hodiernam exhortationem inſtituam, de poſteriori craſtina die locuturus. Vt vero ſolitã procedendi materiæq; deducendȩ rationem teneã, in duas partes hanc de pœna ſenſus materiam diuiſã, primo declarare conabor, in quo eadem conſtat, ac deinde, quonam modo ignis, qui præcipuum cruciandi inſtrumentum eſt, in damnatorum animas agere queat. Si vos veſtris in audiendo partibus nõ defueritis, equidem operam dabo, ipſe ne officio meo videar defuiſſe.

Libr. 3. Dial. c. 44.

Matth. 8. Luc. 16. Matth. 25.

II.

Scotus lib. 4. diſt. 44. q. 2.

Principio igitur, tradit Scotus, duo pœnarum genera damnatorum animas apud inferos ſuſtinere: primum in ſua eſſentia: quamuis enim illæ puriſſimi quidam ſpiritus ſint, realiter tamen aliquod, idq́ue per ignem à Deo, velut iuſtitiæ ſuæ inſtrumentũ, intenſum ſupplicium patiuntur, alterum in omnibus ſuis partibus: animæ enim qui cum omnibus ſuis facultatibus in captiuitate detentæ ſunt, & velut in flammarum lacu ſepultæ, in omnibus ſuis facultatibus eſſentiæq; ſuis angulis, aliquid etiam ſuſtinent. Ipſe namq; intellectus, cum in mediis ſeſe flammis conſtitu-

Anima in omnibus ſuis facultatibus dolorẽ ſentiet.

plicia intolerabilia! ô tormenta inſupportabilia!

Quæ cum Pſaltes attentius perpenderet ad peccatores conuerſus exclamat, *Deficiant*
Pſal. 103. *peccatores à terra, & iniquitas vt non ſint.* Non poſtulat eoſdẽ hic deficere quoad ſubſtantiam, ſed quoad delicta, vt nimirum peccare deſinant, & diuinam maieſtatem ad iracundiam prouocare: vnde efficere vult, tantæ attentam horum ſuppliciorum meditationem efficaciæ eſſe, vt nullus, qui eadem mente voluat, diuinam bonitatem amplius poſſet offendere. Atq; hoc eſt, quod & alio
Pſal. 97. loco ait, *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei*, omnia delicta tam atrocibus ſuppliciis caſtigantis; itaque à via iniquitatis declinent.

Vtinam cor veſtrum, Auditores, hodierna die inſtar ceræ emolliatur, liqueſcat, ac diffluat, non quidem ad conſpectum & radios ſolis, ſed ad calorem ignium infernalium, ad ardorem ollæ illius ſuccenſæ: vtinam hodie peccatis valedicatis, vitam in melius cõmutetis, vtinam terribilibus auditis ſuppliciis ſancto quodam timore percellamini! Et merito quidem. Non enim aliud Ioann.
In confeſſ. Theo. par. 3. Caſſianus ad ſæculi ſui peccatores conuertendos remediũ adhibet! *Quis ergo*, inquit, *fidelium hæc audiens & talia ſciens non contremiſcat? Digito ignem modicũ tangere horremus, & quomodo non formidamus in ignis rogum ligatis manibus & pedibus conici?*

Hom. 5. in 1. ad Cor. c. 2. Iubar illud Eccleſiæ Orientalis Chryſoſtomus idipſum ſæpius pro concione dicebat; *Quando ingredimur carcerem regium, & videmus ibi alios catenis oneratos, alios mortuos fame, alios ſqualidos & pallidos, alios in tenebris clauſos, neſcientes quando ſit dies vel nox, horremus: quid ergo erit videre carcerem illum Dei, vbi tot captiui, tot tormenta, &c.* Merito igitur his viſis vel auditis percelli debetis: quamobrem hæc ſemper animo inſculpta gerite; alia proferam è quibus de eiuſdem miſeria diiudicare poteritis.

Eod. loco quo ſupra. Idem qui ſupra Caſſian. Presbyter Maſſilienſis, magni olim Chryſoſtomi diſcipulus, qui ſub Imp. Honorio & Theodoſio Iuniore in Eccleſia floruit, miſerrimam damnatorum conditionem eorumque tormenta & cruciatus depingens, quaſi nullis eadem exprimi verbis poſſent exclamat: *Sed dicere quis valeat, qui impiis & male viuentibus tormenta ſunt præparata? in ipſo enim continuo mortis loco qui infernus appellatur, quid aliud niſi ignis, flamma, perſeuerans tribulatio, & perpetua pœna, atque infinita totius mali calamitas eſſe poteſt.*

Multo adhuc terribilius eſt, quod Iobo Iob. 20. Prophetæ Sophar Naamitides reſpondens ait, *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti: luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur: iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum, deuorabit eum ignis qui non ſuccenditur.* O verba horrenda, quæ vel ferreum cor emolliant! Omnia ſcilicet ſuppliciorum, tormentorumq; genera eos diuexabunt: dolor capitis, dolor dentium, dolor renum, ſtomachi cõmotio, conuulſiones iliorũ, cerebri concuſſio, angina incurabilis, ſuffuſiones, parotides, chiragra, gangræna, aliique dolores infiniti: *Ibi* Pſal. 74.
dolores vt parturientis, ait Dauid; *Dolores parturientis venient*, ait Oſee. Oſea 13. Quo & Dominus in Euangelio reſpexit; cum enim de ſignis iudicium præceſſuris egiſſet mox ſubnectit, *Hæc autem omnia initia ſunt dolorum*; & in Matth. 24. Marco, *Initium dolorum hæc:* perinde ac ſi dixiſſet, Videre ſolem obſcuratum, lunam deliquium patientem, ſtellas cœlo cadentes, audire tonitrua & fragores in aere, terræ motus aſſiduos, beſtiarum vlulatus, videre exareſcentes herbas, homines eiulantes, totum orbem denique incendio pereuntem, nonniſi initia & præludia dolorum infernalium ſunt.

Moyſes cum olim Dei iuſſu populo comminaretur, his eum verbis allocutus eſt, *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* Deut. 32. Dic veritatem Moyſes, an non ſub hiſce cõminationibus inferni ſupplicia delineare voluiſti? Illic enim Deus merito indignatus omnia malorum genera congregat, vt impios & damnatos caſtiget, inque eos omnes furores ſui ſagittas eiaculetur. Illic quippe omnia ſupplicia congregabuntur, & vnum veluti in locum colligentur, illic pecca-

Digitized by Google

vita eſt, motus ceſſabit, ideoque nulla amplius generatio, corruptio, aut corruptibilis commutatio in rerum natura dabitur: ſed erunt nihilominus vertigo quædam capitis, & terribilis oculorũ ſuffuſio, vt è verbis ſupra allatis etiam demonſtrari poteſt. Nam impiorũ corpora nõ modo exterius affligẽtur, verum etiã interius & à reb. in ſitis, idq; iuxta bonas ac prauas animæ inclinationes.

Quidquid ſit, certiſſimum eſt infœlices illos ac miſeros ex igne in aquam, è calore in glaciem, è caminis in ſtagna detrudendos. O horrenda commutatio & pœnarum renouatio? & quod omnium grauiſſimum eſt, nemo eorũ miſerebitur, ſed homines ſimul & Angeli in eorũ interitu lætabuntur, imo & longe maiores & acerbiores illis cruciatus exoptabunt. Teſtatur id vates regius, *Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum: ſecundum opera eorum tribue eis, redde retributionem eorum ipſis.* Ita quidem Chriſtus Iudæis ſuis crucifixoribus imprecatus videatur, ſed myſtice eadẽ verba de Sanctis, damnationẽ & interitum impiis exprobrantib. intelligi queunt, dicentibus, aſſidue, Vlciſcere Domine peccatores, caſtiga iam impios ſecundum opera eorum, pœnamque quam peccando promeruerunt, inflige: vnde & alibi, *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Pſal. 27. Pſal. 57.

Quid? itane ô Angeli, itane Sancti in aliorum calamitate ridebitis? an neſcitis, afflicto non eſſe dandam afflictionem? Et ecce, damnatis hiſce nouum cruciatum arceſſitis. Idumæi cum viderent Babylonios in Ieroſolymitanos graſſantes, omnia circumquaque deuaſtantes, tantum abfuit, vt eos ad clementiam moderationemq; adhortarentur, vt ſuaſerint etiã in lapides ſæuire, & omnia funditus conuellere & euertere. Vnde vates hæc omnia præſagiens dixit, *Memor eſto filiorum Edom, qui dicunt, Exinanite, exinanite, vſq; ad fundamentum in ea.* Idipſum de vobis, ô glorioſi ſpiritus animæque cœleſtes, dicere poſſumus: tantum enim aberit, vt damnatorum vos capiat miſeratio, vt Deum ipſum vindicẽ illum acerrimum exſtimulaturi ſitis vt tormenta & cruciatus adaugeat. Sancti Pſal. 136.

quippe cum diuinam eſſentiã contemplantur, eadem ſimul opera eiuſdem voluntatem vident, videnteſq, eidem ſeſe adaptant, adeo vt nihil velint aut nolint, quam quod illa velit aut nolit. Ita quoque dicendum eſt damnatorum eos ſupplicia, Deumq; iuſto furore accenſum contemplari, & ideo fieri, nulla vt erga eos compaſſione tangantur, ſed in illorum interitu cruciatibuſque exultent ac iubilent. Quod exemplo Patris Abraham confirmat Magiſter ſententiarum, qui nullis Epulonis precibus flecti, nullis obſecrationibus ad compaſſionem poterat excitari, adeo vt ne vel aquæ guttam eidem in ardoris leuamen dare voluerit. Luc. 16.

Euangeliſtæ cum Iudæorum crudelitatem ferociamq; quam erga vnigentum Patris exercuerant, deſcriberent, aiunt, eoſdẽ Chriſto in crucẽ acto inſultaſſe, exprobraſſe, improperiorum contumeliarumq; plauſtra in eum congeſſiſſe: *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei,* quin & ipſe per Prophetam de hac eorum impietate conqueſtus eſt, *Omnes videntes me, deriſerunt me.* Erat profecto inſignis illorum crudelitatis argumentum, æterni Patris filium in tormentis conſtitutum ridere, ſubſannare, & exſibilare. Idipſum de cœleſtibus illis ſpiritibus dicere poſſumus, riſuros nimirum & ſubſannaturos, quando damnatos in cruces actos, fornacibus ardentibus immerſos, ſuper ardẽtiſſimas prunas extenſos, in flamma ſepultos, in rotis denique tortos conſpicient. Ipſe quoque Dominus vindex in miſeriis eorum lætabitur & ridebit: *Tu Domine deridebis eos.* O dulcem crudelitatem! ô inhumanitatem vere iuſtam, & ex æquo demonſtratam! Matth. 27. Pſal. 21.

Caſtitatis exemplum Suſanna, cum ad ſupplicium adulterii inſimulata raperetur, omnes qui eandem nouerant, lachrymabantur, eiuſque calamitati condolebant: at quando damnati, variorum adulteriorum rei, in ignem æternum, ad vincula, cõpedes, & cruces, aliaq; ſupplicia rapiẽtur, nullus omnino eorum malis ad miſericordiã flectetur. Adeo vt illud Prophetæ merito vſurpare queant, *Suſtinui qui ſimul cõtriſtaretur, & non fuit,* Dan. 13. Pſal. 68.

& qui conſolaretur, & non inueni. Atque hoc omnium miſeriarum malorumq; maximum eſt. Iam vero videndũ reſtat, quomodo ſupplicia illa ſingulis impoſita ſint, & diſpiciendum, num omnes eadem patiantur, quod initio facturos nos promiſeramus.

IV. Non eodẽ omnes modo apud inferos caſtigabuntur. Dicendum eſt igitur, non eadem omnes in tartarea illa regione ſupplicia perpeti, aut eodem ſingulos modo cruciari, ſed vnumquemq; iuxta numerum ac grauitatem ſcelerum, caſtigari: qui enim magis enormia crimina cõmiſere, grauius quoq; cruciabuntur. Hoc nempe ad diuinã iuſtitiam ſpectat, quæ tam in caſtigandis improbis, quam in remunerandis iuſtis eluceat neceſſe eſt: idque iuxta Pſalmiſtæ ſententiam, *Iuſtus Dominus*, & in damnatione impiorum, & in remuneratione Sanctorum, *& iuſtitias dilexit, æquitatẽ vidit vultus eius.* Pſal. 10. Perinde ac ſi dixiſſet, Iam quinq; annorũ millia euoluta ſunt, ex quo ſummus ille Deus cœlorum terræq; dominium tenuit, omnia nutu ſuo direxit ac moderatus eſt, ex quo totius orbis homines iudicauit, ex quo tot decreta & ſententias ꝓnuntiauit. Iudicauit quippe Angelos & Adami poſteritatem, ſententiã venturi diluuii tulit, condẽnauit Sodomitas, Ægyptios ſubmerſioni & abyſſis adiudicauit, aliaq; iudicia tulit: nemo tamen vnquam exſtitit, qui eundẽ iniuſtitiæ coarguat, aut etiam in minimo iniquum fuiſſe audeat confiteri: *Nam iuſtitia Domini recta*, Pſal. 18. & de eodem alibi ſcriptum eſt, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Pſal. 44. Adeo vt in hac impiorum condemnatione iuſtitia illius inprimis eluceſcat.

At non meminiſti parabolæ illius Euangelicæ, in qua vineæ cultores cum patrefamilias expoſtulabant, quod eodem omnes donatos ſtipendio dimitteret? Audite corũ querelas, *Hi nouiſſima hora venerunt: & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Matth. 20. Quanto maiori cum ratione duorũ vel trium tantum criminum rei cum Deo expoſtulare poſſent, ſi tam grauia ſupplicia paterentur, quam ii qui infinitis ſe criminibus obſtrinxiſſent. Erit igitur cruciatuũ ac tormentorum diuerſitas, ac ſinguli diuerſimode cruciabuntur.

Iob. 10. Ita namque ſenſit magnus Gregor. explicans enim verba illa Iob, *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, ait, *Quomodo in ſuppliciis ordo non erit, dum damnatorum quemque iuxta modum criminis retributio ſequitur vltionis.* Lib. 9. mor. cap. 47. Erit quidẽ hac in re ordo & diſtinctio ac in cæteris mera confuſio & chaos. Grauiter namque torquebuntur fornicatores, grauius adulteri, ac grauiſſime ſacrilegi, inceſtuoſi, atque omnium maxime Sodomitæ. Non erit igitur eadem in ſingulis ſuppliciorum ratio.

Hinc bene olim Salomon, *Potentes potenter tormenta patiuntur, & fortibus fortior inſtat cruciatio.* Sap. 6. Nam quemadmodum peccata inter ſe diſtincta ſunt, ita quoque ſupplicia iiſdem debita diuerſa ſunt: neque enim dominus & ſeruus, Princeps & ſubditus eodem torquebuntur modo: ſed ſicut peccata regum ac Principum peccatis populi grauiora ſunt, ſic etiam eorum damnatio grauior & acerbior erit. De meretrice illa Babylonica etiam ſcriptum legimus, *Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18. Per Babylonem hanc, cui hæ minæ intentantur, intelligendæ ſunt peccatorũ animæ: quæ cum in abyſſos illas tartareas deciderit, tantum dolorum ac cruciatuum tolerant, quantum hic prius deliciarum ac voluptatis habuerunt. Et hæc omnia quam iuſtiſſime. Figuras huc facientes producamus.

Præcepit olim Ezechiel Prophetæ Deus, Ezech. 5. vt nouacula comas & barbam raderet, ac ſegmenta & pilos trutinæ impoſitos ponderaret, inque tres eoſdem partes diuideret, primam in medio ciuitatis combureret, alteram gladio in eiuſdem circuitu concideret, tertiam vero in ventos diſpergeret, & gladium manu vibraret. Quodnam hoc ænigma eſt, Auditores? litteraliter quidem de Iudæorum calamitate ac miſeria intelligi poteſt, qui corraſi ac patria ſua Babylonico gladio eiecti, diuinæ vindictæ trutinã ſubierunt: pars igne conſumpta, pars ferro neci data, pars in captiuitatem abducta, gladium ceruicibus imminentem habens, ſed tropologice hic ſuppliciorum, quæ apud inferos damnati ſubeunt, diuerſitas deſignatur, qui inſtar crinium quiſquiliarumque

que

Digitized by Google

ꝗue ſuperfluarum quadam die è mundi huius capite, ſummi iudicis gladio (de quo in Pſalm. 7. mentio eſt, *Gladium ſuum vibrauit.*) reſecti, eiuſque iuſtitię bilanci impoſiti, partim igni in medio magnę illius ciuitatis Plutoniæ tradentur, partim in minutas particulas concidentur, & ferro necabuntur, partim etiam in captiuitatis æternique exilii auras diſpergentur, nudum ſemper mucronem ante oculos conſpicantes. An non igitur omnia hæc ad amuſſim materiæ noſtræ quadrant? an non hinc manifeſtum redditur, non eadem omnium damnatorum eſſe ſupplicia?

Melius idipſum Dominus in Euangelio cum de zizaniis ageret, demonſtrauit; dicit enim patrēfamilias meſſoribus dixiſſe: *Colligite primum zizania, & ligate ea in faſciculos ad comburendum.* Deſignare ſcilicet vult, peccatores, qui vere zizania nuncupari poſſunt, in mundi huius agros conſitos, tempore meſſis, i.e. iudicii generalis die collectum iri, & in faſciculos colligandos, magnos ſcilicet cum magnis, paruos cum paruis, vt ita omnes pariter tantum in ignem cōiiciantur, quo ſecundum delictorum maleficiorumq; grauitatem exurantur. Ita nempe locum hunc interpretatur Gregorius Pontifex: *Faſciculos ad comburendum*, inquit, *ligare, eſt eos, qui æterno igni tradendi ſunt, pares paribus ſociare, vt qui ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat.* An non hoc ex mente noſtra eſt interpretari?

Matth. 13.

Gregor. in Euang.

Huc quoque viſus eſt reſpexiſſe Gentium Doctor Paulus, cum ait, varia in magna familia vaſa reperiri, alia nimirum aurea, alia argentea, alia lignea, & figlina, illa quidē in honorem & decus, hæc vero in contumeliā & dedecus, & pro eorum varietate varia iiſdem aſſignata eſſe loca. Ad huius imitationē dicere poſſumus, vniuerſum hunc terrarum orbem, inſtar palatii cuiuſdam ampliſſimi, variis vaſis repletum eſſe, his quidem aureis & argenteis, i.e. iuſtis, illis autē ligneis & fictilibus, i.e. peccatoribus: hos eſſe ad gloriā, illos ad contumeliam & opprobrium ſempiternum deſtinatos; deinde varia his in cœleſti aula, & illis apud inferos in regno Plutonio loco ſedeſq; aſſignatas eſſe. Præcepit olim Dominus Noacho, vt plurimas in Arca manſiunculas inſtitueret, vt vnumquodq; in ijs animal iuxta naturæ ſuæ præſcriptum diuerteretur, aues nimirum cum auibus, lupi cum lupis, leones cum leonibus, atq; ita ſingula cum ſui ſimilibus; vt quemadmodum inter ſe ſpecie non diſcrepabant, ita quoque loco & ſedibus non differrent, ſed eſſent velut contubernalia. Mundus hic, Auditores, vera quædam arca dicendus eſt, ſed omni animalium genere refertiſſimus; quibus omnibus ſapiens ille Noë Deus diuerſas manſiones ac receptacula dedit; in ſuperiori quidem parte, i. cœlo, animas illas ſubtiliores ac meritorum pennis in ſublime elatas, Sāctos, inquam, & juſtos, commorati voluit: in locis vero humilioribus, i. apud inferos, peccatores, bruta illa animalia & naturæ ſtupidioris, collocauit. Fecit adhæc in duobus hiſce locis etiam aliquas diſtinctiones vt illi ꝓ meritorum, hi pro delictorum magnitudine & numero, mercedem reciperēt. Hinc fortaſſe factum, vt, cum in Sacris litteris ſedium illarum ſubterranearum carcerisq; Plutonij mētio incidit, plurali plerumq; numero, Inferorum, id fiat: vt & in Symbolo Apoſtolorum, *deſcendit ad inferos*: quo hinc manifeſtum fieret, plurimas apud manes habitationes eſſe, & carcerem illum plurima habere receptacula, in quibus tum damnati, tum diaboli vinculis conſtricti ſint.

2. Tim. 5.

Gen. 6. Figura.

Thomas ille Aquinas, omnium ingeniorum facile ſummum, omniumq; Theologorum corypheus, apertiſſime quoque, vt omnia, demonſtrat, ſ. quemadmodum varij in cœlo gloriæ gradus ſunt, & nō eadem ſingulorum beatitudo ac fœlicitas, iuxta verba illa Domini: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, idq; propter meritorum virtutumq; differentiam, ita quoque apud inferos plurima tormentorum ſuppliciorumq; genera, propter delictorū varietatem ac diſcrimen reperiri. Teſtis accedat Magnus ille Gregorius: *Licet*, inquit, *gehenna cunctis vna ſit, non tamen cunctos vna eademq; qualitate ſuccendit* quod & egregia quadam ſimilitudine confirmat.

3. Par.

Ioan. 14.

Libr. 9 Mor. c. 47. & ſuper Euang.

Nam quemadmodum in ęſtate Syrio ſtella omnia adurente, & per terras graſſante, omnes quidem eundem Solem, ſed non eundē calo-

Simile.

colorem ſentiunt, aut non tantum ille quantum ille, propter diuerſam corporum diſpoſitionem, ſudat. Adeo vt qui teneriores, & delicatiores, citius & vehementius ſudent, quàm robuſti & ſanguinei, aulici quoque citius quam ruſtici aut opifices, mulieres delicijs aſſuetæ, prius quàm rurales aut mulctralibus aſſuetæ: *Ita*, inquit magnus ille Doctor, *damnatis eſt vna gehenna quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hic agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.* O ſententiam & conceptum tanto dignum Pontifice! ô ſimilitudinem ſcitè adaptatam. Ecce & aliam.

Aliud. Videmus quotidiana experientia, igne accenſo non eodem modo paleas, lignum, ferrum aduri aut conſumi, nec eodem in tria hæc modo flammam agere; paleas namque quam celerrime abſumit, lignũ maiori cum vehementia: ferrum denique nonniſi ſumma vi; inprimis calor quidam mediocris eſt in ſecundo vehementior, in tertio autẽ vehementiſſimus. Ad eundem modum, fide & rationibus certiſſimum eſt, ignem quidem infernalẽ nonniſi vnicum eſſe, & tamen non eodem omnes damnatos modo adurere, ſed hos leuiter, illos grauius, alios vero grauiſſime; homicida enim vehementem quidem ardorem ſentiet, ſicarius vehementiorem, at vehementiſſimum ac propemodum intolerabilem, qui parricidali manus ſanguine cruentauit.

Comparationi meæ ſuffragatur doctiſſimus Ephrem, dicens: *Sicut ſunt peccatorum differentiæ, ita ſunt & cruciatuum varietates: aliter enim cruciatur adulter, aliter fornicator, aliter homicida.* Nec in ipſis quidem tribunalibus ciuilibus, eadẽ omnes malefici ſupplicia ſubeunt, neue omnes in crucẽ aguntur: his enim cruta & oſſa ferro comminuuntur, illi capite truncantur, his candenti ferro carnes aduruntur, illos flamma in fauillas redegit, alios denique equi, in diuerſa agitati dilaniant, atque aliis alii ſuppliciis afficiuntur, quod ipſum & de diuino tribunali ſentiendum eſt.

De vera pœnit. c. 3.

Lib. Medit. c. 3. Proferat & hic ſuum ſymbolum Bernardus, audiamus quid ſentiat: *Iuxta qualitatem culpæ, pœnam ſuſtinebit vnuſquiſque gehenna, & ſimiles culpæ rei omnes ſimilibus iungentur cruciandi.* Omnes ſcil. ventri & gulæ dediti cum diuite Epulone vnum in locum cõpingentur, homicidæ cum Caino, auari & proditores cum Iuda Iſcariota, ſuperbi & contumaces cum Chore, Dathan, & Abiron, elati deniq; cum diabolis, vt quos l a uere in peccando velut exemplum & paradigma, apud inferos habeant ſocios & ſodales.

E quibus omnibus efficitur, eos grauiſſimis apud manes cruciatibus ſubditos eſſe, quia plura & grauiora hic peccata cõmiſerunt. Et ſane ſi dæmones vnam ob noxã, vel ſola cogitatione conceptã, tam acerbis cruciatibus affliguntur: quid imminere ſibi ſperent, qui innumeris Deum delictis ad iracundiam prouocare? Si lurco ille Euangelicus, quod epularetur ſplendide, & purpura quotidie ac byſſo indueretur, medias inter flammas ſepultus eſt: quæ ſupplicia, Deum immortalem! manent eos, qui tot quadrageſimarum ieiunia violarunt, luxum, libidinem, & ingluuiem tantopere ſectati ſunt? an non grauiores illis cruciatus expectandi? *Luc. 16.*

O horrendum ac vere miſerum! Miſerum vere, Caino, diuite epulone, ipſis quoq; dæmonibus maiores & acerbiores pœnas pati. Quis hæc audiendo non expalleſcat? ita tamen ſeſe res habet; nam ſicuti in cœlo hominum aliqui angelos in gloria & beatitudine ſuperabunt: ita quoque apud inferos reperientur, qui dæmonas in ſuppliciis tormentis doloribuſq; antecellent. O cruciatus intolerabiles!

Erunt in inferno, qui magis excruciabuntur quã ipſi dæmones.

Quamobrem peccatores, *ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Domino, inquam, cuius carceres ſunt infernales illi ſpecus, quiq; tot ad caſtigandos impios parata habet ſupplicia: *Apprehendite*, itaque, *diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius.* Expergiſcimini tandẽ aliquando, cum tam horrenda auribus veſtris verba inſonuerint. Recordamini nouiſſima veſtra, ac præſertim pœnas infernales, & in æternum non peccabitis. Si enim Niniuitæ, audito vrbis exterminio & clade & mortis nuntio, in cinere & ſordibus pœnitentiam egerint, ſacco membra

Pſal. 8.

Ibid.

Ion. 3.

bra

bra contexerint, triduanam per totam ciuitatem etiam animantibus ieiunium indixerint: quid vos facere par eſt peccatores, cũ vos ad mortem, & quidem æternam, ſuppliciaque intolerabilia propemodum condemnatos videtis.

2.Rg.21. Si Achab, impius ille Rex, qui idolis immolabat, & Prophetas Dei ad necem perſequebatur, audita Eliæ Prophetæ comminatione, familiæ deſtructione, & filiorum interitu, veſtimenta lacerauit, cilicium induit, ieiunio carnem macerauit, dormiuit in ſacco, ſeſeq; coram Domino humiliauit; quid vos, ô inſenſati peccatores, facere æquum eſt, cum certi ſitis, tam graue vobis exitium, tam acerba ſupplicia, mortem adhæc ſempiternam imminere? an non hæc cilicium, cineres, lachrymas, auſteritatemq; promereri videntur?

Ion.1. Propheta Ionas, diuini præcepti contemptor, cum in naui ſterteret, interea dũ tempeſtate cæteri iactarentur, nautæ accedentes, dixere: *Quid tu ſomno deprimeris? Surge & inuoca Deum tuum, ſi forte cogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Iiſdem vos ipſe hodie verbis compello peccatores, quid cogitatis? quid agitis? nauis in qua nauigamus, vitæ huius cymba eſt, mare ipſe mundus, tempeſtas qua iactamur, & quæ nobis imminet, diuinæ iuſtitiæ furor & indignatio, Ionas ille dormiens ipſe peccator peccatis indormiens, contumax, rebellis, diuinorumque mandatorũ contemptor, qui fluctuũ, tempeſtatum, omniumque procellarum rabiem irridens, deque ciuſdem nihilum ſollicitus, ſtertit ſecurus, & in vtramque aurem ſine vllo metu ac formidine indormit, ſed fungar ipſe hodie vice naucleri, voſque omnes à ſomno excitare conabor vociferans, & alta voce inclamans: Suſtollite in altum oculos peccatores, quod ſomno ſepulti iacetis? Expergeſcimini tandem aliquando, ad Deũ confugite, eundẽ vobis propitium reddite, quo à naufragio tuti & immunes ſitis: expergiſcimini, inquam, & recordamini nouiſſima veſtra, atque ita ab omnibus vos peccatis continebitis.

Et ſane tam altum dormimus Domine, tam graui lethargo oppreſſi ſumus, vt niſi ipſe manum admoueas, noſque gratia tua excites, nunquam expergiſci, aut oculos aperire poſſemus, imo diſcrimen, ne in peccatis mori contingat, adiremus. Illumina ergo oculos, ne vnquam obdormiamus in morte, aurem nobis vellica, tu qui medicus noſter es, Saluator, conditor, Deus, & omnia, excita corda noſtra, vt ſemper tormenta hæc, ſupplicia, doloreſque illos perennes ante oculos habeamus; ſupplicia, inquam, illa diuerſa & intolerabilia, modo frigoris intenſiſſimi, modo ignis vehementiſſimi, modo gelidi ſtagni, modo ardentis camini rabiem: ſupplicia adhæc quæ iuxta vniuſcuiuſque delicta augebuntur vel minuentur. Atque hæc omnia Domine, adeo terribilia & horrenda, vt qui eandẽ aſſidue mente verſaret, te nunquam offendere, tuiſque præceptis aduerſari præſumeret; ſed perpetuo in timore & anxietate, quæ initium omnis ſapientiæ eſt, viueret, atque ita in mandatorum tuorum obſeruatione ſe exerceret, quæ certiſſima ad ſalutem via, ac beatitudinis mater eſt, cuius nos participes reddant Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

fletu infantiliter cõminetur? ſed ioci non ſunt, vbi ſupplicia intercredũt: ſi iocãdo paſſi ſunt, credãtur & iocãdo locuti. O verba aurea atq; auro redimenda! ecce & alia non minus admiranda, licet ab Ethnico calamo profecta.

Sententia Alexandri Aphrod.

Alexander Aphrodiſæ' Antonino Pio Roman. Imp. epiſtola ad eum miſſa perſuadere conatus, pœnas, quæ damnatos poſt hãc vitam manent, veras eſſe & reales, ac vere illos in altero ſæculo tormenta perpeti, hunc in modum argumentatus eſt: ſi nulla poſt mortem tormenta ſubeunda reſtant, Deus nullam bonorũ aut malorum rationẽ habet, ſi nec de his ſupplicio, nec de illis prẽmio afficiẽdis ſollicitus eſt, tribus hoc de cauſis cõtingat neceſſe eſt, vel quod ignoret, quæcũque hic à nobis fiunt: vel quod nec benefacta mercede, nec delicta debito ſupplicio cõpenſare queat: vel deniq; ꝙ vtrumq; facere negligat. Si primum, huius rei cauſam dixeris, omnem prorſus à Deo ſcientiam tolles, eumq; ignorantem effinges, ꝙ tamen abſurdiſſimum eſt: ſi ſecundum, potentiam eius imminues, qua tamen potiſſimum omne illius regnum niti videatur: ſi vero tertium, iniuſtum eum dices: neq; enim ius tunc vnicuiq; ſuum tribuerit, nec probis ꝓ meritis ac virtutibus mercedem, neue impiis ꝓ delictis pœnas potis fuerit aſſignare. Quam vere hæc omnia? & ꝗ proxime Ethnicus ille veritatis hic ſcopum attigit? Vnum hoc addidero, quod quicunque de hac re dubitat, de Deo ipſo dubitare videatur, animas enecet noſque animalibus ac beſtiis, quoad ſalutem beatitudinemq;, ſimillimos efficiat & verbo vt dicã, atheus ſit, & à paganorum infidelitate haud longe remotus. Sed iterum hinc in ſcenam prodeat magnus ille Pontifex ac Doctor Gregor. cum enim inaudiſſet eſſe quoſdam, qui exiſtimarent pœnas quas Deus poſt hanc vitam comminatus eſt, non niſi ad percellẽdos homines, & à vitiis auocandos, excogitatas eſſe, in hunc modum reſpondit: *Si falſum eſt quod minatus eſt, vt ab iniuſtitia corrigeret, etiam falſa eſt pollicitus, vt ad iuſtitiam prouocaret: ſed quis hoc dicere vel inſanus præſumeret?* Sed relictis hiſce dubitandi occaſionibus firmiter teneamus, tormenta hæc vera eſſe, non vero imaginaria, aut vmbratica, ac veros & reales à morte apud inferos cruciatus eſſe ſubeundos. Ita nẽpe id in Euangelio aſſeruit ipſe vnigenitus Dei Filius Chriſtus: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*: expertus quoque hoc erat epulo, cum vociferatur, *Crucior in hac flamma*: idipſum & Apoſtoli docuere dicentes, *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.* Sunt deniq; cruciatus veri & ſenſibus exterioribus perceptibiles, ac multiplices: quos Theologi Scholaſtici bifariam diuidunt: ſunt nimirum pœnę ſenſus, & pœnæ damni, prioris generis ſunt dolores & cruciatus ignium & flammarum, frigoris acerbitas, vmbrarum dæmonumque horror, terræ exhalationis fœtor, aliique qui ſenſib. exterioribus percipiuntur: ad poſterioris autẽ generis pœnas reuocari debet amara illa afflictio, qua damnati diuina ſe viſione ac beatitudinis fruitione in æternum priuatos videbunt. Hæc quidem pœna ſubeunda venit, quod peccatores delinquendo à Deo ſeſe auerterint; illa vero, quod inordinato & effreni quodã affectu ad creaturas è cõtra ſeſe conuerterint. De priori hodiernam exhortationem inſtituam, de poſteriori craſtina die locuturus. Vt vero ſolitã procedendi materiæq; deducendę rationem teneã, in duas partes hanc de pœna ſenſus materiam diuidã, primo declarare conabor, in quo eadem conſtat, ac deinde, quonam modo ignis, qui præcipuum cruciandi inſtrumentum eſt, in damnatorum animas agere queat. Si vos veſtris in audiendo partibus nõ defueritis, equidem operam dabo, ipſe ne officio meo videar defuiſſe.

Libr. 3. Dial. c. 44.

Matth. 8.

Luc. 16.

Matth. 25.

II.

Scotus lib. 4. diſt. 44. q. 2.

Principio igitur, tradit Scotus, duo pœnarum genera damnatorum animas apud inferos ſuſtinere: primum in ſua eſſentia: quamuis enim illæ puriſſimi quidam ſpiritus ſint, realiter tamen aliquod, idque per ignem à Deo, velut iuſtitiæ ſuæ inſtrumentũ, intenſum ſupplicium patiuntur, alterum in omnibus ſuis partibus: animæ enim qui cum omnibus ſuis facultatibus in captiuitate detentæ ſunt, & velut in flammarum lacu ſepultæ, in omnibus ſuis facultatibus eſſentiæq; ſuis angulis, aliquid etiam ſuſtinent. Ipſe namq; intellectus, cum in mediis ſeſe flammis conſtitu-

Anima in omnibus ſuis facultatibus dolorẽ ſentiet.

ſtitu-

ſtiturum viderit, vicinū quinetiam ſemper ignem ſenſerit, qui perpetuo adurat, ac mille cruciatus infligat, reflexione quadā. & præſens tormentum animæ, ac futurū corporis, neceſſario ante oculos habet. Atque hinc fit, vt intolerabilē cruciatum intus expetiatur, ac nullam habere requiē poſſit, ſemperque in inquietudine ipſa ad requiē aſpirans, nec vnquā inueniens, omnia & ſingula voluntati, quæ ei quam proxima eſt, tam præſentē cruciatum animæ, quam illum quem poſt vniuerſale iudicium corpus ſubire par eſt, repræſentat. Quod cū voluntas deinde aduerterit, ac diligenter penſarit, ad deſperationem cogitur, & præſentes hoſce dolores execratur. Memoria quoque non minus hic tormentū ſentit, cum animæ & corporis ſupplicia in æternū extendenda, nulloq; vnquam quo, nec poſt centenas annorū myriadas, terminandas, ſibi proponit. Atq; ita animæ in omnib. potentiis & facultatibus pœnas ſuſtinent: & quoniam hæ omnes ad ſenſus ſpectant, omnis etiam pœna quā facultates has ſubire diximus, ad pœnam ſenſus referri merito poſſe videatur. Hem ecquænam pœna! Intellectus ſiquidē deſperabit, voluntas furet, & in rabiem conuertetur, memoria indignabitur, intellectus ſuā conſiderando captiuitatem, voluntas, calamitatem, memoria æternitatem, in mentem vocans. Exclamare itaque merito poſſum: ô pœnas vere ſenſibiles!

Corpora damnatorū in omnibus ſenſibus puniuntur.

Equidem, poſt ſubtilem hunc doctorem, dixero, corpora, quemadmodum animas in omnibus facultatibus & potentiis vſque ad diem iudicii affligendas conſtat, poſt iudiciū quoque in omnibus membris & facultatibus ſenſibilibus pœnam expertura. Adeo vt damnati doloribus circumdati, mundo illud Prophetę occlamare poſſint, *O vos omnes qui tranſitis per viam*, id eſt, qui iter adhuc vitæ calcatis, & in terra ambulatis, *Attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*, & ſupplicium ſimile noſtro: item illud Dauidicum, *Omnes*, ô diuina iuſtitia, *fluctus iræ tuæ induxiſti ſuper me*, vt me in ærumnarum pelago ſubmergas, adeo vt nullum reperire ſit membrum, quod dolore & pœna non atteratur & torqueatur.

Thren. 1.

Pſal. 87.

Viſus quippe horribiles & denſiſſimas tenebras, ac teterrima & portentoſa ſpectra cōſpiciet. Ita namq; teſtati ſunt Prophetæ: *Per diem incurrent tenebras*, &, *Terram miſeriæ & tenebrarum*, & alius, *Fiant viæ illorum tenebræ*; item, *Sedentes in tenebris & vmbra mortis, vinctis in mendicitate & ferro*, eiuſque filius, *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt*, &, *Via peccantium complanata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*, & Iſaias, *tenebræ coram eo*, & Nahum, *Et inimicos eius perſequentur tenebræ*, ac poſt omnes hos Euangeliſta, *Eiicite in tenebras exteriores*. Deſunt ne nobis, quibus hoc aſtruamus, teſtimonia? aut damnatis quæ patiantur ſupplicia?

Iob. 5. Iob. 10. Pſal. 34. Pſal. 106. Sap. 7. Eccl. 21. Iſai. 48. Nahum. 1. Matth. 25. Exod. 10.

Et ſicut tenebræ quas Ægyptii ſenſerunt, non poſtrema plaga fuit, quippe quæ triduo durarint: ita quoque non inter poſtremos damnatorum cruciatus erunt tenebræ illæ denſiſſimæ, in quibus ſemper viuent, ambulabunt, & quas manibus quodammodo palpabunt, ita vt nec ſolem, nec lunam, nec aliud lumen in æternum viſuri ſint, ſed talpa cæciores futuri. O pœnam intolerabilem!

Si pius ille ſenex Tobias, qui nonniſi quadriennio oculorum lumine priuatus vixit, malum ſuum in tantum exaggerauit, vt aſſidue ingemiſcendo diceret, *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & cæli lumen non video*? Quanta igitur lamenta, eiulatus, ecquas expoſtulationes eſſe putatis eorum qui carceribus illis obſcuriſſimis mancipati, perpetuis in tenebris verſabuntur, in æternum quodammodo cæci nullū amplius cœli aut ſolis ſtellarumq; lumen aſpicientes. O cruciatum incomparabilem!

Tob. 5.

Tanti porro Anaxagoras Clazomenius ſolem faciebat vt non aliam ob cauſam ſe conditū & in hoc mundo poſitum diceret, quam vt iucundiſſimū eius lumen contemplaretur, omnem ſcil. hominis felicitatem & beatitudinem, licet perpetuam, in eiuſdem pulchritudinis contemplatione ſitam exiſtimans. At quamuis in eo errarit, non immerito tamen tanti lucidū illud corpus feciſſe viſus eſt: cuius vt lumen hominibus iucundiſſimum

Anaxagoræ dictum.

Digitized by Google

ciſſimum eſt ac gratiſſimum, ita eiuſdem priuatio triſtiſſima: hinc ſiquidem inferre voluit, maiorem homini vix calamitatem poſſe accidere, quam iucundiſſimo illo ſolis conſpectu priuari, tunc ſcilicet ſol vertetur in tenebras, & tunc tenebræ erunt ſuper faciem abyſſi.

Proh infelices ac miſeri oculi, qui inani vos toties & laſciuo intuitu oblectaſtis, qui toties illicita conſpexiſtis, toties in res & delicias exteriores effuſi eſtis! tunc præter crudelitatẽ & horrorem, nihil videbitis. Tunc loco iucundiſſimorum colorum, loco ſplendidiſſimi illius aſtri, ac luminis gratiſſimi, horribilia ſpectra, furias infernales, horrore & deformitate teterrimas, diabolos mõſtroſiſſimos conſpicietis. Huc adeſte ſtulti Cupidinis ſectatores, Audite, timorem Domini docebo vos. Tunc ſcilicet vos, ô Veneris myſtæ ac potius mancipia, qui oculos huc & illuc gyratis, tot laſciuos hinc inde intuitus captatis, & emittitis, loco dominarum, loco nympharum formoſarum, loco dearum illarum, quas veſana quadam impietate & ſtulto affectu colitis & adoratis, Megæras, cerberos, viperas, hydras, diabolos, aliaque monſtra viſu horrenda & abominanda conſpicabimini.

Iob.31. At melius, mea quidẽ ſententia, egit ſanctiſſimus Propheta Iob: diuinum namq; iudicium ob oculos habens & inferni ſupplicia, oculos ſuos ne quoquam effluerent, velut freno quodam continebat, ne forſitan laſciuus illa conſpectus teterrimorum monſtrorum intuitu puniretur; *Pepigi*, inquit, *cũ oculis meis fœdus*, ne ſe curioſe hinc inde euagarentur, & nihil niſi Deum eiuſq; creaturarum pulchritudinẽ conſpicerent, vt ita ad creatoris præſtantiam contemplandam raperentur. Ad imitationem nimirum Regis

Pſal.8. qui dicebat: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Quam ſapiens ac cordatum cõſilium! ſed pergamus ad reliquos ſenſus.

Auditus etiam horrẽdo boatu & gemitu cõſternabitur. Ipſe quoq; auditus illic ſuos cruciatus ſingulares habebit: ſemper namq; audiet ſtrepitum illum horribilem, gemitus illos & lamenta inenarrabilia, & vlulatus illos per infernales regiones reboantes. Ipſæ blaſphemiæ, maledictiones, rabies, furor, execrationes, aliaq; horrẽda, tonitrua, erunt ſymphonia aulæ Plutoniæ, erunt Horæ & cantica, quæ noctes & dies in templo Ditis perſonabunt. Vnde Iob, *Clamabunt, & vlulabunt, propter vim brachii tyrannorum*, aſſidue torquentiũ: & mox, *Clamabunt, & non exaudies propter ſuperbiam malorum:* & poſt illum Pſalmiſta, *Confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos: clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominum nec audiuit eos.* *Iob.35.* *Pſal.17.*

Cum ſuperba illa Babylon, de qua in Apocalypſi ſua Ioannes, deſtrueretur, varii eiulatus & clamores exaudiebantur, quibus omnes circumcirca prouinciæ percellebantur, adeo vt omnes prætereuntes, viſo ciuitatis huius magnæ incẽdio, vociferantes ad inuicẽ dicerent, *Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ.* At alii in Babylone illa infernali, inferno inquam, vbi mera eſt confuſio, clamores & eiulatus audientur. aliter profecto omnes vociferabuntur, quando vaſtam illam ciuitatem ignibus & flamma æſtuantem videbunt, quando incendium illud vniuerſale, quod in infinita ſæculorum ſæcula duraturum eſt, conſpicient. Quot illic gemitus, quot ſuſpiria, ecquę lamenta & eiulatus: illic nimirum noctes atque dies, mane & veſperi, atque omni momento clamabunt tortores, Ad ignem, ad ignem, ſæui, macta, trucida, iugula, in altum ſuſpende. Ibidem fœneratores & vſuris ditati, hinc clamabunt: Vah maledictę opes & pecuniæ! illinc voluptuarii deſperantes ingeminabunt, proh infelices voluptates & amaræ delicię, quomodo nos perdidiſtis! Clamabunt illi ſuperbi & ambitioſi præ rabie & furore: Ad quid vnquã natus ſum, cur in mundum ingreſſus, ô infelices honores, ô ſcelerata ac fallax ambitio! His porro cantibus damnatorum aures aſſidue perſtrepent, hac ſymphonia demulcebuntur. Sed vlterius. *Apoc.16.* *Apoc.18.*

Odoratus Non carebit etiam cruciatu ſuo odoratus. Sentiet enim fœtores intolerabiles, & quoq; teter odores peſtilentiſſimos, quos cauſabuntur rimos odorum ſordium congeries & fæcium colluuies res pcipiet. (quia, vt Theologi, & inprimis Baſilius, aſſerunt, poſt iudicium peractum omnium elementorum fæx & proprietas eorum læſiua,

ſiua, virtute diuina ſeparabuntur ab eis, & ad maiorem damnatorum cruciatum in infernale barathrum deſcendent. Et longo
Pſal.39. ante tempore id præuidens Dauid, & pœnã hanc præſagiens, infernum lacum miſeriæ & fæculentũ ac lutoſum appellauit: tum vero odor ille & fœtor, qui e damnatorum corporibus, quæ illic quodammodo aſſabuntur & torrebuntur, progredietur. Vnde Iſaias:
Iſa 34. *De cadaueribus eorum aſcendit fœtor*: attamen
In dieta ſalutis. cap 39. enormis & peſtilens, vt Bonauentura dicere auſus ſit, mundũ vniuerſum confeſtim lue inficiendum, ſi vel vnius damnati corpus in eum inferretur. Si vnicum corpus tantum efficeret, quid facient infinita damnatorum cadauera, a tot annorum millibus infernalibus ignibus toſta? ecquod tormentum erit, hunc aſſidue fœtorẽ & terram hanc mephitim perpetuo percipere?

Ioan.11. Abominabatur Martha cadauer fratris Lazari, quod quatriduo in ſepulchro iacuerat, adeo vt vix ipſum paſſa ſit, dicens: *Quatriduanus eſt, & iam fœtet.* Quis igitur horror erit videre, tangere, & olfacere putiſcentia illa cadauera, quæ infernali barathro iam inde à quatuor, aut amplius annorum millibus ſepulta iacuere? quid ſunt, obſecro, quatuor dies cum quatuor millibus, aut myriadibus annorum collati? Dicere quippe de Caino poſſumus, *Iam fœtet, & quatriduanus eſt*. Item de diuite Epulone, ac pluribus aliis & merito. Tanto namq; tẽpore prunis illis, adipe damnatorum quodam modo pingueſcentibus, impoſiti aſſati ſunt. At quodnam tormentũ erat, ecquæ afflictio, fœtores hos è putidis cloacis redundantes naribus percipere?

Dionyſii crudelitas. Horrent hiſtorici, cum Dionyſii Syracuſanorum tyranni crudelitatem commemorant: qui nimirum viuos mortuorum corporibus affigebat, vt ita fœtore & pœdore enecarentur, quod & de Mezentio habet Virgilius, qui

Corpora corporibus iungebat, mortua viuis.

At maior longe crudelitas erit, quando damnati putidis illis cadaueribus connexi erunt, & quodammodo colligati, & intolerabilem illum fœtorem in æternum, ſine vlla moriendi, aut ſeipſos occidendi ſpe perferre cogentur. Vbinam tunc, ô delicatuli & peregrini muris olentes pelliculas, ô molles & effœminati, ô aſſuetæ deliciis & exoticis odoribus puellæ, erunt floſculi illi, vbinam aromata, vbinam transmarina illa ſuffimenta, aut balſama, ſed erit, teſte Propheta, *pro ſuaui odore fœtor*, & veniet aliquando tem- Iſa.3. pus, quando in ſpurciſſima vos cloaca & foricis fœtidiſſimis, in quas omnes totius mũdi ſordes congerentur, cõſtitutos videbitis. Quamobrem *intelligite hæc, qui obliuiſcimini* Pſal.49. *Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* At nondum hic finis.

Guſtus quoque extremum cruciatum ſentiet, nam fame & ſiti ardentiſſima torquebitur. *Conuertentur*, inquit Pſalmiſta, *ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Dilucide quoq; id oſtendit Ioannes in Reuelationibus, deſcribens enim calamitates quas meretrix illa Babylonia ſuſtinebat, ait, famem non poſtremum inter eas locum tenuiſſe, *Ideo*, inquit, *in vna die venient plagæ eius, mors & luctus, & fames, & igne comburetur quia fortis eſt Deus qui iudicabit illam.* Ita quoque inter omnia animarum illarum adulteriis infamium ſupplicia non poſtremum erit amara quædam fames, & ſitis ardentiſſima. Teſtis ſit diues ille epulo, qui iam à bis mille annis ſiti laborat, & cum linguam habeat aridam, ardore aduſtam, flammis exſiccatam, vel vnicam aquæ guttam poſtulat, nec poteſt impetrare, imo nec vlla vnquam eius impetrandæ ſpes affulget.

Pœna guſtus. Pſal.58. Apoc.18. Luc.16.

Non tamen negandum, interdum acceſcentia eos labra irrigare, ſed nonniſi felle, aceto & abſynthio. Ita namque comminatus eſt Propheta, *Cibabo eos abſynthio.* Item Pſalmographus, *Calix in manu Domini, &* iuſtitiæ eius, *vini meri, plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Ille namque eſt calix æternæ damnationis, plenus ſuppliciis meraciſſimis, ſine vlla relaxationis ſpe: plenus modo ardore, modo frigore, modo flamma, modo niuibus algidiſſimis: vnde Iob, *De aquis niuium tranſibunt ad calorem nimium*, fæx autem calicis huius ipſa eſt pœnarum acerbitas, quam omnes

Ierem.23. Pſal.47. Iob.24.

pec-

Digitized by Google

peccatores bibant neceſſe eſt. O triſte poculum! ô amaram potionem!

Orat. de exit. animæ.] Cyrillus Alexandrinus, qui circa annum Domini CCCCXXX. in Eccleſia floruit, & Concilio Epheſiuo aduerſus Neſtorii impietatem coacto interfuit, omnes hoſce cruciatus ſenſibiles vno velut faſce cōprehendēs, in hunc modum locutus eſt: *Mihi amarulentam timeo gehennam, quippe interminatam: exhorreo Tartarū, vt cui nimium inſit caloris; paueo tenebras, quoniam nil admittant lucis formido peſtiferum vermem, qui eſt perennis.*

Libr. de tripl. habitac. c. 5. Poſt hunc prodeat magnus Auguſtinus, qui eaſdem pœnas ſenſus recenſens, ad duo eas genera reuocat, frigus ſcilicet intolerabile, & calorem ignis inextinguibilis, quod ex Euangelii verbis hauſit, tum Matth. 8. 13. 22. tum Luc. 13. *Illic erit fletus & ſtridor dentiū;* quorum primum ignem, alterum glaciem deſignat: quibus duobus impii apud inferos maxime cruciantur

At præſertim igne: nihil enim ita ſenſibus percipitur quam flamma, quam diuinæ litteræ ſemper præ cæteris tormentis enumerant: & de qua toties in Euangelio fit mentio, vt, *Ite maledicti in ignem æternum*, & alibi: *Matth. 25.* *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur* *Matth. 7* Item: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet pater meus, & in ignem mittet.* *Ioan. 15.* & alibi ſæpiuſcule ignem inquam, non qualis fuit Eliæ, qui etiam ſaxa & petras exuſſit, *3. Reg. 18.* non qualis fuit ille, quo Sodoma & Gomorrha periere, qui omnia in cineres & fauillas redegit; ſed ignē penitus admirabilem & ardentiſſimum, cui noſter ille quotidianus collatus fictitius & pucrilis, teſte Auguſtino, videatur, ignem qui à quinque iam annorum millibus ardet, & accenſus nunquam exſtinguetur: Quod *Iſai. 34.* confirmat Propheta, dicens: *Nocte & die non exſtinguetur, in ſempiternū aſcendit fumus eius.* *Apoc. 14.* Item Ioannes, qui idipſum diuina reuelatione perſpectum habebat: *Cruciabuntur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum* O ignem admirabilem, corpora ſimul & animas exurentem, damnatos ſimul & diabolos cruciantem. Aliquid eorum innuiſſe viſus eſt Dauid, cum ait: *Pones eos vt* *Pſal. 20.* *clibanum in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* ô metaphoram ac loquendi modum penitus inuſitatum!

Sed addam & alia non minus admiranda. *Ignis infernalis non lucet.* Ignis hic ſemper ardet, flammat, & tamen non collucet; quod Pſalmographus demiratus, diuinæ hoc potentiæ adſcribit: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, i. e. Deus omnipotenti virtute ſua ignis infernalis lumen & ſplendorem aufert, collucendi potentiam ab eodem penitus reſecans. *Pſal. 28.* Et ſicuti fornacis Babyloniæ calorem temperauit ardoremque compeſcuit, ita infernali igni lumen auferet, efficietque, vt ardeat & exurat, & tamen non reſplendeat, aut fulgeat. *Dan. 3.* Confirmat hoc ipſum & Gregorius, & quidem verbis apertiſſimis: *Illa flamma vltrix vitiorum, cremationem habet, & lucem non habet.* *Lib. 9. Mor. c. 46.* Exclamem igitur, ô ignem admirabilem! ô rem ſtupendam! eſſe nimirum inter ignes, & ignem non videre, & ô rem deplorandam, perpetuo hiſce ignibus cruciari & torreri.

An non igitur metuis peccator, pœna hęc præparata eſt? an non conſternaris & expalles, quando horum ſuppliciorum mentionem fieri audis? Si enim nemo veſtrum eſt, quin horreat & concutiatur, dum maleficum aliquem lento exuri igne conſpicit, quid faciet cum ignem tartareum videbit? nam quid eſt, obſecro, ignis ille cum infernali collatus? ecquæ vtriuſque ſimilitudo? tanta fortaſſe, quanta ignis picti, & eius qui omnia vnico momento celerrime deuorat, quanta horæ vnius cum æternitate. Idipſum inſinuauit olim Iſaias Propheta: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis.* *Iſai. 33.*

Phalaris tyrannus. Adhæc, quis non horreat, cum Phalaridis tyrannidem & crudelitatem audit, qui ad mortem condemnatos, tauro æneo accenſo ſubtus igne, includebat, vt ita lento intus igne excoquerentur & in nullam ſeſe partem, ſolatii aut leuaminis quærendi ergo flecterent, ſed cruciatum clamore, furore, eiulatu, deſperationeque teſtarentur donec exſpirarent? Vbinam modo fides veſtra eſt,

Chriſtiani? quid, obſecro, Phalaridis hoc ſupplicium eſt, ſi ipſa quæ Satan infligit reſpiciamus? quid ſunt hi cruciatus, ſi cum infernalibus conferantur, niſi ſomnium aut mera vanitas. Alexander Macedo, cum litterarum ſcribendarum gratia noctu lucubraret, puerique aſtantes lumen manu geſtarent, contigit candelam vni deficere, & iam ad extremum venire: quod ille videns, ne regiis negotiis impedimento eſſe, & vt ſuum erga regem obſequium manifeſtaret, digitum aduri paſſus eſt, digitorum potius eligens diſpendium perpeti quam mollioris negligentiæ culpari. Profecto ſi pueri huius facinus digno plurimi encomio celebrarunt qui digitos ſuos candelæ ardore aduri paſſus eſt? quid erit, ô homo, in anima ſimul & corpore, & in omnibus membris ignẽ æternum ſuſtinere, qui omnia deuoraturus eſt, & ad oſſa vſque & medullas depaſturus? Hoc nobis iam latius deducendum reſtat, vt initio polliciti ſumus, demonſtrare nimirum vt ignis in animas agere poſſit.

Heroica cõſtantia pueri cuiuſdam Alexandri Magni.

III.

Quomodo flamma inferni in animas damnatorum & diabolos agere queat.

Merito profecto nonnulli Theologi dubitarũt, num ignis infernalis, qui corporeus eſt, & eiuſdem cum noſtro elementari naturæ, in animas & dæmones corporis expertes, & ab omni materiali concretione liberos, agere queat? præſertim cum Philoſophorum hoc axioma certiſſimum ſit: Inter agens & patiens debere eſſe contactum, & nullam vtriuſque, niſi ſimul concurrant eſſe vim poſſe: at nullus attactus, aut approximatio dari poteſt, niſi inter corpora & res corporeas, quarum extrema ſeſe mutuo feriunt. Qui igitur dicere, aut credere poſſumus, aliquem inter ignem infernalem & damnatorum animas attactum dari; aut tam vehementer illum in eaſdem agere, aut illas tantum ab eodem pati poſſe.

Variæ opiniones de actione ignis infernalis.

Rei huiuſce difficultas omnes propemodum Theologos exagitauit & negotium faceſſiuit, adeo vt varii varia commenti ſint. Putarunt enim nonnulli, non aliter damnatos ignem infernalem quam videndo perpeti, & ſolum eiuſdem conſpectum acerbiſſimum illis ſupplicium afferre, nam dum eum vt noxium & amarum ſibi proponunt, punit, & animas triſtitia afficit, quæ triſtitia ingentem illis afflictionem & dolorem cauſatur. Horum de numero eſſe videtur Pontifex Gregorius; ita namque eum in Dialogis loquentem video: *Ignem eo tempore patitur anima, quo videt.* Certum eſt igitur ex mente eius animas damnatorum non niſi videndo cruciari. At hoc non niſi per accidens.

Greg lib. Dial.

Alterius fuere opinionis alii, dixeruntque animam, quamuis ab igne corporali nequeat aduri, eundem tamen vt inimicum & tortorem exhorreſcere atque apprehendere, hancque apprehenſionem, vehementem timorem & extremum dolorem cauſari, adeo vt hic locum habeat Prophetæ illud: *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Huic opinioni ſuffragari viſus eſt idem, qui ſupra Gregorius, dicens: *Quia anima ſe cremari conſpicit, crematur.* Sed eſt hoc quam falſiſſimum, & rationi euidentiſſimæ repugnat. Ita namque hæc pœna, quam ignis cauſatur, non foret naturalis, cum ex ignis apprehenſione tantum originem ſumeret. Et quamuis è falſa quadam contemplatione, aut imaginaria apprehenſione, paſſio quædam triſtitiæ oriri queat, vt bene obſeruat Auguſtinus, nemo tamen dicere poterit, animam propter imaginationis huius vehementiam, dolorem aliquem vere & realiter pati, ſed tantum imaginarium quid è re quam apprehendit. Deinde modus ille patiendi magis à vera patiendi ratione remotus eſt, quàm ille quo per imaginationem quid pati videmur, vti quando nimirum in ſomnis iraſci, vel dolere, vel quid ab alio ſuſtinere dormientes videmus; cum prior patiendi modus ex veris imaginibus animæ impreſſis originem ſumat, poſterior vero ex inanibus & falſis conceptibus quos ſibi anima ſomniando fingit, & fingendo ſomniat. Adhæc non videtur probabile aut credibile animas à corpore ſecretas, vel ſaltem dæmones, qui ſunt ſpiritus ſubtiliſſimi & intelligentiæ acutiſſimę, ſibi perſuadere, ſe ab igne corporali torquere, ſi nihil reuera ille in eoſdem agat, ac non niſi imaginarium quid ab eo patiantur.

Alia opinio.

Pſal. 13.

Lib. 4. Dial.

Libr. 4. ſuper Gen. ad lit.

Alii denique melioribus nixi rationibus, veritatique inhærentes, credidere, corporeum in ani-

in animas ignem agere, & illas ob eodem torqueri, atque in huius confirmationem opinionis adferunt verba illa S. Gregorii: *Colligere*, inquit, *ex dictis Euangelicis poſſumus, quod incendium non ſolum anima videndo, ſed etiam experiendo patiatur.* Ideoque ignem illum tartareum dupliciter cōſiderari debere aiunt, primo vt agens purum & ſimplex, naturale, & corporeum, ſicque conſideratum, nullum animæ detrimentum afferre poſſe; ſecundo, vt quoddam agens ſubtilius, & à communi notione ſecretū, ac velut diuinæ iuſtitiæ inſtrumentū. Atq; ideo hanc iuſtitiam voluiſſe, vt anima quæ peccãdo omnibus rebus corporeis ſeſe ſubiecit, ipſis ſimiliter patiendo ſubiicerentur. Sicq; dicere poſſumus, ignem, quamuis corporeum, etiã in res ſpirituales agere, præſertim cum inſtrumentum non modo in virtute ſuæ naturæ, ſed in potentia principalis agẽtis, vt Philoſophi docent, agere conſueuerit.

Li. 4. Dial.

Ignis infernalis duplex eſt.

Adeo vt hic ignis, cum diuinæ iuſtitiæ inſtrumentū ſit, & à Deo præparetur, ac quodammodo ſublimetur, vt præter vires ſuas ac communem agendi morem agat, re vera & actione quadam vera & reali in animas impiorum agat, eaſque non parum affligat. Non ſecus ac nouæ legis Sacramenta; quæ quamuis materialia ſint & ſenſibus exterioribus videantur, tamen conſiderata, vt Dei omnipotentis inſtrumenta, effectibuſq; ſupernaturalibus ſibique non vſque adeo propriis donata; in animæ eſſentiam mirabili quadam ratione agunt, gratiam producunt, eamq; mirum in modum ſanctificant. Quid enim in Baptiſmo niſi aqua, in Confirmatione niſi Chriſma, in extrema Vnctione niſi oleum Sacrum, in Euchariſtia niſi verba Sacerdotis ore prolata? an non omnia hæc corporea ſunt, & ſenſibus exterioribus percipi queunt? & tamen omnia & ſingula ab agente quodã ſuperiori directa & impulſa, ac velut inſtrumenta diuina in anima agunt, eiq; ratione quadam agendi Phyſica & reali, vt Scholaſtici loquuntur, gratiam conferunt.

Virtus eſt actio Sacramentorū cū actione ignis infernalis collata.

At nondum hic ſiſtimus, ſunt enim qui vlterius progreſſi docent, ignē hunc non modo agere, vt diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum, ſed neceſſarium eſſe, huic animarum terrori actionem quandam naturalem eiq; congenitã dare, vt vere delictorum vindex à Deo Optimo Maximo conſtitutus eſſe teneatur & agnoſcatur. Omne enim inſtrumentum præter actionem, quæ à cauſa principali cōmunicata eſt, habet aliam quandam naturalem, & propriam in ſubiectum, in quod inſtrumentaliter agit; verbi gratia, Aqua Baptiſmi eodem tempore quo corpus abluit exterius, animum ſanctificat, quæ abluendi actio illi naturalis & maxime propria eſt. D.Th. quæſtionē hanc diſſoluens & explicans, ait, nullam aliam ignis huius actionem in animas, dari & excogitari poſſe, quam quod eas calore ſuo & ſcintillis circumſecus eiibratis, veluti captiuas detineat ac conſtringat, quoniã diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum eſt, ideoq; magno eas cruciatu afficere ita vt ſeſe quomodo libuerit mouere, aut quoties & quando viſum fuerit, nequeant operari, ſed in pœnis hiſce, non ſecus ac vinculis & compedibus quibuſdam conſtrictæ manere cogantur.

Ignis infernalis vt in animas agat, iuxta D. Th.

Doctor ille ſubtilis Scotus, quamuis in omnibus propemodum D.Th. aduerſetur, in hac tamen opinione cum eodem coincidit; ait enim dolores illos ſenſibiles, quos ignis tartareus impiis infliget, in captiuatione & vinculo intellectus cōſidero: tantopere nãque ille ligatus erit & aſtrictus, vt aliud præter pœnam qua affligitur, & ignem quo circumuallatur velut captiuus, cogitare nequeat. Ipſam quoq; voluntatem, dum hac ſeſe ratione conſtrictã cernit, ignem velut omnis ſuæ originē mali, & inſtrumentum vindictę execrari. Quæ omnia tantum illi dolorem, pœnam, & cruciatum infligent, vt nullis exprimi verbis, nulla comprehendi oratione queat. An non profunda hæcce ſpeculatio eſt, & ſubtilis nimium conceptus.

Scoti opinio de igne infernali.

Scot. libr. 4. diſt. 44. q. 2.

Suffrãgatur huic & Greg. dicens: *Cum veritas peccatorem diuitem damnatum in igne perhibet, quiſnam ſapiens reproborum animas teneri ignibus neget?* & Magiſter Sentent. Lombardus, *Si viuentis*, inquit, *hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore, cur etiam non tenetur poſt mortem corporeo igne?* Ipſa vtriuſque collatio placet, placebit & ratio vtriuſque. His accedat & Auguſtinus, qui hanc opinionem & alia

4 lib diſt.

Lib. 21. de ciuit. Dei.

Digitized by Google

circumſtringi, ac vinciri, & in illa velut in carcere aliquo & cauerna concluſos teneri. Atque ideo crediderim infernum vectibus ferreis occluſum dici, ac portas æreas habere, *Eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum diſrupit quia cõtriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Et quamuis hoc proprie de limbo intelligatur, de inferno tamen melius atque maiori cum ratione id dicere poſſumus.

Pſal.106.

His ita præſuppoſitis, latius iam & apertius demonſtrare conabor, quonam modo ignis corporeus in rem incorpoream ac mere ſpiritualem agere queat. Qua in re mirifice mihi placet illorum ſententia, qui dixere, non aliter damnatos in cauernis illis infernalibus à flamma illa torqueri, niſi quod, dum ſe ab eadem velut à vinculis teneri vident conſtrictos, diuina virtute extremus quidam cruciatus accedat, qui voluntatem torqueat & affligat: quique nihil ab eo differat quem anima in eadem volẽdi facultate ſentit, quando corpus cui naturaliter eſt vnita, igni adiudicatũ eſt, & in mediis flammis conſtitutum. Quæ paſſio ab omni alio tormento differt, quod anima pati poſſet, ſi corpus, cui vnita eſt alio ſupplicio, ſcilicet crucis, crurifragii, forcipis cadentis, aut ſubmerſionis cruciaretur.

Dom.Soto in 4.ſent.diſtin. q.vnica a.1.

Conſiderare itaque vos velim, quando de hoc damnatorũ cruciatu iam ſermo eſt, eũdem in voluntatis deteſtatione conſiſtere, qualis vt plurimum in illius voluntate apparet, cuius corpus viuũ flammis traditur quãuis damnatorum cruciatus infinitis partibus hoc, tum intenſione, tum etiam modo quodam nobis occulto, maior ſit.

Quamobrem, vt tandem labyrintho hoc egrediamur, cum doctiſſimo Auguſtino dicamus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi: & quamuis Philoſophi aſſerant, inter agens & patiens eſſe debere proportionem, hic tamen exceptionem videri, nulla eſt enim inter ignem hunc qui penitus materialis eſt, & animas, quæ mere ſpirituales ſunt, proportio, licet ipſum quod diuinæ iuſtitiæ executor & inſtrumentum ſit aliquo modo huc accedat; ac proportionem dare videatur, quo in eaſdem agat. Hoc quomodo fiat, ipſi damnati melius nouerunt, infœlices illæ animæ quotidie experiuntur, ac perſpectum habent diaboli: qui omnes eo in loco flammam illam vrentem, vindicem illum ignem, diuinæ iuſtitiæ adminiſtrum & inſtrumentum patiuntur, ignem inquã mordaciſſimum & acerrimum, adeoque amarum, vt, ſi damnatis daretur optio, vel decem annorum millibus omnia quæ in mundo excogitari poſſent tormenta perferre, vel vnico tantum die ignem illum infernalem, noctes atque dies eoſdem adurentem, credam eos prius tormentum electuros.

Lib.21 de ciuit.Dei.

Nunquamne igitur hoc animo voluetis Chriſtiani? ſemperq; ita obnubilatos habebitis oculos, vt hæc tormenta videre nõ poſſitis? nunquãne in animum hoſce ignes, ardores, hoſce æſtus admittetis? An non, vel ſemel tantum in vita, horum ſuppliciorum reminiſcemini? Agite igitur, *Recordamini nouiſſima veſtra, & in æternum non peccabis:* *Eccl.7.* recordamini inq̃ pœnas illas ſenſibiles, quæ illic maleficis præparatæ ſunt, recordamini ignem illum acerrimum, ſemper ardentẽ & accenſum, ipſaſque animas adurentem. Cogitate interdum, ecquæ pœna ſit, ecquis dolor & cruciatus in æternum aduri ſine vlla refrigerii aut leuaminis ſpe. Hæc igitur animo voluite, &, ſi vel mille annos vixeritis, nunquam Deum Optimum Maximum offendetis.

Tu porro æterne omnipotens, ac ſumme Deus, hanc nobis gratiã concede, vt ſancta hæc cogitatio nunquam à nobis recedat, ſed iugiter in anima perſeueret vt nobis tormentorum horum vehementiam, ignis ardorem, loci horrorem, ac fœtorẽ proponat, atque apprehendere faciat. Concipiamus adhæc, vt omnia quæ in nobis ſunt torqueantur, inprimis anima cum omnibus ſuis facultatibus, intellectu ſcilicet qui deſperabit, cum ſe flammis circumuallatum cernet, voluntate, quæ furet, tormentũ ſuum exoſa ac deteſtata, memoria quoque, quæ rabie efferetur, cum pœnarum diuturnitatẽ æternitatemque ſibi proponeret: nec ſola anima, ſed totum etiã corpus cum omnibus ſenſibus:

auditu

Digitized by Google

auditu inquam, qui clamores & eiulatus & lamenta horrenda percipiet, viſu, qui teterrima ſpectra & monſtra cōſpiciet, odoratu, qui fœtores intolerabiles hauriet, guſtu etiam, qui miſerum in modum torquebitur, omnibus deniq; ſenſibus qui ſingulares cruciatus perpetientur. Deinde præſta, vt diligenter etiam perpendamus, quid ſit in tartareis illis cauernis in æternum cōburi, noctu deniq; miſerum in modum vociferari, à diabolis tartareis illis tortoribus crudeliter torqueri, in flammis acerrimis ſepultū eſſe, ollisq́; feruentiſſimis impoſitum, idq́, ſine vlla liberationis aut exemptionis ſpe, ſine vllo leuamine, ſolatio aut indulgentia. Ideo aliud nihil à te poſtulamus, Domine, quam vt iugiter hanc animæ cogitationem inſculptam geramus: ſcimus enim quam hæc vnica ſit ad prauas concupiſcentias euellendas, à peccatis nos auocandos, in virtutum ſemitam reuocandos, diuinoque obſequio mancipandos, & tandem in gloriam cœleſtem deducendos efficax: quam concedere nobis dignetur, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat in ſæcula. Amen.

FERIA QVINTA.

DE POENA DAMNI.

Partitio.

I. Quod non eſſe ſit melius, quam in pœnis eſſe
II. Pœna damni in quo conſiſtat.
III. Quanta ſit pœna damni.
IV. De partibus aliis eiuſdem pœna.

Memorare nouiſſima tua, *ac præſertim pœnam damni, quam impii apud inferos patiuntur*, & in æternum non peccabis. Eccleſ.7.

FIGVRA.

PROFANVS ille & agreſtis Eſau, cum paterna ſeſe benedictione priuatum, & primogenitorum iure fruſtratum cerneret, furere cœpit & efferaſcere, atque in obuios quoſque ſæuire. Ad oculum hic deſignari arbitror dæmonum ac damnatorum pœnā, quam vocant damni, & animi illam amaritudinem, quam profani illi Eſau ſentiunt, dum æterna ſe benedictione & cœleſti beatitudine, quæ iure illis debebatur merito Chriſti acquiſita, ſpoliatos cōſiderant. Clamant itaq;, vociferantur, furūt, efferaſcunt in regionibus illis ſubterraneis, dum bonum ampliſſimum, gloriam & regnum, quibus proh dolor exciderunt, animo perpendunt. Hæc ſcilicet pœna damni appellatur, quam hodie vobis exponere latius decreui, ſi Spiritus paraclitus, ſummus ille nauclerus, de quo Pſalmiſta canit, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, cymbam hanc noſtram propellere ac dirigere, ac maris illa ſtella inſtar Cynoſuræ effulgere non grauetur. Quapropter Angelica eam ſalutatione compellamus: *Pſal.142.*

AVE MARIA.

I. *Satius eſſet nunq̄ naſci, q̄ damnari.*

Tam miſera ac deploranda damnatorum ſors eſt, Auditores, vt plerique ſatius eſſe nunquam natum fuiſſe, q̄ apud inferos damnari exiſtimarint. Doctor Angelicus cum in parte operis tertia quæſtionem inſtituiſſet, num damnati ſui ipſorum deſtructionem, & non eſſe exoptent, & in nihilum redigi cupiant, reſpondet: *Non eſſe* dupliciter conſiderari poſſe, primo pure & ſimpliciter, ac iuxta naturam ſuam, & ſic nulla ratione deſiderari poſſe: ita namque nonniſi mera priuatio eſt, quæ nullum bonum includit. (Eſſe enim & bonum ad ſe inuicem conuertuntur, & à ſe mutuo ſeparari nequeunt) quoniam quod nullum in ſe includit bonum, deſiderari non poteſt, bonum namque noſtræ voluntatis obiectum eſt, ideoq; facultas hæc nonniſi bonum, aut ea quæ ad bonum feruntur, vel aliquod ſaltem ſpecie bonum præ ſe ferunt, velle poteſt. Secundo conſiderari poteſt, vt ablatio & terminatio vitæ miſeriis & calamitatibus circumuallatæ, atque ita in ſpeciem & exterius bonum quoddā videtur eſſe, carere enim, vt ait Ariſtoteles,

Digitized by Google

Lib. 5. Eth. ſtoteles, malo, quoddam bonum eſt: idcoque ſatius foret damnatos omnino non eſſe, quam miſeros & in ærumnis eſſe: adeo vt merito præ rabie & furore exoptent non eſſe. Adeo vt Redemptor noſter Chriſtus, æterna Dei Sapientia, nefandam Iudæ proditionem & conſpirationem, ſimulque æternam eiuſdem, quæ hunc ſequi debebat damnationem præſagiens, merito dicere potuerit, *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, quam vt natus ad inferos detruderetur. *Matth. 26.* At multo maiori cum ratione id de damnatis omnibus dicere poterimus: Melius ſcilicet fuiſſe nunquam eos in hunc mundum editos, quam perpetuo carceri incluſos, grauiſſima tormenta & acerbiſſimos cruciatus perferre.

Propheta Iob, qui non niſi in temporalibus iacturam fecerat, facultatibus, liberis & amicis ſpoliatus, & vlcere acerbiſſimo percuſſus adeo exhorruit, vt quodammodo deſperans maledixerit diei qua in auras ꝓdiit, *Poſt hæc aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo, & locutus eſt, Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo, dies illa vertatur in tenebras.* *Iob. 3.* Si tantilla calamitas, ad quinque aut ſex forſitan annos duratura ſanctiſſimi viri animum, infractum alioquin & inuincibilem adeo percelluit, vt nunquã ſe natum fuiſſe deſiderarit; quid de miſeris illis dicendum eſt, qui æternis iam à longo tempore incendiis & pœnis intolerabilibus adiudicati ſunt? An non veriſimile videtur, millies eos exoptare, nunquam ſe natos, & diei maledicere, in qua primo iucundum ſolis lumen intuiti ſunt? an non veriſimile ſit eos illa verba Iob ſæpius vſurpare, *Quare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret? Fuiſſem quaſi non eſſem, de vtero translatus ad tumulum.* *Iob. 10.*

Magnus Hieronym. cum verba hæc, *Maledicta dies in qua natus ſum*, exponeret, breuem hãc paraphraſim addidit, *quia melius eſt non eſſe, quam male eſſe.* Idque ex mente S. Ioannis in Apocalypſi: dicit enim calamitates vltimis illis diebus tam ingentes & acerbas fore, vt ii qui tum victuri ſunt, magis mortem quam vitam ſint quæſituri, *Quærent*, inquit, *homines mortem, & non inuenient eam: deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* *Apoc. 9.* Quid igitur dicendum de iis, qui abyſſis illis infernalibus incluſi tenentur? an nõ dicere oportet, omni eos tempore mortem exoptare, vitam deteſtari? an non præ furore ac rabie pœnarumque acerbitate deſiderare, non eſſe?

Sane ſi rex Iſrael Saul, viſo, copias omnes vel internecione deletas, vel fuga diſperſas, Philiſthæos item tergo imminere, ſeſeque quinetiam vulneratum, mori maluit quam viuendo ſupereſſe, & quo calamitatem inſtantem præcideret, gladio proprio incubuit, ne forſitan inglorius longiorem in ærumnis vitam traheret. *1. Reg 31.* Multo magis id de damnatis dicendum videtur, eos, dum in tartareis illis ſedibus conſtituti, omnes ineptiarum deliciarumque manipulos proſtratos, a dæmonib in fugam ſe compulſos, & vulnerib cõfectos attendunt, ita horrore concuti vt nunq̃ fuiſſe, quã adeo miſeri eſſe malint. Si enim ſenex Tobias, cæcitate tantum percuſſus mortẽ ſummopere deſiderauit eumq; vitæ tæduerit, dum ait: *Præcipe in pa e recipi ſpiritum meum, expedit enim mihi magis mori quam viuere*: *Tob. 4.* quid miſeri illi dicent, cum infinitis ſeſe malis circumdatos, & ſempiternis incendiis mancipatos viderint? nihil namq; damnatorum ſorte infelicius.

Quod ſpiritu quodã diuino afflatus prædixit Pſaltes dicens, *Mors*, id eſt, damnatio, *peccatorum peſſima*, tria nimirum mortis genera eſſe demonſtrans. *Pſal. 33.* Vna ſiquidem mala eſt, animæ ſcilicet & corporis a ſe inuicem ſeparatio: dicitur autem mala, quia per peccatum in orbem inuecta eſt: altera peior, quando nempe anima à Deo factore peccato ſeparatur, *Anima enim quæ peccauerit ipſa morietur*: *Tria mortis genera.* *Ezech. 18.* vltima, & omnium teterrima, miſerrima ac peſſima, ipſa damnatorum, de qua loquitur ad Romanos Apoſtolus, *Quoniam qui talia agunt digni ſunt morte*, *Rom. 1.* morte inquam æterna, quæ dæmonibus & damnatis propria eſt, morte quæ ſemper ſine vita viuit, & nunquam moritur, qua nulla peior ac deterior excogitari poteſt.

Hæc namque mors eſt, quæ nunquam aliquem mori facit, quæ millies per diem ictus mortales infligit, vitam tamen non aufert, quæ omnium malorum origo & offi-

cina eſt, omnium miſeriarum fons & mater, mors denique, quæ præter pœnam ſenſus, præter tormentum caloris & frigoris, ignis & niuis, aliaque innumera ſupplicia, nouam quandam pœnam, quam damni appellant arceſcit, quæ omnia pœnarum genera antecellit, pœnam pœnarum, cuius ſi vel interdum recordaremur, nunquã gloriæ Domi-
Eccl. 7. num offenderemus. Vnde Sapiens, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Hanc vobis hodie quam potero apertiſſime ac liquidiſſime deſcribam, in duas eam partes ſubdiuidendo, prima docebo, in quo eadem conſiſtat, ſecunda, quam ingens ea ſit & grauis, quæ duo ſi ſolita attentione audieritis, certiſſime ſcio vobiſcum ſtatuetis, nullam in orbe pœnam cum hac conferendam poſſe reperiri.

II. Duo pœnarum genera apud inferos.

Quod ad primum igitur ſpectat, dico, duo à Theologis apud inferos pœnarum, quibus impii excrucientur, genera conſtitui, eaſq; peccati naturæ quam optime quadrare. Vnumquodq; enim peccatum duo includit, auerſionem ſcil. à ſummo bono & Creatore omnium Deo, & conuerſionẽ ad creaturas: hæc pœna ſenſus punitur, ardore nimirum ignis, & glaciei frigore, membrorũ conuulſione, rotis, eculeis, aliiſq; tormentis & numero infinitis & intolerabilibus: illa vero pœna damni expiatur: nempe vt peccator qui ſe à Deo propter nimium erga creaturas affectum ſeparauit, in ęternum quoq; à Deo eiuſq; gloria ſeparetur. Porro duo hæc pœnarum genera paucis beatus Iſidorus verbis
Iſido. lib. 1. de ſum. bon. c. 31 complexus eſt, *Duplex*, inquit, *damnatorum pœna eſt in gehenna, quorum & mentem vrit triſtitia, & corpus flamma.*

Idipſum & declarauit Seruator noſter, dum in Euangelio de infructuoſis & ſterili-
Matth. 7. bus ait, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Metaphorice hic Dominus locutus eſt, & oſtendere voluit, Impios, qui inſtar arborum in mundi huius agro conſtituti ſunt, vt fructum afferrent, & nullum tamen virtutum, meritorũ, iuſtitiæque fructum protulerunt aliquando excindendos, id eſt, à Deo ſeparandos, eiuſque beatificæ eſſentiæ viſione in æternũ priuandos: ecce hic pœnam damni. Et in flammam infernalem coniiciendos, vt in omne tempus ab eadem excrucientur, ecce pœnã ſenſus. Peccatores igitur & impii exſcindentur, non autẽ iuſti, quod figura præclara demonſtrabo.

Voluit olim Deus Hebræos, cum in terram promiſſionis veniſſent, omnes arbores agreſtes & nullum proferentes fructum excindere, non autẽ pomiferas & feraces: hoc autẽ mandatum non modo ad arbores terræ Chanaã, ſed etiã vlterius ſe extendit: deſignabat enim peccatores, qui ſunt arbores ſteriles & infrugiferæ. Cum in æternam beatitudinem quæ vere terra promiſſionis eſt venturos ſe ſperant aliquando exſcindendos & diuina viſione ſpoliandos, nõ vero iuſtos, aut virtutum fructibus grauatos.

Peccatum duo malorũ genera adfert.

Peccatum igitur quoniam duo mala cauſatur, duabus quoque pœnis expiari debet. Mala dixi, quia in eo eſt ab infinito & incommutabili bono, quod eſt Deus, auerſio, & ad finitũ, & mutabile, quod eſt creatura, conuerſio: priori reſpondet pœna damni, vt nimirum is qui ſe dum viueret à Deo auertit, ex æquo & merito, eiuſdẽ facie ac viſione poſt mortem in ſempiternum priuetur: poſteriori autẽ pœna ſenſus, ſcilicet vt qui creaturas inordinato affectu & amore complexus eſt, eaſq; vt aliquod inde ſolamen & voluptatẽ hauriret, eſt conſectatus, ab ipſis etiã puniatur, tantumque ex tunc cruciatus & tormenti ſenſibus adferant, quantũ prius voluptatis ac deliciarum attulerunt. Vnde
in Apocalypſi, *Quantum fuit in deliciis, tantũ date illi & tormentum.* Apoc. 18.

Sed pœna damni, quæ amaram illam diuinæ eſſentiæ viſionis priuationẽ includit, infinitis partibus maior ac grauior eſt pœna ſenſuali: fuit namque illa, quam magnus olim Deus, vel vt ſummum malum, & omnium malorum primum, Iſraelitis comminatus eſt, *Abſcondam faciem meam ab eis*: & Deut.
multo adhuc horribiliis capite præcedenti, *Et iraſcetur furor meus contra eum in die illo, &* Deut. 31.
derelinquam eum, & abſcondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem, inuenient eum omnia mala & afflictiones, ita vt dicam in illo die, Vere quia non eſt Deus mecum, inuenerunt me hæc mala. Hæc quidem ad litteram de Hebræis

ad

Digitized by Google

adcultum idolorum conuerſis intelligenda, nihilominus de damnatis etiã intelligemus, qui propter innumera quæ cõmiſerunt mala & peccata, grauiſſima mala inuenient; de iis namque ſolis verba hæc capienda ſunt: *Ego autem abſcondam faciem meam in die illa propter omnia mala quæ fecit.*

Eadem comminatus eſt Regum ſapientiſſimo Salomoni, ſi ſua præcepta tranſgrederetur, dicens: *Si autem auerſi fueritis, & dereliqueritis iuſtitias meas, & præcepta mea quæ propoſui vobis, & abeuntes ſeruieritis diis alienis, & adoraueritis eos, euellam vos de terra mea, quam dedi vobis, & domum hanc quam ſanctificaui nomini meo, proiiciam à facie mea, & tradam illam in parabolam, & in exemplum cunctis gentibus.* *2.Pa.7.* Videtis, Auditores, vt viſionis ſuæ priuationem inter grauiſſimas plagas & tormenta acerbiſſima enumeret & merito: nulla enim eadem grauior aut acerbior haberi queat.

Actor.10. Mileſii ęgre ferunt Pauli Apoſtoli diſceſſum.

Gentium doctor Paulus, cum Mileſiis valedicturus Romã ſecederet, & adderet nunquam amplius illos faciem eius viſuros, lachrymantes collo eius incubuere, & ſuſpirantes oſculabantur eum, *Dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri.* Hoc perpendere te velim, ô anima, ſimulq; ita ratiocinari, ſi tantum Mileſii in diſceſſu viri vnius ſancti cõmoti ſunt, vt lachrymarentur & gemerent ad vnum omnes: quænam, obſecro, afflictio, ecquæ anguſtiæ erunt damnatorum, cum in æternum ſe diuinæ eſſentiæ fruitione & conſpectu priuandos conſiderabunt? quam ægre ſe tunc a Deo auelli patientur, quam durum erit in æternum illi valedicere quam graue in perpetuum ab illius facie excludi?

Cain cum parricidali manu innocuum fratris ſanguinem fudiſſet, & à Dei conſpectu ſe arceri cerneret, delicti ſui grauitate agnita deſperatione adactus, hac apud Deum oratione vſus eſt: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra; omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* *Gen.4.* Triſte hoc parricidæ Cain exiliũ eiuſque lamenta, erant præſagium & imago deplorandæ illius ſortis, quam damnati cœlo eiecti diuinoque facie priuati apud infernos ſubibunt: illic nempe eiulabunt, & velut profugi, omnibus caſibus malis miſeriiſq; expoſiti gemitu & lamentis Ditis aulam replebunt. Præuidit hoc Vates regius, dicens: *Infirmabuntur & peribunt à facie tua,* quaſi diceret, Impii illi, Domine, cum viderint ſe nequidquam vultum tuum deſiderare, ſed eodẽ in æternum eſſe priuatos, animo concident & deſperabunt. *Pſal.9.*

Porro quam grauis & extrema pœna illa damni ſit, facile hinc colligi poterit; ſi enim malum, quod ex boni amiſſione & priuatione oritur, tantum eſt, quantum bonum quo nos priuat: & bonum, quo damnati priuantur, infinitum ſit, & captum noſtrum ſuperet: pœna quoq; quæ ex eadem priuatione reſultat, infinita quoque ſit oportet, & omnem humanum captum excedens. Et ſane ſi malum appellamus, viſu, honoribus, diuitiis aliiſque fortunæ bonis priuari, ecquæ calamitas, ecquod malũ erit & afflictio, infinito bono & gloria in æternũ priuari? Hoc ſcilicet eſt quod damnatos affligit, hoc illos rodit, & male habet, cum tantum ſe bonum tamque amplum theſaurum amiſiſſe conſpiciunt. Pœnæ damni grauitas.

Sicut enim Principi alicui ampliſſimi regni hæredi graue foret, eo ipſo quo regnum adire, coronam accipere, ac gubernacula prouinciarum capeſſere deberet tempore, in carcerem coniici, à ſubditis ad necem poſtulari, ac variis iniuriis affici. (Exempli gratia, quam graue putatis Nabuchodonoſori fuiſſe, regno eiici, inter fera animalia per deſerta & inuia viuere, ſub dio & in antris cum beſtiis cubare, cœli denique & aeris iniuriam, non ſecus atque brutum aliquod, pati? qui nimirum ad ſceptra, ad coronas, ad regni gubernacula, deliciaſque natus & educatus erat.) *Dan.4.* Non ſecus etiam damnatis graue erit, cum ſe carceribus illis tartareis, & quidem vectibus ferreis occluſis, mancipatos viderint, cum dæmonibus commorantes, & in flammis ſepultos, qui nimirum ad gaudia cœleſtia, ad Angelorum ſocietatem, diuinæ maieſtatis fruitionem, regnique æterni hæreditatem capeſſendam creati erant.

Digitized by Google

4.Reg.25. Nemone vnquam veſtrum Sedechiæ Regis Iuda ſortem & calamitatem perpendit? nemone vnquam eum lamentantem, ſuiſq; caſibus ingemiſcentẽ ſibi propoſuit? quando nimirum carceris Babylonici cauernis incluſus tenebatur, vinculis manus & pedes grauatus, regno priuatus, & quod omnium miſerrimum erat, oculis orbatus. Quantum repentina illa rerum commutatio eum, putatis afflixit? quot lacrymas effudit, quoties ingemuit, dum priorem ſortem in mentem reuocaret? Idipſum imo & amplius de damnatis dicendum. Quam graue namq; iis eſſe debet, cum cauernis illis tenebricoſis ſeſe coarctatos conſpiciunt, omni luce & ſplẽdore priuatos, ferro & compedibus vinctos, catenis fortiſſimis conſtrictos, & quod omnium miſerrimũ, regno cœleſti in æternum excluſos? annon vnica huiuſce rei memoria oculis lacrymas excutiat, ſuſpiria imo pectoris educat, vociferari & eiulare eos cogat, denique, vt ſummatim perſtringam, an non in deſperationis barathrum præcipitet. Iob Propheta, & ſimul omnium afflictorũ princeps, cum prioris fœlicitatis recordaretur, ac priſtinos in mentem dies reuocaret, lachrymas continere, aut temperare à fletu & ſuſpiriis non poterat; ſed affectu nimio transuerſum actus dicere cogebatur: *Quis tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.* (Iob.29.) Quanto potiori iure verbis his vtantur damnati? quanto maiori cum ratione ſortem ſuam hoc modo deplorent? cum enim delicias illas cœleſtes, voluptates illas domus Dei, gloriam illam æternam, cuius aliquando cõſortes effici poterant, ſibi ante oculos ponunt, clamãtes illos audire videor, & noctu diuque eiulando dicentes:

O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos!

Apophth. Boetii. Hinc Chriſtianus ille Philoſophus Boetius dicere ſolebat, omnium miſeriarum eſſe maximam, felicem ſe aliquando fuiſſe meminiſſe, quod merito de damnatis vſurpare potero, Auditores, Omnium nimirum tormentorũ, quæ diaboli apud inferos patiuntur, maximum & grauiſſimum, eſſe meminiſſe, aliquando felices ſe & beatos exſtitiſſe; & maximã damnatorũ pœnam eſſe, dum cogitant, culpa ſe ſua æterna beatitudine excidiſſe: atque hæc eſt quam pœnam damni nominamus.

Hanc dum Chryſoſtomus ad populum Antiochenum verba habens, exponeret, omnibus eam tormentis ſuppliciiſque apud inferos tolerandis viſus eſt præpoſuiſſe. Audite aurei illius oris verba: *Multi inferni ignẽ timent, ſed ego maxime amaram dico amiſſionem gloriæ.* (Chryſoſt. homil. 47. ad pop. Antioch.) Hanc ipſam intellexiſſe etiam viſus eſt Pſaltes, dum canit: *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum;* (Pſal.10.) quaſi omnia hæc non niſi gutta & particula tormentorum ſint, ſi cum pœna damni & æterna beatitudinis amiſſione, qua damnati plectuntur, comparentur. Vnde adiungit idem qui ſupra Chryſoſtomus: *Qui non nouimus magnitudinẽ cœleſtis boni, non poſſumus intelligere, quantum malum ſit illo priuari.*

Eiuſdem opinionis eſt & ſanctus Auguſtinus, qui pœnam hanc omnibus aliis præferre non dubitat; verba eius audiamus: *Illic pœna horroris, pœna fœtoris, pœna timoris, pœna tenebrarum, ſeueritas tortoris, præſentia dæmonum, ferocitas beſtiarum, crudelitas miniſtrantium, dilaceratio immortalium vermium, dolor ſine remedio, vincula ſine ſolutione, mors æterna, pœna ſine fine, abſentia Chriſti, quo ad viſionem eius, quæ ſola omnia ſupra dicta ſuperat, & omnibus pœnis eſt intolerabilior.* (Auguſtin. li. de tripl. habitaculo c.2.) Anne quid amplius & apertius deſideratis? an non terribile eſt, tantam tormentorũ multitudinem, & quidem vno tempore, experiri? Amplius ſane & diſertius, vt omnia Chryſoſtomus, (In ſermonib.) cuius verba quam meam paraphraſim adhibere ſatius viſum eſt. Audite viri linguam: *Excludi bonis æternis, & alienum effici ab his quæ præparata ſunt ſanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, vt etſi nulla extrinſecus pœna torqueret, hæc ſola ſufficeret.* I nunc, & dic pœnam hanc leuem & exiguam eſſe, quam vt clarius adhuc videatis, alios Patres adducam, eandem apertiſſimis verbis deſcribentes.

Cyrillus Alexandrinus Patriarcha primus in ſcenam prodeat, qui hac de re loquẽs nouum dicendi adhibuiſſe modũ videtur: perpetuam namque exclamationem connectit (Oratio de exitu anim.)

&

Digitized by Google

& verba quædam tragica, & luctum præferentia: *O temporis illius tribulationem! ô neceſſitatem! ô tempeſtatem! à ſanctis graue dirimi, grauius, à Deo ſociari: ignominioſum, tum manibus, tum pedibus colligari: durum, in exteriores tenebras amandari: horridum fremere, dentibus ſtridere acerbum, iugibus pœnis atteri, laborioſum flammas lingua ſuſtinere.* Quis talia fando temperet à lachrymis?

Epiſt. 4 ad Theod. lapſ. Oraculum illud Græcorum Chryſoſtom. audiri iterum poſtulat, ait enim: *A tactu excidiſſe bonis tantum habet dolorem, tantam afflictionem, tantam anguſtiam, quantum nullum eſſe poteſt aliud flagellum.* An non omnes hi teſtes & quidem omni exceptione maiores doceant, quid pœna damni ſit? quid ſit, nunquam diuino poſſe conſpectu frui? quid ſit, cœlo exulare, & æternis carceribus mancipatum eſſe? quid ſit, inceſſanter amiſſum theſaurũ deſiderare, deque amiſſione illius lamentari? an non, inquam, omnes hi perſuadeant, quam illa grauius etiam & pertimeſcenda? Video me iam ad alterum concionis meæ membrum tacite veniſſe, & ignorabam: & quanquam leuiter nonnulla attigerim, dabo tamen operam, vt plura quæ optime huc faciant, arceſſam.

Inter omnes pœnas & ſupplicia etiam grauiſſima, vnicam hanc metuebat Dauid Rex: adeo vt, cum agnito peccato ſupplicium ei debitum animo volueret, nihil in tantum quam pœnam hanc damni pertimeſceret. *Pſal. 26.* Hinc lachrymans Deum orabat: *Ne auertas faciem tuam a me.* Tam in hoc mundo quamdiu ſcilicet vixero, neue in altero, poſtquam ad patres meos in tumulo appoſitus fuero. *Pſal. 50.* Item alibi: *Ne proiicias, ô regum Rex, me, regem miſerrimum, à facie tua.* Perinde ac ſi dicere voluiſſet: Caſtiga Domine delictum meum vti commerui, & quoties tibi viſum fuerit: ſed hoc vnum mihi ꝓ tua indulgentia concede, quam vt à facie tua excludar. Cur non potius oras, ô Rex, ne ad inferos te detrudat, ne incendiis illis ſempiternis addicat? ſed parua hæc ei videbantur, ſi cum diuinæ ſpeciei priuatione compararentur, illa namque facies veram ſe videntibus beatitudinem mox adferre poteſt, vnde alibi in Sa- *Pſal. 79.* cris litteris ſcriptum eſt: *Oſtende faciem tuam & ſalui erimus.* Hæc igitur pœna omnem aliam longe antecedit.

Epiſcopus ille Conſtantinopolitanus quẽ toties iam loquentem induximus, nobili apud Antiochenos familia natus, doctrina & ſanctitate clarus, propter eloquentiam Chryſoſtomus nuncupatus, qui in Rhetorica quidem Libanium, in Philoſophia Andragatium, in Theologia Baſilium præceptores habuit, is, inquam, pœnam hanc plurimi ſemper fecit, cæteriſque apud inferos tolerandis ſuppliciis antepoſuit. Porro vt ipſi, non vero mihi, fides adhibeatur, verba illius producam: *Intolerabilis res eſt gehenna; quis neſciat supplicium illud horribile: tametſi mille aliquis ponat gehennas, nihil eſt tale dicturus, quale eſt à beata illius gloria honore propelli, exoſum eſſe Christo, & audire ab illo: Non noui vos.* *Homil. 26.* Nihil eſt igitur tecum, ô pœna damni comparanda.

Inſignis allegoria. Nunquamne vobiſcum perpendiſtis, Auditores, lamenta & luctus Annæ Tobiæ matris? nunquamne eiuſdem lachrymas, quas in filii abſentia fundebat, notaſtis? *Heu, heu me! fili mi, vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ? omnia ſimul in te vno habentes te non debuimus dimittere à nobis.* *Tob. 10.* Quam cum maritus ſæpius conſolaretur, dicens: *Tace & non turbare, ſanus eſt filius tuus*, nunquam tamen potuit quieſcere, ſed nullam conſolationem admittẽs, & quotidie domo egreſſa, altiſſimos montes conſcendebat, vnde eminus conſpiceret, num dilectus filius adeſſet, quo nimirum ei obuiaret, oſculum daret, & maternis eum brachiis amplecteretur.

Damnatorum lamẽta & cogitãrium quid amiſerint. Si filii vnius, & ad modicum quidem tempus abſentia matrem ita afflixit, vt quotidie iuga montium conſcenderet, lachrymaretur, ſuſpiraret, ingemiſceret, variiſque angoribus exagitaret, denique tantum non præ affectu inſaniret: quam grauis eſſe debet damnatis æterna Dei abſentia, ſine vlla amplius eius vidẽdi ſpe? Temperentne à lacrymis, doloribus, & ſuſpiriis cum hanc abſentiam cogitant? Quænam noſtra, Deus bone clament neceſſe eſt, fuit inſania, quænam amentia, quiſnam ſtupor, tam procul à nobis

Digitized by Google

dimiſiſſe te lumen oculorum noſtrorũ, ſpem omnis æternitatis, ſolatium vitæ? At nunquam peccatis te amittere aut dimittere debuimus, aut à conſortio noſtro propellere, te inquam, omne bonum noſtrum, delicias noſtras, omnemque beatitudinem noſtram. Atque hæc quidem omnia deſperantes & in ſeipſos ſæuientes deplorabunt. Quæ omnia ad pœnam damni referri poſſunt, quæ horum omnium cauſa eſt, & origo.

Hercules ille Hebræus ac domitor ferarum & Goliadarũ Dauid, cum peccato Deũ amiſiſſet, & iam ipſum horroremque illius agnouiſſet, ſimulq; quanto bono excidiſſet, in tantum doluit, vt lachrymis quas interdiu & in lectulo effundebat, diceret ſe non ſecus ac pane refici: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus?* Pſal. 41. Aſt infelicior multo damnatorum ſors eſt, qui peccatis Deum in æternum amiſere, ideoque noctes & dies in dolore & gemitu verſantur. Decades, teſſeradecades, cẽturiæ, & chiliades annorum tranſeunt, ipſa quoq; flendo, dolendo ingemiſcendoq; ob rei pretioſiſſimæ amiſſionem elabitur annorum æternitas, nunquam tamen ad finem poſſunt pertingere. Merito igitur vnuſquiſque horum dicere poteſt: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* O cruciatum intolerabilem! ô pœnam grauiſſimam.

Nunquamne oculos in hiſtoriam de filio prodigo conieciſtis? nunquamne vobiſcum perpendiſtis, quomodo in ſorte ſua & calamitate tolerãda ſe geſſerit? quomodo namque eum affectum putatis, dum commiſſum errorem in mentem reuocaret? quod nimirum domo paterna, in qua tam ſplendide & laute epulabatur & in qua ſerui abundabant rebus neceſſariis, egreſſus ad tantã paupertatem ac miſeriam redactus eſſet, vt ſiliquas porcorum manducare debuerit, & eæ ipſæ adhuc defuerint, adeo vt miſer fame enecaretur: quanto poſtea cum gemitu, ſuique ipſius increpatione errorem agnitum deplorauit? Luc 17. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? ego autem hic fame pereo: ſurgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te.* At maiores & amatiores ſunt illorum filiorum prodigorum, qui apud inferos excruciantur, querelæ & gemitus, dum cõmiſſum errorem agnoſcunt: quod nimirum cœlum, domum illam ampliſſimam ac ſplendidiſſimam, in qua omnis Angelorum nobilitas commoratur, domum opulentiſſimam, de qua ſcriptum eſt: *Gloria & diuitiæ in domo eius*, deſeruerint, Pſal. 111. ſuauiſſimum illum patrem, quem quotidie inuocamus, dicendo: *Pater noſter qui es in cœlis*; Matth. 6. dereliquerint, & cum dæmonibus, non dico porcis, commorentur, & famem patiantur vt canes. Quanta eorum eſſe debet pœnitentia? quam graues gemitus & lamenta: Ignis circum vndique crepitans magnum quidem dolorem & pœnam adfert ſed longe, mihi credite, grauiorem ipſa pœna damni.

IV. Odium Dei in impios.

At nondum hic finimus. Accedit ad hanc pœnam velut adpendix, immortale Dei aduerſus illos odium, quod ſemper ſibi imminere damnati ſentiunt, ſine vlla reconciliationis ſpe; ſcriptum namq; eſt: *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Pſal. 5. Et quemadmodum pœna damni, quo ad intellectum, eſt diuina viſione priuatũ eſſe: ita, quoad voluntatem, Deum ſemper iratum & inimicum habere, & nunquã eius iuſtitiæ manus poſſe euitare. Atque inde perpetua iis inimicitia, & odium immortale aduerſus Deum oritur, & ipſum variis affectibus mixtum. Innuere viſus eſt Dauid, dum ſcriberet: *Peccator videbit*, Pſal. 111. intellectu nempe, *& iraſcetur*: Pſal. 73. voluntate, *dentibus ſuis fremet & tabeſcet*: Pſal. 82. videte furorem & impatientiam. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*: item, *Et qui oderunt te, extulerunt caput*; videte ſuperbiam & odium immortale, an non hoc graue cuilibet videatur?

Vermis cõſcientiæ, q impios excruciat.

Aliam prioribus hic pœnam ſubnectam, & eam, meo quidem iudicio grauiſſimam, vermem illum ſemper rodentẽ, conſcientiã illam vltricem, & ſynterеſin perpetuo oculis obuerſantẽ. Remorſus ſcilicet conſcientiæ pœnam hanc perpetuo comitatur, & nunquam impios deſerit: hinc Theologi ſynteresim vocant, & in intellectu ponunt? S. Thom. 1. 2. qu. 41. nihil etiam dicentes eſſe aliud, quam ſcintillam quandam viuam in animabus noſtris accenſam,

ſam, quæ perpetuo nos ad bonum conſectandum, malum vero declinandum exſtimulet: hanc Scriptura metaphorice vermẽ qui conſcientiam corrodat, diabolos & damnatos in tartareis illis ſedibus ſemper torqueat, appellat. Vnde Iſaias: *Vermis eorum nõ morietur, & ignis non exſtinguetur.* *Iſai.66.*

Cur putatis, fabularum artifices, & nugarum concinnatores Poetas, ad tormẽta Tytii, vulturem addidiſſe, qui iecur eius roſtro perpetuo fodiat, & noctes, & dies eiuſdem fibris paſcatur. Sub fabulæ huius inuolucris deſignare voluerunt gentiles inter impiorũ pœnas conſcientiæ remorſum merito poſſe recenſeri, qui eoſdẽ inſtar edaciſſimi vulturis iecori annexi ſemper exagitet & corrodat.

Sic inconſumptum Tytii ſemperq́; renaſcens,
Sic perit vt poſſit ſæpe perire iecur.

Atque hoc in peccatorum caſtigationem permittit Deus, vt ſcil. tortor ille vel vindex ſemper ipſos exagitet, faces aſſiduas menti ſubiiciat, vt quem docentem, dum viuerent, audire noluerunt; poſt mortem torquenti & lancinanti pareant.

Quadrat hic optime quod in Luca Dominus præcepit, *Cum vadis cum aduerſario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo*: quo ænigmate optime mihi viſus eſt ſynteresim ſignificaſſe. Conſulit nempe, vt quamdiu in hac vita, quæ non niſi ſemita & via eſt, procedimus, & iter facimus ad magnum illum principem, Deum ſcil. ante cum aduerſario in gratiam redeamus, quam coram iudice ambo veniamus. Aduerſarius ille noſter, qui vna nobiſcum procedit, eſt ſynteresis & ſtimulus ille conſcientiæ, qui ſemper nos exagitet, cui auſcultandum eſt, interea dum vitæ huius iter durat, eiuſque conſilia amplectenda, nam alioquin, ſi recalcitremus, ſi reluctemur, flagellabit nos & poſt iter confectum torquebit. *Luc.12.*

Quot, Deus immortalis, illa damnatis ſtimulos, quot aculeos infligit? tum quod toties Deum offenderint, eiuſq; ſalutarẽ paſſionem contempſerint, quæ tantum illis remedii ac ſalutis poterat afferre, tum vero, quod opera bona neglexerint, & præſertim quod pœnitentiam diſtulerint, quæ ab omnibus illos miſeriis potuiſſet eximere. Quæ omnia dum in mentem reuocant, infinitis angoribus & cruciatibus illos affici neceſſe eſt. Sed omnium grauiſſima vermis huius punctura eſt, ipſa priorum delictorum memoria & agnitio, tunc quippe eorum grauitatem agnoſcent, tunc merito ſe ob eadem caſtigari, & quidem acerbiſſime, fatebuntur deſperanteſq; dicere cogentur, *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Quod egregia quadam è Geneſi figura deſignabo. *Pſal.118.*

Fratres Ioſephi, cum frumentandi gratia in Ægyptum deſcendiſſent, diu ſcilicet poſt initam aduerſus eum conſpirationẽ, & carceribus ſe mancipatos viderent ab eo, in cuius olim necẽ conſpirauerant, tametſi ignorarent, conſcientiæ ſtatim ſtimulum experti ſunt: redibat quippe illis in memoriam nefandum illud mente conceptum fratricidiũ, dicebantq; cum lachrymis, *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, dum deprecaretur nos, & non audiuimus eum: ideo venit ſuper nos iſta tribulatio.* An non eadem repetere vobis impii videntur infernalibus carceribus incluſi, & diuinæ iuſtitiæ manus experientes, ipſa nimirum conſcientia priora delicta in memoriam reducente. Merito hæc patimur, quia in fratrem noſtrum, patrem noſtrum, denique Deum noſtrum peccauimus: plura ac grauiora cõmeriti ſumus, iuſtitia eius manet in æternum, ac iudicia eius iuſtificata: Ecce & aliud ſimile. *Gen.24.*

Adonibezech tyrannus, cum variis Iſraelitas iniuriis, contumeliis & cladibus affeciſſet, ab ipſis tandẽ in poteſtatem redactus, & iiſdem quibus alios pœnis affecerat ſubiectus, exagitante illum conſcientia, & ſolui deſperãs, ita locutus eſt, *Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Peccatores veri illi tyranni, qui varia dum viuerent, in proximũ, crudelitatis genera exercuerunt, Deumq; variis admiſſis ſceleribus exacerbarunt, à diuina tandem iuſtitia comprehenſi, iiſdem verbis vtentur, *Sicut fecimus, ita reddidit nobis Deus*: quin & plura peccata noſtra ſupplicia & grauiora cõmerita ſunt, qualem vita noſtra mercedem promeruit, talem etiam adeptum eſt. *Iud.1.*

Nihil igitur apud inferos audietur aliud quam gemitus, ſuſpiria, lacrymæ, pœnitentia, deſperatio: ſcriptũ namq; eſt, de impiis.

Pœni-

Sap.5. *Pœnitentiam agentes: & præ anguſtia ſpiritus gementes.* Verum omnia hæc in caſſum, omnia ſero & fruſtra, inutiles tunc erunt lacrymæ, & nequidquam profutura pœnitentia. Neq; enim apud inferos illi locus eſt: nam mūdus hic ad pœnitentiam agendam conceſſus eſt, in altero nihil proderit. Vnde Auguſtinus, *Li. de fide ad Petrum.* *Tempus acquirendi vitam æternam in iſta tantum vita Deus hominibus dedit, vbi voluit etiam pœnitentiam eſſe fructuoſam:* ſed in altera nulla ſupereſt veniæ ſpes, omnis illic pœnitentia ſera erit, inutilis & infructuoſa.

Vlpianus eleganter §. de pign. action. Tradunt in legum ſuarum volumine Iuriſconſulti, nummis adulterinis ſincere ſolutionem peragi non poſſe. Sic dico, pœnitentiam damnatorum eſſe velut nummum adulterinū, cuius nullus in alterius mundi regno ſit vſus, & qua noſtra erga diuinam iuſtitiam obligatio ac debitum nulla ratione diſſoluatur, quamuis reliquo vitæ tempore facillime eadem diſſolui queat. Exclamare igitur merito poſſim, ô dolor, ô crux, ô pœna intolerabilis, ô querimoniæ in omne æuum duraturæ! ô pœnitentia ſera & tamē perpetua! ô triſtis diuinæ faciei in æternū amiſſio. Hanc igitur menti veſtræ inſculpite Chriſtiani, hanc metuite, & ſemper ante oculos habetote, itaq; teſte Salomone, fiet, vt nunq̄ Deum offenſuri, ſed Satanæ ad peccandū inuitanti, quod magnus olim Græcię orator reſpondit, reſponſuri ſitis, *Tanti non emam pœnitere*, triſte, inquam, amarum ſemperque duraturum pœnitere, quod pœnam damni velut indiuiduus comes comitatur, pœnam omnium pœnarum maximam, quęq; potius lachrymis quam verbis explicanda foret.

Tu vero, ô æterne & omnipotens Deus, cuius iuſta æquitate iam à quinq; annorum millibus pœna hæc damnatis infligenda durat, ac ſemper vſque ad mundi exitum durabit, nos ab eadem immunes præſta, hanc auerrunca. Ne obſecro pmittas, in triſte hoc nos exilium relegari, in quo diuinæ tuæ faciei fruitione in ęternum carere deberemus. Hic potius coargue, hic caſtiga, hic delicta corripe, vt in æternum parcas, inprimis vero à pœna damni nos tuere, pœna quæ ſcelerum malitiæ & auerſioni à Deo, ad amuſſim & ex merito reſpondet: vt, quoniam peccator, dum in terris ageret, à tuo ſe conſortio ſeparauit, tu te ab illis abſtrahas: pœna quæ varias ſecum querimonias, dolores, gemitus, ac ſuſpiria trahit, quæ intellectui triſtem illam æternæ beatitudinis amiſſionem indeſinenter repræſentat, tempus quoque perditum. Sacramenta neglecta, ſancta exercitia, bona opera omiſſa ob oculos ponit: cui vermis ille conſcientiæ animæ ac ſpiritus medullas perpetuo depaſcens, & præteritorum delictorum grauitatem, ſuppliciaq; pro iiſdem toleranda ad viuum repræſentans, annexus eſt. Ab hac igitur pœna nos libera totius Pater miſericordiæ, noli, quæſo, beatifica eſſentiæ tuæ viſione nos priuare, qui ideo potiſſimum hunc mundum editi ſumus, te vt laudare, colere, dum viuimus, & poſt mortem facie ad faciem, ſine velo aut ænigmate, videre te poſſimus, in quo omnis noſtra beatitudo ac ſumma fœlicitas ſita eſt, cuius nos participes reddant Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA

FERIA SEXTA.

DE ÆTERNITATE POENA-rum infernalium.

Partitio.

1. *De pœnitentia non procraſtinanda.*
2. *Quod inferni pœna ſint æterna.*
3. *Cur iuſtum ſit inferni pœnas æternare.*
4. *Qui corpus in pœnis æternet.*

Memorare nouiſſima tua, *ac præſertim æternitatem pœnarum infernalium*, & in æternum non peccabis. *Eccleſ. 7.*

FIGVRA.

Ierem. 17. DEſcribit Ieremias Propheta ignem, quẽ Dominus ad vindictam ſcelerum, hominumque flagitia caſtiganda immiſſurum ſe comminatur; ignem furoris & indignationis, quique in æternum non exſtinguetur. Sæpe mecum tacitus cogitaui, quiſnã ignis ille fuerit, quidque per eundem Dominus deſignare voluerit. Verum S. Patrum veſtigiis inſiſtens, eorumque expoſitionibus acquieſcens, credidi ſub prophetiæ huius inuolucris pœnas infernales deſignari, quæ in igne ſemper ardenti, a que diuina indignatione, ad delicta impiorum caſtiganda, eorumque iniuſtitias coarguendas, iugiter accenſo conſiſtunt; pœnas inquam æternas, fine & termino carentes, ac perpetuo duraturas, veroque metuendas. Super his hodiernæ orationis ædificium conſtruam: vtq; Spiritus Paracletus, & glorioſiſſima Dei Mater auxilio & precibus adeſſe dignentur, noſtras illis preces, prius AVE MARIA recitando, offeramus.

I. Nihil in ſacris literis magis obuium eſt, quam ad pœnitentiam mature, & dum tempus adeſt oportunum, agendum, bonaque opera interea dum hic operari licet, edenda, exhortatio: nulla namque poſt hanc vitam eius agendæ ſupereſt ſpes, nullus veniæ, aut miſericordiæ eſt locus, nullaq; exſpectanda redemptio, tunc ſcilicet incaſſum vita preceſque funduntur, nam pœnæ cum ſemel cœperint, numquam deſinent, ſed in æternum duraturæ ſunt. Primus teſtis ſit Paulus: *Operemur bonum dum tempus habemus:* nam *Gal. 6.* poſt hanc vitam nulla operandi ſpes reſtat, nullum amplius tempus, nulli dies, nulli ſupererunt anni: ſed vna æternitate in æternum extendenda tempora dimetiuntur.

Vates regius, æternitatem hanc præſagiens, genibus in terram proſtratis, oculiſque in cœlum erectis, gemens obſecrabat: *Conuertere Domine & eripe animam meam, ſaluum* *Pſal. 6.* *me fac propter miſericordiam tuam: quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui*, nemo inquam, qui te poſt hanc vitam laudet, benedicat, tibique confiteatur, ac multo minus qui per pœnitentiam ad te conuertatur. O verba aſpera, atque omnem miſericordiam excludentia! ſi interea dum viuimus pœnitentiam non egerimus, poſt mortem nemo eandem ſeſe agere poſſe ſperet. Quid igitur cogitas impudens & contumax peccator, qui de pœnitentia agenda modo parum ſollicitus es? qui vitæ florem elabi ſinis, vitiis temp⁹ tranſigis, omnemque ætatem peccando conſumis, vitæ emendationem pœnitentiamque in ſenectutem vltimam & decrepitam differens: forſitan poſt mortem pœnitentiæ tempus putas ſupereſſe; ſed erras, poſt fata ſiquidem ſera eſt vitæ melioris promiſſio.

Prudens paterfamilias verno & æſtiuo tẽpore, quando opportunitas eſt optima, ædificia collapſa reſtaurat, macerias diſſolutas reparat, nec in tempus hibernũ dum hyems & procellæ brumales ſæuiunt, idipſum differt. *Simile.* Prouidus etiam nauarchus interea dum æquora ſtrata ſilent, & mare tranquillum eſt, quæ nauigationi peropportuna ſunt comparat, laxatas nauis compages reſtaurat, ac ſeſe aduerſus tempeſtatem communit: ne forte procella inopinato ſuperueniente, ventiſque vehementer ingruentibus graue naufragij periculum incurrat, ac tum reſtaurationem nauis, cum minus oportunum eſt, adornare compellatur; Ita quoque quamdiu vitæ huius malacia & tranquillitas arridet, diligenter præparanda ſunt ea quæ ad alterius

rius vitæ iter neceſſaria videntur: bona inquam & ſincera confeſſio, integra ac plena ſatisfactio, fidelis contritio, ac ſancta pœnitentia, ne fortaſſe repentina diuinorum iudiciorum procella oppreſſi, tum cum voluerimus, eandem minus agere valeamus.

Luc. 14. Egregia id Dominus ſimilitudine demonſtrauit, *Quis rex*, inquit, *iturus committere bellum cum alio rege, non prius cogitat ſedens, ſi poſſit in decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? alioqui illo adhuc longius agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis ſunt*. O infelix & ſtolide peccator, qui quotidie regni cœlorum, Angelos & dæmones numinis ſui maieſtate percellenti, cuiuſque potentia tanta eſt, vt terram reſpiciat & faciat eam tremere, aduerſaris, qua fronte bellum ei indicere audes: cur non potius mille per diem preces, quæ ſunt veri animæ legati, præmittis, quæ pacem poſtulent? cur non peccatorum veniam flagitas, interea dum adhuc procul abeſt? noli expectare cum diuinæ iuſtitiæ mucro ceruicibus impendet, noli in alteram vitam pœnitentiam differre: tunc namque omnis conuerſio inutilis erit.

2. Par. 13. Hinc ſapienter olim dixiſſe mihi viſus eſt Abia Rex Iuda, qui poſt Ieroboam regnum tenuit, *Filij Iſrael, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum veſtrorum, quia non vobis expedit*. Quaſi diceret: Tempus veniet, quo pacem deſiderabitis, ſed denegabitur vobis. Eiſdem verbis alloqui cœcos illos peccatores volo, qui inſtar gigantum cœlo bellum mouent; montem monti imponere geſtientes, ſuperbiam ſuperbiæ, peccatum peccato addentes: *Peccatores nolite pugnare contra Dominum patrum veſtrorum, quia non vobis expedit:* cupietis enim pacem, ſed minime impetrare poteritis, at metuendum eſt, ne idem vobis accidat; quod impio Antiocho Regi Syriæ.

2. Mach. 9. Hic enim cum ſæpius cœlo bellum indixiſſet variaque in dilectum Deo populum crudelitatis genera exercuiſſet; pacem tandem aliquando inire volens, ingratitudiniſque ſuæ veniam poſtulans, nunquam me-
ruit exaudiri, *orabat*, nimirum, *Deum à quo* Heb. 12.
non erat miſericordiam conſecuturus. Idem omnino accidit profano Eſau, de quo Paulus ſcribit, *Quod non inuenit locum pœnitentiæ quamquam cum lachrymis exquiſiſſet eam*. Non quod hinc efficere velim, pœnitentiam ad omnia peccatorum genera expianda non ſufficere: at quod pœnitentia illius ſincera nō eſſet, ſed fucata, qualem vt plurimum oſtendūt ij, qui eandem vſq; in vltimum vitæ articulum differunt: quod figura è libris Moſaicis petita manifeſtum faciet.

Permiſit olim Dominus, vt ſi quis inter Leu. 25.
Iſraelitas domum in ciuitate libera vendidiſſet, intra anni ſpatium, perſoluto precio eandem repetere ac redimere poſſet: ſi vero anni ſpatium elapſum foret, nulla eius habendæ ſpes ſupereſſet. Origenes myſterium exponens, ait per domum hanc, cœleſte illud habitaculum deſignari, de quo locutus Apoſtolus ait, *Domum habemus non manu factam,* 2. Cor. 5.
æternam in cœlis. Peccator itaque magnæ huius ciuitatis inquilinus & ciuis dum aliquod peccatum admittit, turpiter eam diuendit, ſed infinita legiſlatoris bonitas integrum vitæ huius annum elargitus eſt, quo eandem pœnitentiæ operibus redimat, ſed illo euoluto nullum amplius emendi ius aut ſpes ſupereſt, nec in altero mundo vllus veniæ locus reſtat.

Eleganter hoc expreſſit Pſalmographus, Pſal. 87.
dicens: *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis*. Quem locum S. Hieron. exponens, ait loco, *aut medici ſuſcitabunt?* vt Vulgata habet, Hebraicos fontes præferre, *aut gigantes reſurgent & confitebuntur?* & per illos gigantes intelligi Angelos, idque propter vires, quæ naturaliter illis inſunt. Ita namque illos appellauit Iob, *Sed & gigantes* Iob. 26.
gemunt ſub aquis tormentorum, quæ interpretatio ſi locum capiat, indicare Pſalmiſta voluit: ſi Angeli de reſurrectione deſperent, multo minus homines fragiles & imbecilles poſſe ad vitam reſurgere.

E qui-

Digitized by Google

E quibus omnibus conatus ſum oſtendere, nullam poſt hanc vitam gratiæ ſpem ſupereſſe, & animas quæ ſemel infernalibus ſuppliciis traditæ ſunt, nullam redemptionem aut miſericordiam exſpectare debere, denique pœnas quæ apud inferos tolerandæ ſunt ſemper duraturas, & nullo vnquam æuo terminandas. Quod ipſum ſi aſſidue animo volueremus, nemo noſtrum, credo, eſſet, quin mundum desereret, ſolitudinem amaret, ac vitam monaſticam amplecteretur. Hinc bene mihi dixiſſe viſus eſt Salomon: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum n n peccab is*

Eccleſ. 7.

Nullum enim, ô homo, aduerſus ſcelera tua peccandique conſuetudinem antidotum melius aut ſalutarius, quam infernalium pœnarum æternitatem ſemper ob oculos habere. Hanc hodie animabus veſtris inſculpere conabor, duas in partes diuiſam: prima diſquiram, num pœnæ illæ æternæ ſint; altera, num æquum ſit & iuſtum, tanta eaſdem temporis periodo circumſcribi, & omnem duobus hiſce circulis incluſam æternitatem, ad oculum demonſtrabo.

Error Origenis, qui credebat, dæmones aliquando redimendos.

Fuerunt olim aliqui, à veritate & vniuerſali omnium Christianorum fide nimium quantum recedentes, qui crediderunt ac docuerunt, pœnas infernales non futuras æternas, ſed eas tandem aliquando, quæ Dei miſericordia eſt, in tempore finiendas, damnatoſq; demum ſuppliciis eripiendos. Hunc in Origene errorem culpat Auguſtinus; credebat enim ille, dæmones aliquando à pœnis inferni liberatum iri, eorum ſupplicia finem habitura, Deumque poſt longa annorum curricula ijs reconciliandum. Sed à longo iam tempore opinio hæc velut erronea, & Scripturæ auctoritatibus, & maxime loco Apocalypſ. 20. repugnans, ab Eccleſia condemnata fuit. Quod & euidentiſſima ratione aſſeri poteſt: Si enim dæmones Orco aliquando eximi, à ſuppliciis liberari, damnatioq; eorum finem debet accipere; ipſi quoque ad eundem modum, Angeli cœlo deturbari, æternaque beatitudine detrudi poſſent, atque ita nihil de ipſa beatitudine certi ſtatui.

Li. 21. de ciu

II.

Alij quoque, ſed longe poſt tempora Origenis, eodem imbuti errore, crediderunt, ipſam damnatorum pœnam finem habituram. Innitebantur hi potiſſimum verbis illis Matthæi, quibus dicitur ſceleratus quidam à iudice carceri traditus, è quo non egreſſurus ſit, *donec nouiſſimum quadrantem perſoluerit*; vnde inferebant eum debito perſoluto liberandum, ſed errabant, nam donec hoc loco non innuit, eos tandem aliquando egreſſuros aut liberatum iri, ſed negatiue hic capitur, vt in pleriſque aliis Scripturæ locis, & imprimis illo Geneſeos: *Coruus non eſt reuerſus, donec ſiccarentur aquæ*; conſtat tamen, coruum non amplius ad arcam rediiſſe; item illo Pſalmorum: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; neq; enim hic innuitur, Chriſtum, poſt omnium gentium conuerſionem, non amplius, ad Patris dexteram conſeſſurum, ſed in omnem æternitatem eandem ſedem habiturum; item alibi: *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur luna*; id eſt, in ſempiternum; certum eſt enim, lucidum illum orbem nunquam auferendum. Adeo vt ipſum *donec* hoc & aliis locis pro æternitate capiatur.

Matth. 5.

Gen. 8.

Pſal. 10.

Pſal. 71.

Nemo igitur ſibi perſuadeat, pœnas has aliquando terminandas; aut neget, eaſdem perpetuas eſſe, certum namq; eſt, numquam eas finem habituras.

Vnde Innocentius Papa tertius: *Nullus ergo ſibi blandiatur, & dicat: Quia Deus non in finem iraſcetur, nec in æternum indignabitur, ſed miſerationes eius ſuper omnia opera eius, quia cum iratus fuerit, non obliuiſcetur miſereri, nec quidquam eorum, quæ fecit Deus, odiuit. O ſpes inanis! ô falſa præſumptio! Non credat, fruſtra errore deceptus, quod aliquo pretio ſit redimendus, quoniam in inferno nulla eſt redemptio* ô verba horrorem nobis & metum incutientia, quæq; vel ferreum percellere pectus queant.

Lib. 3 de contemptu mundi c. 10.

Hanc igitur vobiſcum interdum æternitatem cogitate, rationis eam trutina ponderate, iudiciique vlna eam demetiamini: neque enim commentum eſt aut anilis fabula. Ipſa namque in impios ferenda ſententia, non aliter feretur, *Ite maledicti in ignem æternum,*

Oſtenditur pœnas infernales æternas eſſe.

Matt. 25. Marc 3.

Digitized by Google

num. & ibidem: *Ibunt in ſupplicium in æternum.*
2.7 b ſſ.1. Marcus Euangeliſta tantundem habet: *Qui autem blaſphemarit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.* Æternitatem hanc quoque toties inculcauit Paulus: *Qui pœnas dabunt in interitu æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis eius.* Item Iudas in Epiſtola ſua Canonica, primo namque de Angelorum ruina loquens, ait: *Angelos vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Deinde de hominum damnatione: *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt in exemplũ ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Item in Apocalypſi
Apoc.14. ſua Ioannes: *Fumus tormentorum eorum aſcendit in ſæcula ſæculorum, nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt beſtiam.* E quibus omnibus concludamus neceſſe eſt, pœnas has in æternum duraturas.

Dicant & ſymbolum ſuum Prophetæ. Quotquot de tartari ſuppliciis olim locuti ſunt, æternitatem iis ſemper affinxerũt. Imprimis Ierem. ille, inq̃, qui aliquot annorum ſpatio, ſub tribus Regibus Iuda, Ioſia nimirum, Ioachin, & Sedechia Ieroſolymis vaticinatus eſt, ac tandem poſt vrbis excidium captiuus in Ægyptum abductus, vbi à furentis populi multitudine, (vt quidem ſentit Hieronymus) lapidibus obrutus exſpirauit, is, inquam, hoc de iiſdem teſtimonium de-
Ierem.17. dit: *Et relinqueris ſola ab hæreditate tua, quam dedi tibi, & ſeruire te faciam inimicis tuis in terra quam ignoras, quoniam ignem ſuccendiſti in furore meo, vſque in æternum ardebit.* Et poſt
Cap.23. ſex capitum interuallum: *Et dabo vos in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur.* Hic vtrimque pœnæ ſempiternæ, tormenta non terminanda, & ſupplicia æterna deſignantur. Multoque etiam clarius ac manifeſtius à
Pſal.48. Pſalmographo: *Non dabit Deo placationem ſuam, nec pretium redemptionis animæ ſuæ.* Perinde ac ſi dixiſſet: Omnia apud inferos æterna ſunt, & omnis ſpes vana, incaſſum impij Patri æterno vnigeniti Filij ſanguinem in crucis ara effuſum, qui olim iram eius placare & iratum demulcere poterat, offerent; efficax illud lytrum quo olim animæ Deo reconciliabuntur, tunc inutile & infructuoſum erit, ideoque mox ſubiungit: *Laborauit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Anne maioribus & prægnantioribus teſtimonijs pœnarum perpetuitatem ſtabiliri valeamus?

Obiter tamen notare vos velim verba illa: *Laborauit in æternum*, quæ hunc ſenſum dabunt. Semper patietur, nunquam tormenta eius habebunt finem, quidquid enim & quamdiu impij patiuntur, nihil illis proderit: pœnas luant, debitum ferendo tolerandoque ſoluant, peccata flamma expient; de debito tamen ne hilum minuũt, eadem poſt centum annorum myriadas manebit obligatio, & iterum ad principium reuocanda. Eſt namque æternitas inſtar orbitæ, ſemper vertentis, & numquam quieſcentis. Si enim à nefario Caino quis peteret, Quanto iam tempore miſer apud inferos torqueris? A quinq; responderet; annorum millibus: & à Dathane, Chore, & Abirone: A quot iam annis in inferni barathrum deſcendiſtis? dicent, A quater mille annis. E epulo, quamdiu flamma illa vorax depaſta eſt? dicet, Bis mille ꝑpemodum annis. Si deinde vlterius peteretur, quot adhuc anni reſtarent, reſponſuros haud dubio exiſtimem omnes, in æternum, ſemper, & omne in æuum; nulloque vmquam tempore tormentum noſtrum finem habebit. Hæc Bernardum cogitat horreſcit,
& exclamat: *ubueant mihi viſcera mea, priuſquam ad tormenta perueniam, priuſquam me deuoret ignis gehennæ, priuſquam ſine termino crucier in inferno.* Lib Med c 5.

Nulla impiis redemptionis ſpes ſupereſt.

Res ſunt, Auditores, quę lachrymis potius, quam verbis explicandæ ſunt; ad æternam ſ. gehennam damnari, tormentis perennibus excruciari, nullam liberationis ſpem habere, Herculeos etiam animos percellat. Si enim Iacob Patriarcha viginti trium anno- Gen.37.
rum ſpatio filium quem mortuum putabat, luxit (quando enim Iſmaelitis venditus erat Ioſeph, nonniſi ſedecim habebat annos, quando vero deinde à fratribus agnitus fuit, vnde quadraginta annorũ erat, vt è capit. 41. & 42. Geneſeos manifeſtum eſt.) Porro diu-

Digitized by Google

æterni huiuſce luctus cauſa erat crudele illud mortis genus, quo filium extinctum putabat, à fera ſ. peſſima dilaniatum. Quid uos facere par eſt, Chriſtiani, cum tot nobis damnatorum animas à diabolis, monſtris illis horrendis & terribilibus dilaniatas, excruciatas, diuexatas, & tortas tartareiſque ſuppliciis addictas, ob oculos ponimus.

Multi qui æternitatẽ pœnarum præ oculis habuere ad frugem meliorem conuerſi ſunt. *Pſal 76.*

Plurimi profectò, qui hanc pœnarum æternitatem perpetuo præ oculis habuere, ad pœnitentiam vitæque emendationem conuerſi ſunt; hi in vepreta, illi in ardentes prunas ſeſe nudos coniecere, alij incultam eremum & vaſtam ſolitudinem, pœnitentiæ agendæ ergo, petiere. Dauid quoque Propheta, regni licet negotijs implicaretur, æternitatem hanc ſæpenumero mente voluebat, vt ipſe de ſe confeſſus eſt: *Annos æternos in mente habui* Ecqui anni, Deus immortalis! neque enim hi curſu ſolari diſtinguuntur, nec in duodecim menſes, aut in trecentos ſexaginta quinque dies & ſex horas diuiſi ſunt, ſed in omne æuum & ſæculorum ſæcula extenduntur.

Decades annorum, tredecades, centuriæ, chiliades, decades & centuriæ, myriades, centum myriadees, chiliads myriadũ, & myriadum myriades, & ſi quis vltra numerus dari poteſt, hic locum non habent; ſed in omne tempus annus vnus extenditur. Hic hæreres arithmetice, nec vlterius numeros hos poſſes extendere, nam poſt centenas & centies ac millies millenas annorum myriadas tantundem erit, quantum prius. Siquidem certum aliquod præfixum eſſet tempus, quamuis in multa extenderetur ſæcula; liberationem tamen impii ſperarent, & aliquod in tormentis lenimen experirẽtur, aut ſaltem æquanimius paterentur. Sed fruſtra, quod exemplo jam declarabo. Conſiderate, obſecro, vaſtitatem late patentis oceani, quot aquarum guttas in ſe contineat; & tamen, ſi poſt mille annos formica aliquam inde guttulam educeret, & impiis Deus promitteret, tunc demum illos inferno liberandos & ſuppliciis eximendos, quando oceanus eſſet euacuatus; aliquod illis procul dubio ſolamen foret, ſperarentque ſerius aut citius, tandem ſeſe gloriæ cœleſtis compotes futuros: Sed vbi dicitur, in æternum, omnis mox ſpes excluditur, atque hoc ipſum eſt quod impios ad deſperationem cogat, & excruciet.

O æternitas in æternum duratura, ô temporis diuturnitas vere metuenda! Hic aures arrigite, peccatores. Ipſa, ipſa impiorum caſtigatio tormentaque tanto durabunt tempore, vt, ſi ſinguli qui apud inferos ſunt, poſt decem ſæcula vel vnam lachrymulam amitterent, eæque vnum in locum congregarentur, ingens tandem illæ diluuium excitarent, quo etiam totus obrui mundus poſſet. Nam quemadmodum ſæcula in infinitum ſeſe extenderent, ita quoque lacrymæ in infinitum excreſcerent, atque ipſum infinitum rem finitam, qualis eſt mundus, facile obruere & abſorbere poteſt. Inſinuare his tantum volui, ipſam damnationem perpetuam ac perennẽ fore.

Oſtendit id aperte Angelus ille Apocalypſeos, quando nimirum lapidem molarem in mare coniecit, dicens: *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.* Viſionis huius Angelicæ ſenſus hic eſt, Quo impetu lapis hic oceani fundum petit, eodem etiam peccator infernalem abyſſum, è qua nunquam amplius eximetur. An non hoc euidenter æternitatem deſignat? *Apoc. 18.*

Hanc mirum in modum exaggerat Gregorius, verbis iſtis: *Fit ergo miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors viuit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit.* Multoque adhuc vehementius & manifeſtius Bernard.. *procul à beata paradiſi patria exulati cruciabũtur in gehenna perpetua, nũquam lucem viſuri, nunquam refrigerium adepturi, ſed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec vnquam inde liberandi.* *Lib. 9. Moral. c. 49.* *Li. Medit. c. 3*

Et ſane omnia apud inferos æterna ſunt, omnis ſpes illic veniæ & liberationis perdita, omnis illinc gratia exulat. Fornax quidem Babylonica, vt in Daniele legitur, ad quadraginta nouem quidem cubitos flammas eiaculabatur, nunquam tamen ad quinquageſimum, qui eſt numerus jubilæi, pertingere Figura. *Dan. 3.*

Digitized by Google

eædem potuere. Deſignatur hic, in inferno, cuius imaginem fornax hæc gerebat, & vbi flamma ſemper excreſcit, nullum vnquam jubilæum, id eſt, redemptionem, gratiam, ſpem eſſe, ſed pœnas in ſempiternum extendendas.

Malachias omnium Prophetarum poſtremus, quippe veteri Teſtamento finem impoſuit, & quem S. Hieronym. ex Hebræorum *Epiſt. ad Paulam & Euſtoch.* traditione Eſdræ à ſecretis fuiſſe ſcribit: licet obſcure, vere tamen, æternitatem hanc innuit, de judicio enim extremo locuturus hęc verba præmittit: *Malach. 4.* *Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem & germen.* Simile. Dies ſcilicet judicij igne & ardore ſuccenſus, peccatores velut ſtipulam conſumet, erunt enim ſicci, aridi, omnique gratia priuati, itaq; eoſdem aduret, vt nec germen, nec radicem in iis relicturus quoniam omnem illis veniæ, indulgentiæ liberationiſque ſpem præcidet, æternis eos incendiis mancipans. Quamdiu enim arboris alicuius radix in terra hæret, arbor germinare & creſcere paulatim poteſt, ſed radice ſublata, creſcendi nulla amplius ſpes ſupereſt. Hæc igitur dies non relinquet illis radicem aut germen, ſed impias illas arbores depaſcet, radicem ſpei penitus auferet, adeo vt nulla indulgentia, nulla venia, nulla amplius remiſſio, relaxatioue exſpectanda ſit, æternum in tormentis ſint permanſuræ. O igitur longa temporis diuturnitas! ô crudelis æternitas!

Æternitas, inquam, certiſſime euentura, & ineuitabilis. Ita nempe docent id S. Petrus & Iudas Apoſtoli, atque ita probant: *2. Pet. 2.* *Si enim angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit, cruciandos in iudicium reſeruari:* credendumne eſt, eum peccatores, flagitiis variis coopertos mitius habiturum? horumne ſupplicia breuiora erunt & compendioſiora quam Angelorum? nequaquam; Sed vt illi in æternum excruciabuntur, ita & hi: tali namque ratione *Matth 25.* ſententia prolata eſt, *ite maledicti in ignem æternum.*

Accedit ad hęc, quod ipſa æternitas vnum è fidei noſtræ capitibus ſit, ſymbolo Apoſtolorum inſertum, *Credo vitam æternam.* quod cum dicis peccator, tantundem dicis, ac ſi aperte profitereris, Quemadmodum firmiter teneo, in altero mundo æternam bonis vitam paratam eſſe, quæ omni eos voluptate & gaudio perfundet; ita quoque credo aliam impijs & peccatoribus deſtinatam, quæ omnibus eos doloribus, calamitatibus, miſeriiſque inuoluet. Ni hoc eſſet, cur, obſecro, toties diuinæ litteræ horrorem perpetuum, vermem mori neſcium, ignem inextinguibilem, ſupplicium ſine fine permanſurum nobis innuerent: ô æternitas! ô deſperatio! ô furor!

Pœnarum infernaliũ æternitas articulus fidei eſt.

Vera, inquam, deſperatio; omnis ſiquidem indulgentiæ ſpes tunc ablata fuerit, miſericordiæ janua occluſa, veniæ deniq; locus negatus; nam tormenta ſemper excreſcent, & nunquam minuentur. *Hinc dolor, inde pauor, ſtupor, gemitus, & timor horrens, ardebuntque miſeri in igne æterno, in æternum & vltra* ait in Meditationibus Bernardus, ſed multo vberius alio in loco oratione ad peccatorem conuerſa: *Antequam puteus te abſorbeat, pœnitere: priuſquam infernus te rapiat, peccata tua luge: priuſquam in profundum inferni mergaris, negligentias tuas plange: vbi iam non eſt locus indulgentiæ, vbi iam non eſt lætitia, non pœnitendi licentia? vbi iam non eſt licentia emendationis: vbi iam non eſt locus confeſſionis: quid? quia in inferno nulla eſt redemptio.* ô æternitatem intolerabilem!

Lib. Med. c. 5.

Serm. 27. de modo bene viuendi.

Fierine poteſt, ô clementiſſime & mitiſſime Deus, de quo ſcriptum eſt: *Pſal. 76.* *Aut obliuiſcetur miſereri DEUS, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Tanto te tempore miſericordiarum tuarum obliuiſci? Hoccine, iuſtiſſime, rationi conſentaneum erit, tuæque juſtitiæ reſpondens? Itane judex æterne? cum vere & merito de te cecinerit Pſalmiſta: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* *Pſal. 118.* Nam quandoquidem pœna quam irrogas, culpæ peccatique malitiæ non vſquequaque reſpondet, cur delictum temporale cum ſit, pœna æterna expietur. Repugnat hoc ſcilicet verbis illis Apocalypſeos: *Quantum glorifi-*

Digitized by Google

Apoc. 18. *glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Cur enim cum voluptas & delectatio impiorũ exigua & breuis fuerit (quippe de quibus ſcriptum ſit: *Ducunt in bonis dies ſuos: & in puncto ad inferna deſcendunt*) ipſa tamen caſtigatio & pœna tam diuturna? peccatum vnico puniri momento poteſt, cur igitur æternis ſuppliciis illud expiari neceſſe? anne hoc æquum eſt, & rationi conſentaneum? ſed hoc pluribus jam demonſtrare conabor, eſt enim ſecundum Concionis noſtræ membrum.

Æquiſſimũ eſt, pœnas infernales perpetuas eſſe.

Eccleſiæ fax & lumen Auguſtinus, cum pluribus demonſtraſſet, pœnas infernales ſempiternas eſſe, tandem concludens, ait diuinam in hac æternitate tamẽ miſericordiam elucere; nondum ex condigno, & ſecundum peccatorum grauitatem eadem caſtigando: at tantam eorundem malitiam & peruerſitatem eſſe, vt omnia quæ irrogari poſſent ſupplicia eorumque acerbitatem & intenſionem longe antecellant. Adeo vt nulla hic Dei indignatio, ſed mera æquitas & juſtitia eluceat. Nam, vt bene docet D. Gregorius: *Iuſtum eſt vt qui in ſuo æterno peccauit in Deum, in æterno Dei puniatur.* Vt porro cognoſcatis quã Iudicis huius ſententia æqua ſit, & juſta, & cur damnatorum pœnas eſſe oporteat æternas & perpetuas, aliquot rationes adferam. Prima ſit:

Non tam Deus peccatum quam eiuſdem malitiam caſtigat, quæ in voluntate conſiſtit, & ſi bene matureque attendatur, æterna eſt. Cur enim putatis peccatorem peccandi finem facere, aut peccatis valedicere? anne ex amore Dei, vel odio peccati, vel metu gehennæ? nequaquam. ſed quia vitæ finem inſtare cernit, quam ſi putaſſet vlterius prorogari potuiſſe, nondum peccandi finem feciſſet: cum igitur peruerſa illa voluntas æterna ſit, æquum eſt etiam vt pœna, qua eadem expiatur, æterna ſit & perpetua. Nam ſicut aleones ita luſui addicti ſunt, vt ludendi prius finem non faciant, quam candela exſtincta ſit: & quamuis ipſum etiam lumen deficiat, eiuſque defectu luſus finem accipiat, ludendi tamen voluntas non deficiat, ſed potius tempus ita præcidi, & elapſum eſſe ægre ferant. Ita peccatores, nam fortuito mundi huius luſui ſic addicti ſunt, ita vitijs indulgent, quamdiu vitę huius fax durat, vt quamuis eadem exſtinguatur, quamuis vita ęxcidant; voluntatem tamen peccandi non exuant. *Voluiſſent*, inquit Gregorius, *ſine fine viuere, vt ſine fine poſſent in iniquitatibus permanere*: & alibi, *Ad magnam iuſtitiam pertinet iudicantis, vt nũquam careant ſupplicio qui nunquam voluerunt carere peccato.* Ecce & aliam rationem. Lib. 4. dial.

Omne peccatum ſingularem quandam includit malitiam, quia bonum id quod amiſſum eſt, valoris infiniti eſt: atq; ita, vt ſupplicium illi æquiparetur, pœnaque reſpondeat culpæ, æquum eſt, vt in eoſdem pœna etiam infinita ſit. Atqui non poteſt hæc eſſe infinita intenſiue, vt loquuntur Theologi: neq; enim creatura ſubiectum capax eſt ad huiuſmodi pœnam ſuſtinendam. igitur infinita vt ſit extenſiue, quoad tempus & eius dimenſionem, neceſſe eſt. Ceterum rationis huius vim melius perſpicietis, ſi conſideraueritis Chriſti paſſionẽ, ad Patri æterno rigide & exacte vſquequaq; propter protoplaſti delictum ſatisfaciendum, neceſſariã fuiſſe: hoc nempe peccatum erat infinitum, atque ideo requirebatur, vt qui eidem ſatisfaceret, infinitæ etiam eſſet potentiæ, vt ita vnum infinitum alteri quam maxime reſponderet. En tertiam.

Quæ ratio eſt mercedis meriti, eadem eſt & caſtigationis demeriti; contrariorum enim contraria eſt ratio: Atqui piorum meritum, quod nonniſi temporale ac momentaneum eſt, æterna mercede compenſatur, iuxta illud Ioan. 6. *Omnis qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam* Neceſſum eſt igitur, demeritum impiorum; quamuis vnico momẽto peractum ſit, æterno ſupplicio expiari. An non hoc vobis veriſimile videatur, & æquiſſimum? Quarta hæc ſit. Ioan. 6.

Pœna, ſi Ariſtoteli credimus, intendi aut remitti ſecundum criminis admiſſi grauitatem debet: atque ideo fit vt qui principem aliquem offendit, grauius puniatur, quam Ariſt. 5. Eth.

qui

Digitized by Google

Ignibus viuit.

tutam, ab igne non abſumi, ſed eiſdem enutriri & foueri. Hinc porro diſcamus, impios velut Salamandras, in flamma infernali ſemper victuros, nec vnquam ab eadem abſumendos: Vtitur hoc quoque exemplo idem qui ſupra Auguſtinus: Audite verba eius, *Sunt animalia profectò corruptibilia, quia mortalia, tamen in medijs ignibus viuunt.*

Adhæc ſi magnus ille totius vniuerſi Oeconomus, Hebræorum in deſerto Sinai commorantium veſtes quadraginta annorum ſpatio integras conſeruauit, nec eorum calceamenta vetuſtate conſumpta ſunt; cur nō eadem poteſtate damnatorum corpora, licet perpetuo amburantur, integra & à combuſtione immunia ſeruare poterit? Nemo dubitet: ſemper quidem à flamma torquebuntur, nunquam tamen ab eadem adurentur, aut in cineres redigentur, quod teſtimonio ſuo confirmat Pſalmographus, dicens, *Mors depaſcet eos*: nihil quippe diuinæ potentiæ impoſſibile. Petet forſitan aliquis, num corpora illa corruptioni obnoxia ſint, nec ne, quidquid n. è contrariis conſtat corrumpi poteſt, atqui corpora damnatorū eo modo compoſita ſunt, quo noſtra: igitur eodem etiam quo noſtra, modo corrumpi queunt: Si enim corruptioni obnoxia non eſſent, hoc vel naturaliter, vel per gratiam contingeret; ſed naturaliter id fieri nequit, quia ſunt eadem quæ modo ſunt, & multo minus per gratiam, quia omnis illis gloria & gratia ablata erit.

Deut. 29.

Pſal. 48.

Obiectio.

Corpora damnatorum non poterunt corrumpi.

Dico igitur, ipſa damnatorum corpora vere incorruptibilia fore, idque ex natura; non quod aliquod incorruptionis principium habeant, ſed prouenit hoc ex defectu primi mobilis, quod omnia ſolet corrumpere & in putredinem redigere. Notandum adhæc, contraria quæ ſunt inſtar membrorum, partium & compagum, è quibus corpora noſtra compacta ſunt, non eſſe niſi ſecunda principia, & initia corruptionis: nam primum agens, quod naturam hanc deſtruit & demolitur, eſt ipſe cœlorum motus: adeo vt præſuppoſito hoc motu, omnia quæ è cōtrariis compoſita ſint, neceſſario debeant corrumpi, niſi virtus quædam alia & cauſa ſublimior obſtaculum opponat. Atqui, vbi iudicio peracto primi mobilis motus ceſſauerit, contraria nullam penitus ex ſe corruptionem cauſari poterunt, atque ita corpora damnatorum non corrumpentur. Ita namq; textus ſacer habet, *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: deſiderabunt eam, & mors fugiet ab eis.* Neceſſe quoque eſt, impios tum in corpore, tum in anima ſuppliciis ſempiternis excruciari; ſcriptum namque eſt, *Ibunt in ſupplicium æternum.* At hoc fieri non poſſet ſi eorum corpora tandem deficerent & corrumperentur: quidquid enim corruptioni, idem & finitioni obnoxium eſt: atqui ipſa finitio è directo æternitati contraria eſt.

Apoc. 9.

Matt. 25.

Hoc igitur in mente habeto peccator, hoc animo inſculpe, æternitatem hanc ſemper ante oculos pone: tecum interdum diſpice, quam graue ſit ac miſerum, in æternum grauiſſimis cruciatibus torqueri. Quid enim non faceres, quam pecuniam non perſolueres, ſi neceſſe foret, anguſtis toto vitæ tempore calceis indui, aut importunum muſcæ in oculos aut faciem volatum, aut aſſiduam pulicis in aure titillationem tolerare, quo ab hac moleſtia, aut importuna vexatione liberareris. Quid non promitteres medico, ſi continua febri excruciari deberes? quid non Principi, ſi teterrimo ſemper carceri incluſus viuere; quo & ſanitati & libertati reſtitui poſſis? Quid igitur erit, indeſinenter & in æternum, apud inferos ſine vlla ſpe grauiſſimis pœnis excruciari? Dicito mihi, ſi ad triginta, vel quadraginta tibi annos in lecto molli pluma ſuffulto cubandum eſſet, an non graue eſſet & moleſtum? quanto hanc moleſtiam pretio, qua mercede redimeres?

Quid erit igitur, in omne æuum, medias inter flammas, mediis in ignibus conſtitutum eſſe, ſine fine ardere, ſine ſpe relaxationis excruciari? Quamobrem hæc in mente gere, & nunquam in Deum delinques.

At tu ô Seruator mundi, noſtri miſerere, noſque conſerua, ne in diuinæ iuſtitiæ manus incidamus, nec ad tam horrenda ſupplicia

Digitized by Google

plicia condemnemur. Quis enim æquo animo ferat, ô Redemptor animarum, in æternum caſtigari, perennibus in ſuppliciis verſari, perpetuo incendio apud inferos excruciari? quis ita marmoreus, æneus, aut ferreus inueniatur, qui hæc omnia infracto animo perferat? tot noctes longiſſimas in continuo incendio verſetur, tot annos hanc dæmonũ & pœnarum violentiam ſuſtineat, ſemper in ignibus iaceat, prunas candentes calcet, in iis extenſus ſit & ſepultus: dæmones inſultantes, torquentes, ad torquendum ſocios inuitantes noua tormẽta cõminiſcentes cernat? audiat quoq; furias illas, conuitia, contumelias & opprobria euomentes? Quis, inq̃, hæc omnia æquanimiter ſuſtineat, quis non ad inſaniam redigatur; quis habenas furoris non laxet? O æternitas, ô æternitas! Tu igitur nos defende ac protege Domine, & loco æterni ſupplicij, ad æterna nos gaudia perducito: hoc ſcilicet eſt quod ſperamus, in hoc omnem noſtram beatitudinem ſitam arbitramur, ad quam nos deducat, & Pater & Filius, & Spiritus S. Deus, qui in ſæculorum ſæcula eſt benedictus.

SABBATO.

DE INFELICI DAMNAtorum ſorte.

Partitio.

1. *Quod damnatorum extrema ſit infelicitas.*
2. *Suffragia fidelium damnatis nihil proſunt.*
3. *De numero damnatorum.*

Memorare nouiſſima tua, *& maxime, quãta ſit damnatorum apud inferos miſeria & infelicitas*, & in æternum non peccabis. *Eccleſ.7.*

FIGVRA.

Iſa.24. ISAIAS Propheta, qui tum lingua tum calamo octoginta annis Iudæorum Synagogæ præfuit, cuiuſque hiſtoria magis Euangelij quam prophetiæ ſpeciem, vt quidem Hieronymus ait, præfert; obſcurum aliquando carcerem deſcripſit, in quo varij captiui, omnis ſpe relaxationis priuati, detinebantur. Cum loci huius interpretes conſulerem, reperi veram hic damnatorum eorumque ſortis imaginem proponi, qui nimirum læſæ diuinæ maieſtatis rei carceribus infernalibus, omni ſolem amplius videndi, libertatiſque adipiſcendæ ſpe excluſi, mancipati ſunt. O rem deplorandam, ô ſortem infelicem ſic miſeram! Ah vere calamitoſos, quicunque ad hanc ſubeundam condemnati ſunt! Hanc ipſe hodierna die vobis audientibus latius exponam: modo linguæ verborumque meorum directori Spiritui Sancto, adeſſe dicenti, & ſacratiſſimæ Virgini interceſſione ſuccurrere, non graue videatur. Antequam igitur vlterius prouehamur, ad eam vota noſtra dirigamus, dicentes vna voce: *E. iſtol ad Paulinum.*

AVE MARIA.

Neminem veſtrum eſſe putem, Auditores, qui non commoueatur, & ad commiſerationem excitetur, dum triſtem Samſonis viri ſtrenuiſſimi caſum legerit: quis enim non admiretur & obſtupeſcat, cum fortiſſimum ducem a Philiſthim captiuum abduci, ignominiaque affici videt, vt & comam ei totonderint, oculos eruerint, manus pedeſque vinxerint, in priſtinum eum compegerint, quo ita omnium ludibrium factus & ſpectaculum, hoſtium riſui & ſannis expoſitus, in amaritudine vitam terminaret? At ſi damnatorum ſortem & calamitatem audieritis, ſtatuetis profecto Sampſonis miſerias calamitateſque pueriles & ludicras cum his ſi conferantur, videri. Quis ſine admiratione audiat, videat, & credat, tot potentes & locupletes, opibus turgentes, honoribus cumulatos, deliciis affluentes, ad tantam miſeriam redactos eſſe, vt à dæmonibus hoſtibus iuratiſſimis captiui abducti ſint, voluptatibus priuati, intelligendi vi ſpoliati, manus pedeſque vincti: & æternarum pœnarum rotæ alligati, vt in miſeriis & ærũ- *I. Iud.6.*

Digitized by Google

& ærumnis vitam hanc fatalem ſine fine finiant.

Hoc olim diligenter meditatus magnus ille Hugo de S. Victore, ita quodam in loco ſcribit: *Quis putas tunc mœror erit? quæ triſtitia, cum ſeparabuntur impij à conſortio ſanctorum, & à viſione Dei & traditi in poteſtatem, ibunt cum ipſis in ignem æternum*; ad rotam æuiternitatis alligati. Hinc porro imprecandi aliquibus mala occaſionem ſumpſit Pſalmographus, dicens: *Pone illos vt rotam.* verba quidem pauca, ſed prægnantia, quæq; hunc ſenſum reddunt; ſemperne vinctas manus habebis, Domine, ſemperne patiens eris? nunquamne iuſtitiam exercebis? ſemperne impune peccatores habebunt? iam ſatis ſuperque indultum eſt, fulmina eiaculare, inferni clauſtra reſera, abyſſos præpara, reos condemna, & æternitatis illos rotæ alliga.

Lib. 1. de anima.

Pſal. 18.

4. Reg. 17.

Sexcenties mihi Sedechiæ Regis calamitas lachrymas excuſſit; eſt enim oculis graue, principem potentiſſimum, ampliſſimi regni poſſeſſorem, in Babylonico carcere videre ingemiſcentem, pœdore & ſqualore obſitum, oculis orbatum, filiis & domeſticis gladio interemptis ſpoliatum, catenis vinctum; cuius adhæc regnum incolis nudatum ſit, & metropolis eiuſdem igne ſuccenſa, ciues in captiuitatem abducti. At profecto, quicunque oculos in lamentabilem damnatorum ſortem coniecerit, maiorem lachrymandi occaſionem inueniet, nihil enim triſtius ac magis deplorandum audiri queat, quam tot Reges, Principes, Monarchas, aliosque innumeros, in poteſtatem dæmonum redactos, grauibus vinculis alligatos, in animæ facultatibus excruciari, regna eorum in prædam data, ſuppliciaque eos varia perpeti, idque in æternum, ſine vlla liberationis ſpe. Quis talia fando temperet à lachrymis?

Iob. 1.

Et quoniam lachrymarum mentio incidit, aliud de iiſdem depromam. Eliphas Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, amici Iob Prophetæ, cum ad tantas eum redactum anguſtias viderent, vt in ſterquilinio ſederet, vlceribus putidiſſimis ſcatens, adhæc ſaniem exſudaret, facultatibus omnibus & filiis orbatus, & à Satana denique violenter torqueretur: ita conſternati ſunt, vt præ admiratione in terram corruentes, aſſidue lachrymas & gemitus ediderint, cineribus ſeſe conſperſerint, veſtes conſciderint, idque ſeptem diebus & noctibus, vt nemo ei vel verbum loqueretur.

Quis adeo durus & ſaxeus reperiatur, Domine, quis adeo ſtoicus ac rigidus, & ab omni affectu alienus, qui oculos interdum in damnatorum animas coniicies, eorumq; ſortem accuratius perpendens, vt ſcilicet omnibus facultatibus nudati ſint, gloria nimirum cæleſti, viſione Dei, Angelorum cōſortio: vt mediis in flammis conſtituti, ictibus & plagis variis ſauciati, & à dæmonibus miſerum in modum afflicti; à fletu temperet, & præ ſtupore non penitus obmuteſcat?

Gregorius Magnus hunc me conceptum edocuit, qui ita ſecum interdum ratiocinabatur, itaque meditationem inſtituebat: *Cum recogноſco Iob in ſterquilinio, Ioannem eſurientem in eremo, Petrum extentum in patibulo, Iacobum decollatum ab Herode gladio; cogito qualiter Deus in futuro cruciabit quos reprobat, qui ita dure affligit quos amat*, ô ſancta & beata contemplatio!

In Homil.

Fuit, referente Ioanne Climaco, religioſus quidam, qui pœnas infernales ac ſupplicia tartari in tantum metuebat, vt nunquam ignem videret, quin ſemper lachrymaretur; ſolus ecce conſpectus ignis eum percellebat, & vultus pallorem inducebat; cuius cauſam rogatus aliquando, reſpondebat: *Ex huius ignis contemplatione ſempiterni incendij memoria compungor.* Et merito quidem, neminem eſſe putem, qui interea dum oculis corporis ignem noſtrum materialem contemplatur, eadem opera oculos animæ ad infernalem reflectit; quin mox ſingultiat, lachrymaſque effundat.

Religioſus quidā ſemper plorabat, quoties ignem videret.

Hoc ipſum ſuadet & Ioannes Chryſoſtomus Græcorum Patrum phœnix; ita namque ſui temporis Chriſtianos allocutus eſt: *Cogitemus, quantum ſit mali in conflagratione perpe-*

In Homil.

perpetua, in tenebris, in luctu infinito, & dentium ſtridore, nemine exaudiente? Aliquidne igitur calamitoſius, aut magis miſerum dici aut fingi poteſt. Addit deinde hanc ſimilitudinem: Cum nobilis aliquis, aut princeps in carcerem coniicitur, eumque putidum & obſcurum, quidquid ibi conſpicitur horrorem ei & cruciatum adfert, ipſa ſcilicet maleficiorum ſocietas, loci fœtor, & vincula cum latronibus, furibus, homicidis & ſceleratis communia, adeo vt mortem ſubire, quã diutius in eodem commorari malit. Quantum igitur dolorem afflictionemque ſentire debent animæ damnatorum, quæ in carcere illo infernali coarctatæ teneantur, perpetuis in tenebris, & fœtoribus verſantes, inter omnes totius orbis homicidas, latrones, ſacrilegos, atque maleficos poſitæ: an non vere emori ſatius foret, quam omnia hæc in æternum perferre?

Damnatorum ſortis genuina deſcriptio. Profecto nihil fingi, aut excogitari ipſa poteſt damnatorum ſorte acerbius, aut calamitoſius. Ipſi enim ſunt malefici, qui noctu diuque excruciantur, ſunt captiui in profundiſſimis mundi receſſibus, in quibus nulla lux aut ſplendor, concluſi, ſunt rei, qui omnia tormentorum genera experiuntur, ſunt denique creaturæ vere miſeræ & infœlices, quæ ſine vllo ſolamine aut leuamine affliguntur, ſine vlla commiſeratione torquentur, ſine vlla relaxationis ſpe apud inferos agunt. Quarum tanta calamitas eſt, & miſeria, vt, ſi anima noſtra eandem perpetuo recordaretur, nunquam creatorem peccando offenderet. Ita enim

Eccl. 7. cenſuit Salomon: *Memorare nouiſſima tua: & in æternum non peccabis.* atque hoc ipſum eſt, quod hodierna die explicandum ſuſcepi, quod vt methodice & ordine debito fiat, primo demonſtrabo, num preces & ſuffragia viuorum damnatis prodeſſe queant, ac deinde quantus apud inferos eorum ſit numerus: & ex vtroque hoc facile colligetis, nullam in orbe creaturam dari poſſe, quæ cum hiſce tum infœlicitate, tum calamitate comparari queat.

II. Num viuentium preces damnatis proſint. Omnis prioris quæſtionis controuerſiã ac difficultas in eo ſita eſt, num ſ. viuorum preces Eccleſiæque ſuffragia damnatis prodeſſe, eorumque tormenta ſubleuare queant. Partem aſſirmantem confirmare videntur veterum Anachoretarum res geſtæ, ac Ioannes Damaſcenus In illis namque legitur Macharius Eremita mortui caluariam per viam reperiſſe, & interrogaſſe, quiſnam olim fuiſſet, ipſaque miraculoſe reſpondiſſe, ſe eſſe Sacerdotis cuiuſdam idolorum, qui modo apud inferos damnatus eſſet, caluariam, addidiſſeque, preces ſanctiſſimi illius viri aliorumq; aliquod leuamen animæ ſuæ lenimenq; tormentorum ſolitas afferre.

Damaſcenus porro ſcriptis prodidit, Gregorium Magnum quodam tempore pro Traiani Imperat. Romanorum anima, quæ apud inferos propter idolorum cultum, & exercitam in Chriſtianos ſæuitiam, aliaque ſcelera honeſtis & caſtis auribus grauia, cruciabatur, oraſſe, vocemque cœlitus audiſſe: *Vocem tuam audiui, & veniam Traiano do.* Atque eam opinionem, totius Orientis & Occidentis teſtimonio comprobatam aſſerit, quaſi nullus de ea dubitandi locus relictus ſit. Porro è duabus hiſce hiſtoriis, niſi veriori opinione refelleretur, efficeretur, orationes & vota viuentium aliquam damnatis vtilitatem afferre, ſuppliciaque eorum poſſe imminuere. *In Sermon.*

Verum, his nequidquam obſtantibus inuiolabiliter Eccleſia credit, Sacra Scriptura certiſſime aſſerit, omneſque Patres vnanimi conſenſu docent, preces noſtras & ſuffragia nullam iis vtilitatem aut ſolamen afferre. Teſtabitur hoc, cæterorum loco, magnus ille Areopagi iudex, Eccleſiæque doctor celeberrimus Dionyſius: *Summus*, inquit, *Sacerdos pro immundis non orat, quia in hoc auerteretur à diuino ordine.* Item poſtea: *Non orat peccatoribus remiſſionem, quia non audiretur pro illis.* *Dionyſ. cœl. hier. c. 7.*

Poſt hunc toties hoc inculcauit ſanctiſſimus Auguſtinus, nempe omnibus hinc ſine fide, quæ per caritatem operatur, accedentibus adhæc ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis, decedentibus ſuffragia & preces ne vel minimum prodeſſe. Atqui tales eſſe conſtat eos qui apud inferos commorantur.

tur, atque qui ſine charitate, ſine bonis operibus, meritis, pœnitentia mortui ſunt. Dicendum eſt igitur, & quidem certiſſime, quidquid patimur vel agimus, noſtraque vota, ſuffragia, ſacrificiaque nihil illis omnino profutura. Et quoniam doctor ille toties docuit, Martyri injuriam facere eum, qui pro Martyre Deo ſupplicat, cum ille de ſalute jam certiſſimus ſit, & orationes in vanum fundantur: ita ipſe viciſſim aſſero, damnato injuriam fieri, eiuſque ſupplicia adaugeri ab eo qui precibus ad Deum fuſis pœnam eius geſtis imminuere, cum in æternum ſine vlla veniæ ſpe condemnatus ſit, ipſaſq; interceſſiones in vanum cedere.

Nam Pſalmiſta aperte profitetur, non eſſe in hominis poteſtate, precibus damnatos redimere, aut eorum debita diſſoluere, & a maiori ad minus argumentans, hanc quæſtionem proponit, *frater non redimit, redimet homo?*

Pſal. 48.

Id eſt, Ipſe IESVS CHRISTVS, qui noſter ſecũdum humanam naturam frater eſt, damnati vnius pœnas ſine ſuæ violatione iuſtitiæ imminuere aut relaxare non poſſet, qui igitur homo nuda ſuffragiorum ſuorum vi innixus hoc præſumat, aut ſperet, ſtultum eſt igitur & arrogans, hoc velle præſumere aut tentare..

Impiorum damnatio æterna eſt.

Addam adhæc & quidem vere, licet Sanctorum Angelorumque chori, ipſa quin etiam glorioſiſſima Dei mater Maria, genibus in terra proſtratis, lachrymanteſque pro vnico damnato Deo ſupplicarent, omnes ne minimum exauditum iri. Decreta enim a ſummo Numine pronuntiatum irreuocabile & certiſſimum eſt. Cur enim putetis, inter cætera Dei attributa, quæ Theologi illi tribuunt, immutabilitatem eius principem locum obtinere? an vt hinc manifeſtum fieret, naturam eius nunquam mutari poſſe, vt quidem ait David? *Ipſi peribunt, tu autem permanes, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu idem ipſe es, & anni tui non deficient*: fieri quidem poſſet, ſed crediderim potius vt iuſtitiæ eius immutabilitas, ſententiæque latæ firmitas hinc colligeretur, ideo ipſe per aliquem Prophetarum ait: *Ego enim Dominus & non mutor*; at homines varij ſunt & inconſtantes, & facile ab vno in aliud commutantur, quos reprehendit Eccleſiaſticus, dicens: *Stultus ſicut Luna mutatur*; at Deus, qui ipſamet ſapientia eſt, idem ſemper permanet, tam in verbis & actionibus, quam in eſſentia. Adeo vt quam ſemel in impios & dæmonas ſententiam tulit, nullo vmquam tempore reuocari, nec precibus pœnæ relaxari queant.

Pſal. 100.

Malachi 3.

Eccl. 7.

Confirmat hoc ſanctiſſimus Abbas Bernardus: *Erit*, inquit, *tunc non miſericordiæ tempus, ſed iudicij, nec vlla omnino credenda eſt erga impios futura illic miſeratio, vbi nec vlla ſperanda eſt correctio* Item Cyprianus, tanti olim in Africa nominis, quanti hic in Gallia, *In inferno nullum eſt ſolatium, nulla conſolatio, nulla diminutio pœnarum* Atque iterum Bernardus: *In carne cruciabuntur per ignem, in ſpiritu per conſcientiæ vermem, ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis, ſine ſpe veniæ & miſericordiæ* nullus igitur illic veniæ locus. Imo ipſe Auguſtinus libenter profeſſus eſt, ſi ſciret patrem certo eſſe damnatum, non magis pro eo quam pro diabolo rogaturum: *Sæpe enim*, inquit, *orationem pro damnatis in decretis prohibitā legi*. Sciebat igitur, preces pro damnatis effuſas, & incaſſum eſſe, eoſque, labyrintho quodam concluſos teneri, è quo liberari neququaam queant..

Serm. 8. ſuper Pſalm. Qui habitat.

Lib. ad Demetrianum. & Serm de aſcenſione Chriſti.

Lib Med. c. 5

Refert Plutarchus, Athenienſes, quoties liberos in Cretam mitterent, in qua à minotauro dilaniarentur, in labyrintho naues nigris velis antennis & ſupparis adornare ſolitos: deſignare nimirum volebant, nunquam eos in patriam viuos redituros: ita dico illos qui ex hoc mũdo in alterum ſuccedunt, quo infernalem labyrinthum ingrediantur, animarum ſuarum cymbas nigris cõueſtire poſſe, vt deſignent nunquam ſeſe ad vitam redituros; vnde Iob: *Antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.*

Plut in vita Theſe.

Iob. 10.

Adeo vt penitus inutile & vanum ſit pro damnatis Deo ſupplicare, noſtraque vota ac preces nullum iis emolumentum afferant.. Et vt ſimul reſpondeam ijs quæ in contrarium

 rium

Digitized by Google

rium allata ſunt, dico ſolatium, quod caluaria, illa, quæ S. Machario reſpondiſſe legitur, damnatis ex fidelium precibus euenire dicebat, non tam ex pœnarum imminutione ſolitum oriri, quam quod ſe inuicem ſancto viro orante, conſpicerent, atque ex mutuo illo conſpectu inane illis gaudium naſcebatur, quale Sacra Scriptura dæmones habere teſtatur, quando homines in peccatum præcipitant, & eo modo quo Angeli dolent & affliguntur, quando peccatores in peccatis perſeuerant, quamuis nec illi gaudium, nec hi cruciatum ſentiant, aut vtrumque illis aliquo modo augeatur, aut minuatur.

Traiani hiſtoria quomodo intelligi debeat.

Quod vero ad Traiani hiſtoriam ſpectat, quamuis de eadem multi dubitent, probabiliter tamen aſſeri poteſt, vere eum ad vitam Sancti Gregorij precibus reſuſcitatum eſſe, rediuiuumque per pœnitentiam veniam delictorum, ac proinde exemptionem à ſuppliciis impetraſſe, àdeo vt veriſimile videatur, nondum eum penitus condemnatum fuiſſe, aut ad inferos detruſum, ſententia ſ. condemnationis eius, præuiſis nimirum ſanctiſſimi viri precibus, nondum executioni mandata: *non enim erat finaliter in inferno deputatus*, vt noſtræ Rubricæ loquuntur. Atque hinc manifeſtum eſt, vota, preces, ſuffragia; aut aliquod aliud ſanctum exercitium, ijs qui ſemel ad inferos condemnati ſunt, nequaquam poſſe conducere.

Duo damnatorum genera.

Fuerunt tamen aliqui, qui neſcio qua leuitate vel audacia, temporis ſ. & perſonarum diſtinctione habita, docere præſumpſerunt, poſt vniuerſalis quidem iudicii diem, neminem omnino damnatorum, viuorum ſuffragiis iuuari poſſe, ſed ante, & quamdiu vitæ huius curriculum permanet. Deinde, quoniam non eadem omnium, at varia peccata ſunt, atque inter peccatores reperiuntur, qui peſſimi fuere, & grauiſſima peccata commiſere, quales ſunt ij qui ſine vlla fide, Sacramentis, ſine vlla religione hinc diſceſſerunt, docuerunt igitur his, quoniam de Eccleſia non fuere, nec quoad numerum, nec quoad meritum, preces fidelium prorſus inutiles eſſe: aliis porro, qui non in ſummo gradu improbi, ſed de fidelium numero fuere, fidem profeſſi ſunt, Sacramenta ſuſcepere, atque aliqua bona opera fecere, eaſdem aliquo modo prodeſſe. Sed quoniam videbant, pœnas inferni, quæ quamuis intenſione & grauitate non eſſent infinitæ, erant tamen extenſione & duratione, ſuffragiorum multiplicatione & augmento, tandem aliquando penitus deſeri poſſe, quomodo ſenſit Origenes; vt hæc, inquam, incommoda ſubterfugerent, in grauiſſimos errores inciderunt, vtque hanc in abſurditatem non impingerent, varia diuerticula excogitarunt.

Crediderũt aliqui pœnas infernales ſuffragiis Chriſtianorum penitus auferri poſſe.

Dixerunt enim alii, longiſſime à veritate aberrantes, ſuffragiorum multiplicationem, damnatos ab omni prorſus pœna eximere & liberare poſſe, non quidem ſemper & abſolute, vt voluit Origenes, ſed ad tempus, ad vſq; vltimum videlicet judicij diem: poſt quem eorum animæ corporibus ſuis iterum vnitæ, ad æterna ſupplicia, numquam amplius liberandæ, detruderentur. Sed intolerabilis eſt hæc opinio, neque enim veriſimile videatur, vt manente culpa non maneat ſupplicium; & quoniam illa in æternum, teſte Scriptura, manet, *ſuperbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*: ſupplicium quoque ſempiternum, & numquam finietur.

Alii vero tradiderunt pœnas in inferno poſſe diminui.

Alij vero quid nouum commenti ſunt, dixerunt enim ſe pœnas quoad diminutionem, vt lineas, habere: nam quamuis lineæ in ſe finitæ & limitatæ eſſe videantur, in plures tamen infinitas extremitates diuidi poſſunt; quotcumq; enim modis diuidantur, nunquã tamen haberi finis earum poteſt, modo ſubtractio in partes proportione quidem, non autem quantitate æquales, fiat. Nam, teſtib. Philoſophis, linea eſt diuiſibilis in infinitum, neque enim aliquod continuum in tot ſubdiuidi partes poteſt, quin ſemper in plures diuidi queat. Ita quoque in diminutione pœnarum fieri putabant, quamuis enim oratio vnius vnam tormentorum partem, & alterius aliam, & ſic de cæteris in infinitum aſcendendo, auferat, tamen ad ſummum licet multiplicatæ illæ preces perueniant,

nunquam

nunquam oceanum illum profundiſſimum exſiccare, aut pœnas ita diſſoluere poterunt, quin ſemper infinitæ ſoluendæ reſtent.

Ceterum omnia hæc falſiſſima ſunt, tantumque à veritate, quantum cœlum à terra, diſtantia; neque enim pœna diminui poteſt, quin ſimul & culpa, ſaltem aliquo modo, minuatur: quemadmodum & ablata penitus pœna, aufertur & culpa. Atqui peccato apud inferos ſemper eodem in ſtatu permanente, non videtur ſimile vero pœnam immutari. Deinde iniquum videtur, ſecundo ſuffragio minus imminui aut auferri de tormentis quã primo, ſi vnius vtrumque valoris, eiuſdemque ſit efficaciæ. Adhæc vt hanc cum lineis Philoſophicis ſimilitudinem refellamus; quemadmodum in linearum diuiſione ſæpius ſubdiuidendo ad minutiſſimas tandem particulas peruenitur, quæ diuidi nequeant, & atomæ videantur: ita quoque poſt varia tandem ſuffragia preceſque, pœna quæ apud inferos ſuſtinetur, ſenſim ita exigua & minuta redderetur, vt vix ſenſibus percipeteretur, ac proinde non amplius pœna dicenda foret.

Caſſiodori ſententia.

Caſſiodorus eques & Senator Romanus, qui Theodorico Regi Gothorum à ſecretis conſiliis fuit ac tandem Abbas Rauennas, magnæ eruditionis & ſanctitatis, cuiuſque hiſtoriam Eccleſiaſticam, quam Tripartitam vocant, magni ſemper fecit antiquitas, nouam etiam ſibi hac ſuper re ſententiam commentus eſt: ſenſit enim, vere damnatis ſuffragia viuentium prodeſſe, non quidem ad ſuppliciorũ tormentorumque diminutionem aut interruptionem, ſed tantum ad aliquod ſolamen, confortationemque & animi noui ſuggeſtionem: Nam quemadmodum inquit, illi qui aliqua ſarcina grauatus eſt, ſi faciem frigida lauet, licet onus non minuatur, vires reſtaurentur & nouum robur additur, quo minorem inferendo moleſtiam ſentiat: ita quamuis infœlices illi Siſyphi, qui graue illud tormentum humeris ſaxum & petram ſuſtinent, nullam reipſa diminutionem pœnarum per ſuffragia viuentium ſentiant, quaſi pœna ita toleratu facilior fiat, aliquod tamen lenimen recreationemque percipiunt, maioreſque animos in ęquanimiter tormentis tolerãdis acquirunt. Hæc quidem Caſſiodori ſententia, & ſimul diuerticula varia & anfractus præclarę huiuſce ſententiæ.

Sed male quoque eadem, vt cæteræ, fundata eſt nimiſque videtur audax, omniumque Patrum opinioni penitus contraria: tum quod omnes damnati extra vincula charitatis, per quam viuentium opera pia & meritoria mortuis communicantur, conſtituti ſunt, tum vero quod ad vitæ terminum & vltimum naturæ finem peruenere, vt iuxta merita vltimam mercedem accipiant: tam enim reprobi in ſuo centro, quam electi in ſua ſunt patria: nam quidquid vel ad gloriam corporum beatorum, vel ad tormentum reproborum, judicium vltimum exſpectando deeſt, radicaliter & eſſentialiter in anima conſiſtit: adeo vt quemadmodum priorum gloria, quantum ad præmium eſſentiale, creſcere non poteſt vel augeri; ita quoque poſteriorum ſupplicia, tormentaq; imminui non poſſint.

Angelicus Doctor Thomas manibus pedibuſque in hanc ſententiam concedit, & quamuis ſciat non multum referre ſi ſuffragia viuorum damnatis prodeſſe dicantur, necne, nõ quidem quoad diminutionem aut interruptionem pœnarum vel aliquod in iiſdem ſolamen, ſed quoad ablationem doloris, quam ex aliorum precibus ſentirent: cum alioquin non paruus illis eſſet cruciatus, ſi ab omnibus ſe deſertos viderent; qui dolor aufertur, dum vident viuentes de ſe ſollicitos eſſe preceſque effundere. Concludit tamen, ſatius eſſe credere, vota, preceſque & ſuffragia ne minimum damnatis prodeſſe: atque hoc potiſſimum argumento innititur, quod nihil eorum quæ hic geruntur ſciant; quod & Auguſtini teſtimonio confirmat, *Ibi ſunt*, inquit, *ſpiritus defunctorum*, damnatos intelligit, *vbi non vident quæcumque aguntur, pro mortuis aut eueniunt iniuſta: ita ab hominibus*. Quomodo igitur è re quam penitus ignorant, ſolamen aut lenimen trahant? ecce & alia ratio.

3 p. q 17. a 5.

Damnatis nulla ſuffragia proſunt.

Lib. de cura pro mortuis agenda.

Abſur-

Damnati nihil norunt eorum quæ in hoc mundo cõtingunt.

Abſurdum profectò foret, damnatos beatis ipſis beatiores ſtatuere, illorum ſortem horum ſorti anteferre, atqui conſtat ſanctos nihil penitus noſſe eorum, quæ hic in terris geruntur, niſi ex diuinæ eſſentiæ conſpectu (ipſa enim inſtar lucidiſſimi ſpeculi eſt, in qua omnia, quæ ſcire deſiderant, conſpiciunt) vel ex ſingulari Angelorum reuelatione: At in inferno neutrum horum habetur: ignorant igitur quidquid in hoc mundo geritur, ac proinde & preces, quæ pro iiſdem funduntur: quas quandoquidem ignorant, nullum ex iis ſolatium aut gaudium haurire queunt. Cœptam igitur quæſtionem & materiam hoc vno epiphonemate cõcludamus, omnia quæ in damnatorum gratiam fiunt, quidquid ad eorum ſolatium mortales vouent, precantur, aut agunt, quidquid etiam coniunctis votis orat Eccleſia, nullum iis emolumentum afferre poſſe.

Damnatorum miſeriæ exaggerantur.

O igitur infœlix ac miſera damnatorum conditio! O vere miſeros & deplorandos! An non enim vobis intolerabile videatur Auditores, ac graue, omni penitus ſolatio, auxilio, ſpe, imo & ſuffragiorum ope fruſtratum eſſe? an non crudele eſt, ſemper iratum habere Deum, Angelos exacerbatos, ſanctos irritatos, homines indignantes, dæmones aduerſantes, totum denique terrarum orbem infenſum? ſcriptum namque eſt, *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* Quis, obſecro, hic in patiendo æquanimus ſit? vbi nullum affulget ſolatium, ſed perpetuus dolor ſine indulgentia! O furor! ô deſperatio! ô crudelitas inaudita! *Sap. 5.*

Pius ille Rex Dauid, qui Domini ſemper timorem ob oculos habebat, toto corpore tremebat, cum has ærumnas & calamitates animo volueret: ait enim, *renuit conſolari anima mea*, & rationem adiungit, *Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus ſum & non ſum locutus, cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui*, quibus impii apud inferos excruciantur, atque ita interdum ſecum noctu meditabatur, ſpiritumque ſuum, vt de ſe ait, poſcebat, *Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponit, vt complacitior ſit adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à generatione in generationem? aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira miſericordias ſuas?* *Pſal. 76.* *Ibid.* Noli dubitare Princeps religioſiſſime, eſt enim certiſſimum, imo & fidei noſtræ articulus, nullum damnatis veniæ aut indulgentiæ locum ſupereſſe, miſericordiæ illis ianuam eſſe occluſam, iuſtitiam ſolam vires & cornua exercere, nulliſque eam votis aut ſacrificiis flecti aut moueri poſſe.

O factum vere nouum & inauditum! O triſtem & calamitoſum nuntium! Ionathas ecce vnicus regni Iſraelitici hæres, à patre ad mortem depoſcebatur, & vniuerſa populi multitudo pro eiuſdem ſalute Sauli ſupplicat; qui precibus victus vitam illi condonauit. Mulier illa Thecuitis, Abſalomo reſtitutionem exiliiq́ue ſolutionem, quo aula & domo paterna excluſus erat, poſtulans, eandem etiam impetrauit. Eſther regina pro totius Iudaici populi, qui ad necem iam publico regis decreto depoſcebatur, ſalute Aſſuero Regi ſupplex facta, decreti irritationem & abolitionem obtinuit, vitamq́ue iiſdem conſeruauit. At quamuis hic cœlum & terra, homines ſimul & Angeli, coram regum Rege in genua proſtrati, pro vnius damnatæ animæ ſalute, deprecarentur, nulla ratione exaudirentur, & in caſſum eorum preces cederent, hic enim obſurdeſcit, nam decreti illius ſententia immutabilis & irreuocabilis eſt. Ita nempe de ſe apud Prophetam teſtatur: *Vt ſciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum* id eſt, ſententiam, *de vagina ſua irreuocabilem.* O ſortem vere deplorandam! *1. Reg. 14.* *2. Reg. 14.* *Eſth. 7.*

Hæc dum ſecum attentius meditaretur Bernardus, exclamat, quaſi deſperans & patientia excidens, *O dies deteſtanda, ô dies abominanda, ô dies penitus non nominanda quæ me in hoc ſæculum protulit, quæ mihi clauſtra ventris aperuit, melius mihi fuiſſet non eſſe in hoc ſæculo natum, quam in inferno perpetuo cruciari: melius mihi fuerat non eſſe genitum, quam pati æternas pœnas gehennæ: ſatius mihi fuerat nõ eſſe in hoc mundo procreatum, quam pati æterna mala: flete ſuper me cœlum & terra plorate me omnes creaturæ.* O verba horrenda, horrore ac terrore pleniſſima!

Vale-

Valeant igitur, ô miſeri, preces & ſuffragia ex animi ardore effuſa: valeant ieiunia, valeant eleemoſynæ, valeant incruenta & propitiatoria Miſſæ ſacrificia, valeant vota & ſupplicationes, nihil quippe ſupereſt, cuius participes effici poſſitis; omnia hæc incaſſum erunt. Reſpexiſſe huc viſus eſt Chriſtus, cum in Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutione hæc verba vſurpauit, *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* vbi notate verbum *multis*, quo docere voluit, ſanguinem eius nunquam in ara crucis pro damnatis effundendum, aut pro iiſdem in ſancto Miſſæ ſacrificio offerendum, quorum nec peccata eodem remitti, nec pœnæ imminui poſſunt.

Matt.15.

Oſtenditur ratione, nō debere viuos pro damnatis exorare.

Nolite igitur amplius, ô mortales, qui vitæ huius munere adhuc fruimini, & in hoc mundo verſamini, pro ſceleratis illis & perditis Deum precibus fatigare, aut pro ijſdem ſacrificia Miſſarum offerre. In vanum enim cedunt omnia, quæritis piſces in aere, & in mari aquilas, mortuis & ſurdis verba facitis, & Æthiopem lauatis: nolite, inquam, cogitare, precibus vos illis poſſe ſuccurrere, nolite pro eiſdem intercedere, nam ſi preces & vota hic prodeſſent, & pro iis orandum eſſet, ipſi proculdubio Sancti, quorum charitas maior eſt & ardentior, id facerent: at tantum abeſt, vt pro ſceleratis illis ac miſeris ſupplicent, vt eos deteſtentur & exoſos habeant, inque eorum ruinis lætentur. Ita ſcilicet ſcriptum legimus, *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*, item, *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus.* Si in eorum interitu rideant, & patientibus exprobrando inſultent; quomodo eis condoleant & compatiantur, ſi gladios ad vindictam de eis ſumendam manibus geſtent, quomodo preces ore effundant, quibus eoſdem iuuent?

Pſal.57.

Pſal.149.

Quid? videaturne æquum, Angelos & Sanctos iis indignari, & homines illorum patrocinium ſuſcipere? Inutile igitur eſt ac vanum pro huiuſmodi animabus Deum obſecrare, quod pluribus æquo verbis aſtruere ſum conatus, alia iam materia auſpicanda, damnatorumque numerus ſubducendus, vt initio promiſeramus. Incipiamus igitur.

III.

Numerus damnatorum ingens eſt.

Damnatorum numerus & multitudo ingens & copioſa, &, vt Sapiens ait, infinita, *Stultorum infinitus eſt numerus*, id eſt, damnatorum. Multo id euidentius ex verbis Euangelij, quamuis tropologice & figurate prolatis, adſtrui & confirmari poteſt, *Lata eſt porta & ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem & multi intrant per eam*, quorum hic ſenſus eſt, Infernus palatium tenebroſum eſt & receptaculum confuſionis, cuius aditus & ianuæ late patentes ſunt, & viæ quæ ad ipſum ducũt, lætiſſimæ & tutiſſimæ, per quas noctes atque dies & nullo non tempore plurimi properant.

Eccl.1.

Matt.7.

Duabus idipſum parabolis innuere voluit Redemptor Chriſtus: prima eſt de homine Rege faciente nuptias filio ſuo, ad quas quidem plurimos inuitauit, ſed nullus inuitatorum voluit adeſſe, hic dixit ſe villam emiſſe, eamque probare velle; qui Ambitioſos denotat, ille ſe aliquot boum iuga comparaſſe, quos probare oporteat, ſunt hi Auari & pecuniæ ſerui, alius excuſabat ſe quod vxorem duxiſſet, nec rem ſe familiarem periculo expoſitam velle, qui typus ſunt Luxurioſorum.

Luc.14.

Ita igitur rex, talemque ignominiam haud æquo animo ſuſtinens, omnes quos in compitis & triuiis reperire erat, cæcos, claudos, & debiles intrare compulit, ſancte iurans, neminem eorum, qui ad nuptias vocati erant, cœnam guſtaturum. Parabolæ autem concluſio hæc eſt, *Multi*, id eſt, *omnes ſunt vocati, pauci vero electi.* Quid vmbra hæc rei denotat? ecquod ſub hiſce inuolucris myſterium latitat? Rex hic Deus pater eſt, Filius, Chriſtus, nuptiæ ipſa beatitudo; inuitati, ſunt homines, qui rebus huius ſæculi animum affigentes, rerum cœleſtium negligentes ſunt, & propter nullius precij lucellum, bonum infinitum amittunt. Deindehinc oſtenditur, numerum ad æternam beatitudinem vocatorum infinitum eſſe, ſed quam pauciſſimos ad eandem pertingere. *Multi* ſcilicet, *ſunt vocati, pauci vero electi.*

Matt.22.

Luc.8.

Altera eſt de ſemine; Pater namque familias poſtquam vomere terram proſcidiſſet, & ſemen ei commiſiſſet, quarta duntaxat illius pars in terram bonam cecidit, & exortum fructum centeſimum protulit, aliud vero ſecus viam, aliud in loca confragoſa & petroſa, & aliud inter ſpineta ac dumos cecidit. Quis eſt, veſtro quidem iudicio, Auditores, magnus ille paterfamilias, niſi Chriſtus Ieſus, ſemen illud, niſi Euangelium, fides, charitas, operaque bona & meritoria? petræ, viæ & dumeta an non peccatores denotant, & bona illa terra, iuſtos? qui cum quartam hominum partem nō conſtituant, ſoli ſalutis fructum proferunt, ſemenque concreditum & talenta Euangelica commiſſa producentes, ſoli ad beatitudinem æternam, cęteris hominum ad inferna ruentibus, perueniunt.

Zach.13. Aliud etiam innuit Propheta Zacharias dicens: *Erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ, diſpergentur & deficient, & tertia pars relinquetur in ea*: quo in loco de electis locutus eſt: quod & ipſemet Dominus ſacroſancto ore ſuo deinde confirmauit dicens, *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam*: innuens, prædeſtinatos paucos admodum numero eſſe, ſed reprobos, infinitos. Matt.7.

Sanctus ille ſenex Simeon, cum redemptorem Chriſtum, orbis pretium, vlnis, medius inter gaudium & metum conſtitutus, ſtringeret, aliquid etiam innuit, dum ait: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam multorum in Iſrael*. Quaſi diceret: Videte hic exoptatum Meſſiam, deſideratum hominum redemptorem, qui, vt nos ſeruet, in cruce mori, ſanguinem effundere, vitam prodigere, omniaque noſtra debita debet diſſoluere. Ecce eum, cuius mors & paſſio toti omnino mundo proderit, ac totius orbis delictis ſatisfaciet: & tamen pauciſſimi eius ſibi meritum applicabunt, plurimi eandem contemnent, multis in ruinam & offendiculum, paucis in ſalutem erit. Breuiter deniq; ait, numerum electorum exiguum, damnatorum vero infinitum futurum. Luc.2.

Ex tot hominum millibus qui tempore Noe in orbe viuebant, octo tantum per arcam; cæteris vnda ſubmerſis, ſeruati ſunt. Nunquid hic docemur, ſecundo diluuio quod per Prophetam prænunciatum eſt: Figura. *Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*, per orbem ſæuiente Gen.7. nō quidem diluuio fluctuum aut vndarum; ſed flammarum & ignis, eorum qui per ſacram illam humanitatis Ieſu Chriſti qui verus Noe eſt, arcam ſaluabuntur, numerum admodum exiguum fore, & cæteros omnes ſub æternæ damnationis vndis ſepeliendos? Ecce & aliam. Pſal.31.

Ex incendio Sodomitico, de tot ciuibus, quibus quinque illæ ciuitates ſcatebāt, quatuor tantum, teſte Scriptura, Loth nimirum cum vxore & filiabus, exempti fuere, igne cæteros conſumente & in cineres redigente. O hiſtoriam tragicam ac lugubrem! quid autem deſignat aliud, quam generalis illius incendij tempore pauciſſimos à diuini furoris rabie & impetu liberandos, plurimos & infinitos à iuſtitiæ flammis inuoluendos & depaſcendos. Tertiam addo. Gen.19.

Cum Iericho vrbs fortiſſima, in limite regni Chanaan conſtituta, quæque Iſraelitas ſæpius auſa eſt laceſſere, ferro & flamma deleretur, nulla domorum præter Raab meretricis incolumis ſeruata eſt; nam quidquid in eadem turrium, domorum, palatiorum reliquum fuit, hoſtilem gladium & furorem ſenſit. Triſte profecto exemplum, ſed myſteriis tamen ſcatens, & ſignificans, in generali totius orbis excidio, in quo lapis ſuper lapidem non relinquetur, ex tot hominum in hoc mundo viuentium millibus, pauciſſimos ſalutis æternæ conſortes fore: infinitos vero peccatores mactandos, opprimendos, expilandos, æternæque damnationi futuros obnoxios. Poſtremam hanc ſtatuo. Ioſ.6.

Incredibile profecto foret, niſi ſacra Scriptura fidem faceret ex ſexcentis Iſraelitarum millibus, Ægypto egreſſis, & ad terram promiſſionis anhelantibus, duos tantum, Caleb & Ioſue eandem intraſſe, cæteris in vaſta Sinai ſolitudine, antequam eodem peruenerint, extinctis. At multo terribilius eſt audire & credere, ex vniuerſa Eccleſia militan-

Digitized by Google

tante (quæ inſtar aciei, fidelium eſt, de qua dictum eſt: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, & quæ tot militum centurias legioneſque ſub ſe habet, vt eas Iob numerari poſſe diffidat) in mundi huius, qui vere Ægyptus eſt, exitu, paucos admodum æternam beatitudinem, quæ vere promiſſionis terra eſt, ingreſſuros; cæteros omnes in deſerto Plutonio ſemper viuentes morituros. Verum igitur eſt, quod in Euangelio legitur: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Cant. 6. Matt. 22.

Quid vobis videtur Chriſtiani? Quid ad triſtia hæc nuntia dicitis: an non percellimini, cum tam infinitũ damnatorum fore numerum auditis, & viam, quæ ad perditionem ducit, eſſe largiſſimam, & quæ ad vitam, maxime anguſtam? an non vobis cuique veſtræ metuitis? Et ſane Seruator hominum Chriſtus perfidi Iudæ perditionem perfidiamque cum detegeret, diceretque: *Vnus veſtrum me traditurus eſt*; cæteri Apoſtoli expalleſcere, timere, & contriſtari ad tantam impietatem cœpere, quamuis vnus tantum coniurationis initæ reus eſſet, ac proinde pœnam commeritus. Vos vero quomodo non contremiſcitis; cum tam ingentem damnatorum multitudinem vobis proponitis? Sed dicendum eſt, aut vos carere iudicio, aut hoc loco ipſum adhibendum eſſe. Matt. 26.

Simile.

Si Rex aliquis potentiſſimus, ſummæque apud ſubditos auctoritatis per aliquam regni vrbem pertranſeundo, alicui e ſeditioſis & contumacibus mortem diriſſimam imminere denuntiaret, vt nimirum viuus excoriaretur, grauiter torqueretur, aut lento igne exureretur: quo in angore ciuitas hæc foret, quomodo ſibi ſinguli coniurationis & ſeditionis conſcij metuerent, veriti ne hæc in caput ſuum faba cuderetur? Verum enim vero regum Rex CHRISTVS toties licet, per magna huius orbis, mundi nimirum, vias tranſeundo, cum in carne apud nos ageret, denuntiarit, plurimos ex eius ciuibus, propter rebellionem & contumaciam, morti adiudicandos, torquendos, æterniſque ignibus exurendos; nemo tamen ſibi metuit, nemo perhorreſcit. Ob trium aut quatuor horarum tormentum, quod vnicus ſuſtinere debet, omnes ſibi metuent: & propter tot damnatorum millia, & quidem ad pœnas atrociſſimas & æternas nemo vel vultum contrahet aut mutabit. ô furor! ô veſania! ô hominum dementia!

Si Aſtrologus aliquis toti exercitui prædiceret, poſt quinque aut ſex horas, fulmen cœlo deciſurum, & vnum ex vniuerſo numero certiſſime eodem enecandum, quomodo ſibi ſinguli metuerent, quomodo ſibi hic miles timeret, quomodo expalleſceret hic centurio, quomodo tremeret hic chiliarchus, ne fortaſſe igneo hoc telo feriretur. Ita quoque CHRISTVS IESVS, qui omnium futurorum præſcius eſt, & quem nihil latet, in medio olim Eccleſiæ, velut in quadam acie, verſatus; certiſſime futurum prædixit, iuſtitiæ ſuæ vt fulmen in plurimos hominum decideret, atque infiniti eodem exſtinguerentur, nemo tamen metuit aut apprehendit; ô ſupinam ſecuritatem! ô negligentiam nimis ah ſecuram! ô animos nimium ſibi confiſos, vitæque liberioris! Simile aliud.

At vos non ita, Chriſtiani, nolite tam altum vitiis indormiſcere, nolite mundo adeo adhæreſcere, cœlum ſpectate, infernum fugite, ſupplicia hæc perhorreſcite, infelicem & miſerum damnatorum ſtatum præ oculis habetote, ac vobiſcum diſpicite, num quis in mundo haberi infelicior poteſt: nouiſſima veſtra, & præſertim infernum, locum illum teterrimum & maxime horrendum, damnatorum, inquam, carcerem, ſemper animo voluite, atque ita fiet; vt vitam cum virtute inſtituturi ſitis. Vnde Bernardus: *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis: mortis horrorem, iudicij tremendum diſcrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris.* Et Sapiens: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Concluſio. In florib. Eccleſ. 7.

Paratum cor noſtrum Domine, paratum hæc ſemper animo voluere, tamque lugubri cogitatione mentem paſcere, vt in nullas alias cognitiones diſtrahatur: & ſane quamdiu ſpiritus hos reget artus, ratio vigebit, & in-

Digitized by Google

& iudicium nobis conſtabit, aliud nihil præ oculis habebimus, quam abyſſum illam infelicem, horrendum illud antrum, labyrinthum illum inextricabilem, varias ſuper eodem conſiderationes meditationeſque procedentes: quomodo ſcilicet mundi centrum ſit, locus infimus ac viliſſimus, omniumque locorum infeliciſſimus; omnium ſordium, immunditiarum, fœtoris, & virulentiæ receptaculum, omnium ſceleratorum, homicidarum, prædonum, ſacrilegorum, lenonum, carnalium, parricidarumque, qui iam inde à mundi exordio vixere, ex quo homines eſſe cœperunt, colluuies. Atque vbi loci horrorem perſpeximus Domine, abyſſi dominator, oculos tandem in infelicem damnatorum ſortem, & lugubrem captiuorum illic conditionem coniiciemus, quomodo ſcilicet nunquam illinc egreſſuri ſint, vt viuant ſine vita, & abſque vlla liberationis ſpe ibidem torqueantur: vt dæmones eoſdem mille tormentis excrucient, flammæ nocte dieque adurant, ipſa quoque conſcientia aculeos acerrimos infigat. Illa ſcilicet erat Philoſophia & Theologia noſtra, omne deniq; ſtudium noſtrum, vt malis his & calamitatibus præ oculis habitis, ac diſcriminibus conſideratis, de infelici damnatorum numero non ſimus, ſed viam latam, qua ad perditionem itur, declinantes ſemitam quæ ad æternam beatitudinem ducit, ingrediamur, ad quam nos deducant Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

DE GLORIA COELESTI.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

DE MEMORIA GLORIÆ COElestis.

Partitio.

1. *Quod admiranda ſit cœleſtis gloria.*
2. *De eiuſdem valore ac quantitate.*
3. *Adumbratio quædam gloriæ cœleſtis.*
4. *De Vtilitate ex gloriæ illius conſideratione.*

Memorare nouiſſima tua, *ac præſertim gloriam cœleſtem*, & in æternum non peccabis. *Eccleſ.* 7.

FIGVRA.

EXploratores, qui in terram promiſſionis profecti erant, reuerſi cum eſſent, terræque fertilitatis ſpecimen attuliſſent, populum qui in deſerto tentoria explicauerat, ita recrearunt confirmaruntq;, vt relicta quam habebat in Ægyptum reuertendi, & ad ollas carneas ſedendi voluntate, cultuque idolorum ex caſtris profligato, vel in ipſo loco mori, vel tam fertilem feracemq; terram gladio & viribus parare propoſuerit. *Num.* 13. Figuræ huius veſtigiis inſiſtens, ipſe mihi perſuadeo, eſſe me hodie velut exploratorẽ ad vos deſtinatum; quo Paradiſi gloriæq; cœleſtis, quæ vere Terra promiſſionis eſt, ſpecimen, vobis demonſtrem, eiuſque fertilitatem, abundantiamque ob oculos ponam: ſimulque credo, ad eorum vos adſpectum ita animandos permouendosque, vt omni prauo erga Ægyptum, hunc mundum intelligo, affectu depoſito, cultuique idolorum, id eſt, peccatorum, valedicentes, ad ferendum, fortiter agendum, imo ſi neceſſe foret, moriendum vos ipſos diſpoſituri ſitis, quo tam felices regni incolæ effici valeatis. ô felix nuntium! non iam de horrenda morte, de terribili iudicio,

Digitized by Google

dicio, aut de intolerabilibus tartari ſuppliciis, ſed de loco voluptatis, omniumq; deliciarũ fonte. O igitur locum regium! ô terram vere deſiderabilem! ô exoptandum & vere gratiſſimum clima! Eius vobis hodierna die guſtũ ac deſiderium excitabo, eiuſq; animis veſtris memoriam imprimere contendam. Nõ decrit, credo, ſanctiſſimus mihi Spiritus, & glorioſa cœlorum Regina Maria; Angelico igitur eam modo ſalutemus, ſummaque animi demiſſione recitemus.

AVE MARIA.

I. *1. De Nat. Deorum. Strabo l. 6. Cicero Verrina 6.*

Cum de Simonide Philoſopho quæſiuiſſet tyrannus Hiero, qui Syracuſarum (quę totius Siciliæ caput, & Archimedis Geometræ, & Theocriti Poetæ patria erant) dominium vi occupauerat, quid aut qualis eſſet Deus, vnum ſibi diem deliberandi cauſa poſtulauit. Cum idem ex eo poſtridie quęreret, biduum petijt; cum ſæpius duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero quæreret, cur ita faceret, *Quia quanto*, inquit, *diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior.* Quod ſapiens ille Philoſophus tyranno de Deo curioſius quærenti, reſpondit, hodie ipſe de Paradiſo, de cœlorum quos Deus incolit, gloria, ac beatorũ gaudiis melius dicere poſſe videor; eorum enim omnium dignitatem, præſtantiam, felicitatem, maieſtatemque deſcripturus, quo penitius eadem indago & rimor, quo & plura mihi in mentem indicta, & tamen dicenda veniant. Adeo vt cum Poeta dicere cogar:

—breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio:

Exod. 25. Et idem mihi contingat, quod duobus illis Cherubim, quos Moyſes in Propitiatorio collocauit, quanto enim magis illi alas, loci cui inſiſtebant admiratione, & venerãda maieſtate perculſi, extendebant, quo eiuſdem excellentiam dignitatemque intelligerent, tanto ab eiuſdem cognitione longius recedebant. Nam quo longius euolare geſtio, & ingenij mei alas, ad Paradiſi voluptatem ſplendoremque percipiendum, extendero, eo & maiorem difficultatem reperio, & eo res mihi videtur obſcurior. Ingenij quippe noſtri captum longe ſuperat. Teſtatur id Auguſtinus: *Effugit omnem ſermonem, atq; omnem ſenſum humanæ mẽtis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa gloria, illa magnificentia, illa maieſtas.* Item Gregorius Magnus: *Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit, illa ſupernæ ciuitatis, quanta ſint gaudia, Angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimus ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari.*

Cœleſtis gloria comprehendi mente non poteſt.

Serm. 37. de Sanctis.

Homil. 37.

1. par. q. 25. Doctorum ille phœnix Thomas, hunc cum gloriæ cœleſtis Oceanum ingenij ſui velis remigioque tentaſſet, & in altum inueſtigaturus ſingula prouectus eſſet, inuitus ſiſtere curſum, ancoram eijcere, & in tutum ſilentij portum confugere coactus eſt, ſimulque apertiſſime profiteri, nihil vnquã à Deo excellentius factum eſſe aut vllo vnquam tẽpore fieri poſſe, ipſa qua Beati perfruuntur gloria. In primam namq; Quæſtionum ſuarum parte diſquirens, num ſummus ille opifex, qui cuncta è nihilo produxit, creaturas abſolutiores perfectioreſque poſſet reddere, quam modo è nobis videntur, aut vſurpantur, ait, fieri quidem omnes ab ipſo abſolutiores poſſe, tribus tamen exceptis, Chriſti Ieſu ſcilicet humanitate, Maria Virgine, in quantum Dei mater eſt, & ipſa Beatorum gloria: quæ veram nobis felicitatem affert, & mercedem operibus Iuſtorum reddit; aſſerit igitur tria hæc tanto ab eodem artificio & perfectione facta eſſe, nihil vt illis ab ipſo artifice ad perfectionem addi poſſet.

Nihil Deus perfectius cœlo ipſo condere potuit.

Huius etiam opinionis fuit doctor Gentium Paulus, licet longa prius ab altera namque vita rediens, ipſo cœleſti domicilio pedibus quodammodo pulſato, & oculis coram viſo, aliud de eodem annuntiare non potuit, quam omnia illic ita excellere & eminere, vt comprehendere nemo queat, & credibile vix videatur: *Nec oculus*, inquit, *vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit DEVS diligentibus ſe*: quaſi dixiſſet, Contemplamini, obſecro, vos, qui tot in mundo palatia, tot oculorum de- *1. Cor. 5.*

licias, illicitaque vidiſtis, tot delectamenta viſus circumquaque habuiſtis in aulis Principum, & in totius vniuerſi ſuperficie naturæ miracula ſpectaſtis, gloriam cœleſtem; & vobiſcum judicabitis, nihil vos vnquam ſimile vidiſſe, audiuiſſe, vel animo comprehendiſſe. Oculi namq; nonniſi vnicum ſolem vident, aures nonniſi ſonum & harmoniam hauriũt, cor non niſi montes ſibi aureos fingere & cõcipere poteſt, ſed in cœleſti domicilio mille oculi ſoles conſpicient, aures mille harmonias & quidem nectare ſuauiores percipient, & animus deliciarum, diuitiarumque aceruos habebit.

Iſa 64. Didicerat id Paulus ab Iſaia, qui longe ante tempore in hunc modum locutus eſt: *A ſeculo non audiuerunt, neq; auribus perceperunt, oculus non vidit abſq; te, quæ; praparaſti exſpectantibus te* Quæ verba Auguſtinus exponens ait: *Quod Deus praparauit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur, deſideria & vota tranſgreditur, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* *Lib. 24. de ciuit. Dei.*

Pſal. 30. Eadem propemodum habet Pſalmiſta, qui de gloria cœleſti agens, nonniſi admirando, exclamando, & exſtaticôs de eadem locutus eſt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te!* Bene, meo quidem judicio, ait, *abſcondiſti*: deliciæ enim adeo magnæ ſunt & vehemẽtes, vt nec oculis conſpici, nec auribus percipi, nec corde, aut vllo exteriori ſenſu, in hac quidem vita, comprehendi queant. In alio item Pſalmo: *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei, ſicut lætantium omniũ habitatio eſt in te* Paradiſus deniq;, ac cœleſte illud domiciliũ adeo amœnum, jucundum, ſplendidum, & gratum eſt, vt ſola eius memoria nos in admirationem & ſtuporem rapere, atq; à peccando deterrere poſſet. Ita ſcilicet cenſet Rex ſapientiſſimus Salomon, & thema noſtrum ordinarium habet: *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*: quod in duo hodie membra diſpertiar, primo cœleſtis gloriæ & domus pulchritudinem ſplendoremq; ob oculos ponam, ac deinde oſtendam, quanti eiuſdem recordatio emolumenti vtilitatiſq; cogitanti arceſſere *Pſal. 86.* *Eccl. 7.*

conſueuerit: quæ duo, vbi pro dignitate declarauero, præſenti me concioni abunde ſatisfeciſſe exiſtimabo.

Quod ad primum igitur ſpectat, diſpiciamus; tantam virtutis M. Tullius pulchritudinem venuſtatemque eſſe dicebat, vt ſi oculis cerneretur, mirabiles ſui hominum animis amores excitaret. Equidem hoc ipſum iure meritoq; de Paradiſi gloria, deque beatitudine, quę cœli primogenita eſt, dicere poſſum; tantum ſcil. illius ſplendorem magnificentiãque eſſe, tantamq; perfectionem, vt ſi ab hominibus, vel cognoſceretur, omnes omnino in ſui amorem pertraheret. II. *1. Offic.*

Statim vt Iacob Patriarcha Rachelem, filiam Laban, quam Deus & natura omnibus doribus & perfectionibus cumulauerat, conſpexit, adeo in illius amorem, caſte tamen exarſit, vt ſeptennio ſeruire, eius potiundæ inque vxorem ducendæ ergo, voluerit, ſeſeque idololatriæ in flore ætatis vltro ſubiecerit, tantaque affectus illius erat vehementia ac magnitudo, vt ſeptennium illud inſtar momenti duxerit. At ſi homines Rachelem illam cœleſtem, beatitudinem, inquam, & gloriam ſempiternam, corporeis oculis poſſent intueri, maiori haud dubie affectu in illam credo, ferrentur, nec ſeptem tantum annis, ſed toto vitæ tempore, imo mille annis & amplius, ſi eatenus vita hominum poſſit extendi, ſeruire illi, quo eiuſdem gratiam obtinere & affectum poſſent, deſiderarent; quin & tantum amor eius illorum animis excitaret incendium, vt omnes, quos eius nomine tolerarent ſudores, labores, & ærumnas, velut jocum & delicias exiſtimarent. *Gen. 29.*

Exemplo nobis hic ſit magnus Gentium doctor Paulus: ſtatim namque vt eiuſdem magnitudinem, ſplendorem, pulchritudinem, quamuis per ſpecimen tantum & per tranſennam, trans rimas, inquam, tertij cœli, ad quod ſe euectum gloriatur, conſpexit; adeo eadem captus & raptus fuit, vt toto vitæ tempore eius cauſa non modo ſeruire, ſed & omnia tribulationum, ærumnarum, cala-

calamitatumque genera perpeti & libenter ſuſtinere voluerit, & ſine tantus in eodem ardor exſtitit, vt poſtquam omnia quæ in ſecunda ad Corinthios commemorat, *In laboribus pluribus, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter virgis caſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate*, perpeſſus fuerit, nihil adhuc ſe ſuſtinuiſſe exiſtimet, omniaq; hæc cum gloriæ cœleſtis delicijs, beatitudiniſque gaudiis comparata, velut vmbra & ludicrum illi videantur: audiamus, vt hoc ipſe de ſe teſtetur, *Exiſtimo enim, quod non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis* O igitur gaudium ineffabile!

2. Cor. 11.

Rom. 8.

Aliud, & quidem longe illuſtrius exemplum nobis dedit Redemptor orbis Ieſus, qui diſcipuli amorem longe ſuperauit: ſola namque gloriæ, quam corpus aliquando obtineret (anima ſcilicet à primo conceptionis momento beata exiſtente) repræſentatio, ſpeſque quam certam habebat, cœleſti illud aliquando gloria beandum, ad mortem, & quidem diriſſimam atrociſſimamq; ſubeundam vltro eum compulit. Vnde Paulus in ea quam ad Hebræos ſcripſit epiſtola: *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Quin & poſt glorioſam reſurrectionem ſuam, cum in Emaus caſtellum ſeſe ire fingens, diſcipulos de rebus quæ Hieroſolymis in monte Caluariæ contigerant, loquentes audiret, eoſque hac potiſſimum occaſione ſubtriſtiores videret, atq; illi totam paſſionis ſeriem enarrarent exaggerarentque, ipſe, cœleſtis ad quam tendebat gloriæ amplitudine & delitijs ſibi propoſitis, ac velut omnium quæ pertulerat immemor, petiit, *Et quæ?* Perinde ac ſi dicere voluiſſet, Dicite, quid accidit Ieroſolymis? aliquidne noui in ſynagoga contigit? quænam ſunt hæc, quæ de cruce narratis? omnium oblitus ſum, omnem mihi horum memoriam gloriæ quam ſpecto magnitudo eripuit: nihil quippe ſunt claui, nihil flagra, nihil ſpinæ, nihil lancea, nihil crux, deniq; omnia, quæ in monte Caluariæ acciderunt, nihil, ſi cum æternæ beatitudinis quam ſpecto decore atque amplitudine conferantur. O felicitas inæſtimabilis! ô gaudium incomparabile!

Hebr. 12.

Apoſtolorum princeps Petrus omniumque fidelium caput, vnum hoc, velut efficaciſſimum ad homines è peccatorum cœno educendos, remedium adhibuit æternæ ſcilicet patriæ pulchritudinem decoremque interdum in memoriam iis reuocare. Dicebat enim, *Seniores ergo obſecro ego conſenior: tanquam teſtis Chriſti paſſionum, & eiuſdem quæ in futuro reuelanda eſt gloriæ conſors*, vt a peccatorum tramite deflectentes, in virtutum ſtudium incumbatis. O verba ponderoſa & emphatica! Senſus autem horum hic eſt: ſi ita cognitum vobis eſſet, ô ſenes, qui alterum pedem jam in Charontis cymba habetis, quid cœlum, quantaque eiuſdem gloria & beatitudo foret, vt ipſe eadem perſpecta habeo, qui ſpecimen eorundem in monte Thabor conſpexi; & ſi ſupplicia tormentaque, quæ Chriſtus Dei Filius in corpore pertulit, ita vobis, vt mihi qui præſens interfui, paterent; alios profecto mores, aliamq; vitæ rationem indueretis. 1. Pet. 5.

Idem remedium in peccatoribus conuertendis adhibuit Ioannes, ita namq; ad Neophytos ſcribendo locutus eſt, *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus: ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Quanta igitur noſtra felicitas eſt? nonniſi fumus eſt & inane, quidquid hoc in mundo magni ab hominibus fieri ſolet: nam quamuis reges & monarchæ potentiſſimi eſſemus; profecto, ſi beatitudinem felicitatemque ad quam in cœlo aſpiramus, ſpectemus, plebeii nobis ipſis & viles videbimur: nihil quippe in hoc inferiori mundo haberi aut deſiderari poteſt, quod cum æterna beatitudine comparari queat. Nam quia filii Dei ſumus, quamuis exules & in hanc miſeriæ vallem relegati: ſperamus tamē venturum aliquando tempus, quo ſimiles illi erimus, & diuitiis, ſcientia, immortalitate & beatitudine illi per omnia pares. 1. Ioan. 3.

Magnus

Digitized by Google

Rom. 8. Magnus ille eloquentiæ Chriſtianæ torrens Paulus: pulcherrimas in Epiſtola ad Romanos ex hac Euangelica propoſitione, *Quod ſi filij & hæredes*, &c. concluſiones eliciendas nobis propoſuit. Quaſi dixiſſet; Si tanta noſtra felicitas eſt, vt filij Dei & dicamur & ſimus, certiſſime confidamus neceſſe eſt, fore nos & diuitiarum & regnorum omnium, denique & beatitudinis ipſius hæredes. Hac vnica ſeſe ſpe in ęrumnis ſolabatur Pſalmographus, hinc in Pſalmis canit, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.* In quib. verbis hoc obiter notatum velim, dici hic Deum non niſi partem ſucceſſionis hęreditatiſq; nam pręter diuinam eſſentiam tot ſunt gaudiorũ delectationumq; in cœlo occaſiones, vt ipſa diuinæ eſſentiæ viſio aſſiduaque contemplatio nonniſi exigua quędam felicitatis beatitudiniſq;, quam beati hæreditate conſequentur, portio eſſe videatur. O rem penitus incredibilem.

Beati ſunt Dei filij hęredes.

Pſal. 15.

S. Hier. Auguſt. apparens gloriã cœleſtem aperit.

Et profecto felicitas, magnitudo & amplitudo gloriæ cœleſtis mente comprehendi nequit, & Auguſtinus in Epiſtola ad Cyrillum teſtatur, refertque viſionem quam habuit, cum enim S. Hieronymo in Palæſtinam ſcribere decreuiſſet, & petere illius de æterna beatitudine judicium, contigit hunc interea expirare Auguſtino apparuiſſe, & verbis huiuſmodi locutum eſſe: *Vide ſi numerare potes ſtellas cœli, arenas & guttas maris: id namq; facilius eſt, quam gloriam dicendo explicare: eſt enim res tanta, quanta, niſi ipſe vidiſſem, nunquã crediſſem, & tam longe abeſt a b eo quod ego viuens cogitabam, vt omnino ſit quippiam in infinitum maius.*

3. Reg 10. E quibus verbis colligere eſt, idipſum beatis illis animabus, quando nimirum cœli gaudia ſubeunt, accidere, quod olim Reginæ Sabææ de longinquis ad Salomonem regionibus venienti legitur contigiſſe. Hæc namque, cum de extremis Æthiopiæ Salomonis magnificentiam maieſtatemque coram inſpectura veniſſet, & eam ipſam diligẽtius curioſiuſque eſſet intuita, ita conſternata & admiratione percuſſa fuit, vt omnis propemodum ſenſus expers, in terram corruerit: donec tandem ſui compos facta, admirans ait: Cum apud meos Æthiopas adhuc hærerem, magnifice rex, credere haud poteram, quæcunque mihi de maieſtate & ſplendore tum domus, tum miniſtrorum tuorum referebãtur: at omnia ficta exiſtimabam, nec putabam, in mundo principem adeo ſplendidũ, totque dotibus cumulatum, qualem mihi te aduenæ & nuntij depingebant, poſſe reperiri: donec ipſa, fœminea curioſitate exſtimulante, experientia & hiſce oculis didici, vix dimidiam tuæ mihi magnificentiæ partem nuntiatam eſſe. Non ſecus quoque beatæ illæ mentes: venientes enim ab extremo mundi angulo, & palatium illius, qui pluſquam Salomon eſt, ſubeuntes, adeo viſa eiuſdem pulchritudine conſternantur, vt confiteantur, dimidium quod illic percipiunt gaudii, aut voluptatis, narratum aut deſcriptum non eſſe; ipſamque famam, quam ſacra fides & Prophetarum oracula Dii ſpargunt à reipſa ſuperari. Vnde dicere merito poterunt, quod olim Pſaltes ait: *Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Dei noſtri.* quod & Ambroſius in funebri oratione quam Theodoſio Imp. dixit, vſurpauit: *Iure pietatis aſcita in illam Ieruſalem ſupernam, vbi nũc poſitus dicit: Sicut audiuimus, ita & videmus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate D E I noſtri, quam fundauit in æternum.* Pſal. 47.

Allegoria.

III. An non igitur vos, Chriſtiani admiranda illa gaudia quæ in cœleſti regione habentur, in admirationem rapiant? an non cœleſtis beatitudo vanitatum mundanarum contemptum inducat? Et ſane Dauid rex, non aliud ad conuertendos impios, & ad virtutem excitandos, argumentum adhibuit, quam ſuadendo vt cœleſtem beatitudinem ſemper ob oculos geſtarent, *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum*: & mementote gaudiorum, quæ in cœleſti habitaculo vobis præparata: proponite vobis ob oculos gloriam, qua ſummus Deus filium in die gloriæ & transfigurationis in monte Thabor circumdedit, *filij hominum*, id eſt, ratione præditi, non de brutorum ſtirpe progeniti. *Vt quid diligitis vanitatem?* cur vmbras conſectamini, Pſal. 4.

Digitized by Google

ſectamini, cur vanitatem & inanias vt deas colitis? (diligere enim eſt quaſi Deum eligere) cur vana & fugacia captatis, indigna quæ tam nobilis creatura amplectatur?

Auguſti Apophth. Audite lepidam, quoad vanitatem hanc, hiſtoriam. Imperat. Romanorum Auguſtus, cum videret quoſdam externorum regum legatos, catellos melitæos brachiis tenere, ſtringere, ac delinire, & tantum non diſſuauiari, iocando petiit, num apud eos mulieres liberos eniterentur? Quo aculeato dicto eos edocere voluit, non eſſe affectum, quem parentes erga liberos habere debent ad beſtias transferendum. Sed maior mundanorum ſtultitia ac veſania eſt, qui præ mentis cæcitate, ampliſſimo palatio gaudiiſque in æternum duraturis, relictis, erga res inanes & friuolas inordinato affectu feruntur.

Iud. 14. Sampſoni mundani conferuntur. Mirabantur parentes & affines inſaniam Sampſonis, quod cum magnam apud omnes & fortitudine & rebus geſtis gloriam, & famam immortalem eſſet conſecutus, cæco amore faſcinatus, relictis tot filiabus in Iſrael, honeſto loco natis, alienigenam & quidem Philiſthæam adamaret, quamobrem furorem illius & æſtum compeſcentes dicebant, *Nunquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum & in omni populo tuo, quia vis capere vxorem de Philiſtiim, qui incircumciſi ſunt?* At ſtulti hi mundi amatores potiori iure reprehendendi ſunt, quorum veſaniam Angeli & ſancti omnes admirantur, qui nimirum ipſi, tantam gloriam præ omnibus aliis creaturis adepti, ita animum rebus mundi huius affigant, vt cœlo eiuſque pulchritudine, quæ omnes ſuperat, contempta, vanitates ambiant, & quidem in alieno ſolo & lachrymarum valle ſitas.

Allegoria. *Num.* 21. Demiratur ſæpenumero ſacra Scriptura veſaniam Iſraelitarum, qui cum in deſerto manna ſuauiſſimo de cœlis præſtito reficerentur, & quidem vberrime, ſemper tamen ad ollas Ægyptias aſpirabant, atque allium, cepas, aliaſque lachrymam excutientes herbas, pani iucundiſſimo, omnem in ſe ſaporem habenti, anteponebant. Sed magis ipſe mundanorum ſtoliditatem & cæcitatem demirot: quod ollis & lautitiis mundi huius aſſueti, voluptates, quæ aliis Ægyptijs amarulentiores & inſipidiores ſunt, delicijs & ſuauitati panis ſuauiſſimi, qui quotidie in terra paradiſi pluit, & mannæ omnem in ſe guſtum & delectamentum complectenti, præponant. Filij igitur hominum, vt quid diligitis vanitatem, & paradiſi gloriam, quæ tot gaudia includit negligitis? Hanc vobis ad oculum iam deſcribere conabor, aures arrigite.

Paradiſus, vt incipiam, mirabilium omnium complementum eſt, deliciarum Oceanus, diuitiarum theſaurus & arca, domicilium Dei, diuinitatis palatium, SS. Trinitatis aula, Angelorum Eſcuriacum, beatorum omnium receptaculum, fidelium omnium commoratio: eſt locus voluptatis, vbi nullus de paupertate ſermo, nulla de indigentia & egeſtate mentio, vbi gaudia æterna & deliciæ perennes, vbi omnia redundant & affluunt: eſt regnum ampliſſimum, quod in æternum extenditur, quod decorant Angeli, incolunt Sancti, cuiuſque princeps & rex Deus eſt: eſt terra viuentium, vbi omnia lætitia reſultant, gaudio reboant, Deoque hymni ſine fine concinuntur: eſt aula regia, cuius atria inferiora, ſunt Planetæ, primum mobile, cubiculum, cœlum cryſtallinum, veſtibulum & introitus, & empyreum, meditullium & vmbilicus: locus denique fœliciſſimus, vbi nõniſi de delicijs eſt ſermo, vbi ſemper gaudia & voluptas, numquam triſtitia, nulla formido mortis, in quo mille ſoles rutilant, è quo omnis moleſtia, calamitas, lachrymæ, ærumna, morbi, & ęgritudines in perpetuum exulant. O locum deſiderabilem & optandum! — Cœli deſcriptio.

Hinc pleno gutture exclamat Dei delicium Auguſtinus: *Quid hac vita beatius, vbi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas, nemo læditur, iraſcitur nemo, inuidet nemo? nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul.* Et multo adhuc liquidius Cyprianus. *Qualis illa*, inquit, *cœleſtium regnorum voluptas, ſine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quam ſumma & perpetua felicitas illic Apoſtolorum chorus, illic pro-* — *Serm.* 37. *de ſanctis.* — *Lib. de mortalitate.*

phetarum exultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus.

In ſoliloqui. cap. 35.

Reſumit ſermonem Auguſtinus, & nouas adhuc cœlo dotes bonorumque iliadem aſſignat: *Ibi gaudium infinitum, lætitia ſine triſtitia, ſalus ſine dolore, lux ſine tenebris, vita ſine morte, omne bonum ſine omni malo, vbi iuuentus numquam ſeneſcit, vbi vita terminum neſcit, vbi decor numquam palleſcit, vbi amor numquam tepeſcit, vbi gaudium numquam decreſcit, vbi dolor numquam ſentitur, vbi gemitus numquam auditur, vbi triſte nihil videtur, vbi lætitia ſemper habetur, vbi nullum malum timetur.* O priuilegia ſingularia! an non hyperbolice locutus es Auguſtine? haberine poteſt in orbe locus, in quo tot ſimul voluptates reperiantur? locus adeo iucundus, & regnum tot deliciis ſcatens.

Noli dubitare anima mea: ſed firmiter crede, tantam eſſe tamque deſiderabilem cæleſtis habitaculi beatitudinem, vt facilius dici queat quid ibi non ſit, quam quid ſit. *non eſt ibi*, inquit Auguſt. *mors, non eſt luctus, non eſt ibi laſſitudo, non eſt infirmitas, non eſt fames, nulla ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla triſtitia.*

Lib. 3. de fide.

Et hæc quidem omnia æterna ſunt, nulloque æuo terminantur, fœlicitas hæc & beatitudo ſemper eadem eſt, nulluſque eius finis dari poteſt, atque ideo coronæ aſſimilatur, *Eſto fidelis vſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*: vel, quod non abſque certamine eadem acquiratur, vt innuit Apoſtolus, *Nemo coronabitur: niſi qui legitime certauerit*: vel, quod, quemadmodum corona figura rotunda eſt, perfecta & abſoluta, quæque fine caret, ita quoque æterna gloria ſtatus perfectus ſit, omnes in ſe delicias, voluptateſque complectens, cuiuſque nullus ſit finis, aut extremitas.

Apoc. 2.

2. Tim. 2.

Exod. 25.

Egregiam huiuſce rei figuram in Exodo legimus: ambit enim illic arcam teſtamenti corona & limbus aureus, quo docemur, beatitudinem cœleſtem, arcam illam in qua omnia diuitiarum genera continentur, æternitate velut corona & circulo qui omnia in ſe complectatur, circumdari. Atque in hunc ſenſum capit Hieronymus verba illa Pſalmi; *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, & addit, *Quia ſanctos præmiis, & temetipſum coram agminibus coronabis, circulum autem, & ſemper in ſe currentia anni tempora coronam vocauit.*

Pſal. 64.

Aliam adhuc rationem, cur fœlicitas æterna coronæ nomine dicatur, adferam, quia nimirum ipſa opulenta, & pulchra eſt, & pulcherrimis gemmis adinſtar coronæ alicuius inſignita, atque hanc rationem è verbis illis Pſalmographi elicio, *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo*. Duodecim quippe illa gemmis ornata eſt, prima eſt ſanitas ſine vllæ ægritudine, ſecunda, abundantia ſine neceſſitate, tertia, voluptas ſine moleſtia, quarta, ſcientia perfecta, ſine vlla ignorantia, quinta, gaudium ſine triſtitia, ſexta pax & requies ſine turbatione, ſeptima, ſecuritas ſine metu, octaua, lumen ſine tenebris, nona, diuitiæ ſine paupertate, decima, gloria ſine dolore, vndecima, æternitas ſine fine, duodecima, vita perennis ſine morte. An non hæ duodecim gemmæ pretioſiſſimæ ſunt? Exclamo itaque, ô coronam pretioſam! & amplius.

Cur beatitudo in ſacris corona appellatur.

Pſal. 20.

O rem vere admirabilem! ô fœlicitatem æternam! ô deliciis abundans beatitudo! tu me cum Auguſtino exclamare cogis, *O vita vitalis, vita ſempiterna & ſempiterne beata, vbi gaudium ſine mœrore, requies ſine labore, diuitiæ ſine amiſſione*: item alibi. *O regnum vere fœlix, ô vita iucũda, ô locus deſiderabilis, ô patria quieta, cuius finis pax, cuius termini æternitas, cuius hæreditas deliciæ & lætitia, vbi nulla ſignantur tempora, vbi nulla hora dies aut anni numerantur, vbi omnia ad vnum diem tempora reuocata ſunt, vbi nox & tenebræ nullæ.* Nimis diu hic hæſimus anima, hic ſiſto, ſatis feciſſe me puto, nimis beatitudinem hanc extuli, aliam iam orationis partem aggrediar, & demonſtrabo quantum aſſidua eiuſdem recordatio vtilitatis afferre ſoleat.

In manual. cap. 7.

Lib. Medit. c. 12.

IV.

Gloriæ cœleſtis memoria aduerſus omnia peccata efficax remedium.

Certo certius eſt, Auditores, & ab omnibus hominib. creditũ, nihil eſſe quod magis nos à peccando deterreat, & ad virtutis ſtudium exſtimulet, quam gloriæ cœleſtis beatitudiniſq; æternæ memoria. Quis eſt enim, qui antequam ſcelus aliquod in remp. vel in pro-

Digitized by Google

proximum admittat, ſi præmeditetur in eius ſe admiſſione paterna hæreditate priuãdum vitam in diſcrimen vocaturum, periculoque ipſum expoſiturum, ne toto vitæ tempore patria exulare cogatur; quis, inquam, hæc omnia præmeditatus, prauam opinionem, & nefarium propoſitum non mutet, & virulentum hunc colubrum, antequam ſerpat longius, à ſe non pellat; ita quoque, quis peccator erit, qui ſcelus aliquod in Deum admittere paratus, ſi prius, ſe ob ipſum cœleſti hæreditate orbandum, infinito bono ſpoliandum, animam in extremum diſcrimen vocandam, exilioque teterrimo apud inferos damnandã cogitet, non derepente ſcelus deteſtetur, prauum conceptum ab anima pellat, propoſitumq; immutet?

Demoſthenis Apophth.

Græciæ oratorum princeps Demoſthenes cum ad meretriculam deſcendiſſet, & de pretio cum eadem ſtipularetur, atque illa mille drachmas in rem inhoneſtam petiiſſet; pretij enormitate deterritus deſcendens ait: *Tanti pœnitere non emo.* Vt è re inhoneſta aliquid in veſtram vtilitatem traham; dico, mundanos rerum inanium amatores, ſi quoties impudicos meditantur cõcubitus, quoties cæteræ peſtes ad peccandum inuitant, & tacite, non dico mille aut decies mille drachmas, ſed ſalutis pretium, Paradiſi cœleſtis amiſſionem, animæ ruinam, quę omne pretium, etiam in infinitum, longe ſuperat, petunt; ſui ipſorum recordarentur, atq; hæc omnia in mentem reuocarent, ſtatim cœptis deſtituros, ineptiasque pertæſos cum Demoſthene dicturos: *Tanti pœnitere nõ emimus.* Valeant ineptiæ, vanitates, valeant ſcorta, illicia illa animæ, numquam adeo inſipientes erimus, qui tanto diſpendio tam exiguam emamus voluptatulam, in momento tranſituram.

Columen & baſis Eccleſiæ Hieronymus, cum ad Euſtochium virginem, Paulæ viduę filiam ſcriberet, variaque aduerſus diaboli ſuggeſtiones remedia ſuggereret, imprimis conſuluit; vt oculis in altum ſublatis æterna animo interdum gaudia volueret, beatorumq; fœlicitatem accuratius perpenderet: *Quotieſcunque te vana ſaculi delectat ambitio, quotieſcunque in ſaculo aliquid videris glorioſum, ad Paradiſum mente tranſgredere, eſſe incipe, quod futura es; & tunc poteris dicere: Aquæ multæ non potuerunt exſtinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Gloriæ cœleſtis meditatio Dauidi erat occaſio ſe ad Deum conuertendi.

Hoc ſcilicet remedium erat, quo in effugandis peccatis diuiniſque mandatis cuſtodiendis vtebatur Iſraelitarum Rex Dauid. Siquidem ita de ſeipſo teſtatur: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*, id eſt, Quoniam beatitudinem mihi pollicitus es, ſancteque iuraſti, facturum me eiuſdem aliquando participem, vitiis iniquitatique valedixi, & ad duram arctamque hominibus quidem mundanis, mandatorum tuorum ſemitam me recepi: item apertius alio in loco: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.* Mox enim vt mercedem illam ampliſſimam mihi propoſui, quam in cœleſti gloria diligentibus verbum tuum præparaſti, animam meam, quæ iam in peccatum vergebat, retraxi, vt in partem mandatorum tuorum propenderet. Sancta igitur & magnæ vtilitatis cogitatio eſt, cœleſtis beatitudinis ſemper recordari.

Pſal. 16.

Pſal. 118.

Serapionis factũ illuſtre.

Hanc Serapion anachoreta tam profunde menti infixerat, vt mundo rebuſque mundanis valedicens, nuduſque per agros diſcurrens, & Sacrum teſtamenti volumen manibus tenens, petentib. nonnulllis, vnde repentina hæc morum mutatio, rigorq; ille inſuetus naſceretur, reſponderit, volumine oſtenſo: *Hoc me ſpoliauit.* Hic ſc. prædo eſt, qui veſtes & facultates deprædatus eſt, hoc ſcilicet volumen, diuinorum promiſſorum theſaurus, tot mihi mirabilia de alterius mundi vita narrauit, tot mihi gloriæ cœleſtis perfectiones depinxit, adeoque me certum eiuſdem reddidit, nihil vt amplius huius mundi amare queam, & quodãmodo inuitus relicta terra, in altiſſimo hoc domicilio ſpes meas collocare cogar.

Gloriæ cœleſtis meditatio acerbitates laboris dulces reddit.

Magnus Hieronymus, cuius paulo ante meminimus aliud, mundi carcere egredientibus, vt ad religionis aſylum ſeſe conferrent, quo & in cœpto pietatis ardore progrederentur, non perſuaſit, quam vt per ſanctarum meditationum exercitia corpora extra mundum hunc poſiti, menteque in cœle-

Digitized by Google

ſti habitaculo verſantes, diuinæ contemplationis & gloriæ cœleſtis amplitudinem cogitarent: hic ad Euſtochium Virginem ſcribit: *Egredere, quaſo, paulisper de carcere, & præſentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit.*

Adhæc ſancta hæc rerum cœleſtium memoria, non ad animæ modo tentationes effugandas conducit, ſed in omnibus nos prælijs & conflictibus animat, vires ſuppeditat, robur ſpiritui ſuggerit, & ex meticuloſis reddere nos poteſt Hercule audaciores. Quicumque enim regij illius habitaculi voluptates, delicias, gaudiaque contemplatur, nullum laborem aut difficultatem ſubterfugiet, quo ad idem queat pertingere; nec humeros oneri cenſebit impares: ſed quidquid aduerſitatis moleſtiæque ſuperuenerit, aut eius perfruendi ergo ex præſcripto ſubeundum fuerit, leue ac facile iudicabit: Fuit illa & mens ſanctiſſimi Patris Auguſtini, qui ita animam ſuam, meditationibus in ſublime raptus interdum alloquebatur: *ò anima mea, ſi quotidie porteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria ſua videre poſſimus, & ſanctis eius ſociari, nonne dignum eſſet pati omne quod triſte eſt, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes habeamur!* Iam allegoriam aliquam producamus.

In manual.

Deus Optim. Max. quo Abrahamum ad fortiter agendum animaret, mercedem ei ampliſſimam: terram ſcilicet abundantem lacte & melle ei propoſuit, hunc in modum locutus: *Leua oculos tuos in directum, à loco in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem, omnem terram, quam conſpicis; tibi dabo & ſemini tuo.* Quid? ſi terræ fertilis conſpectus, & regni temporalis, quamuis opulentiſſimi, promiſſio, ſanctum hunc Patriarcham ad labores, moleſtias, itineraque difficilia excitauit: quid nos facere par eſt, quando oculis in cœlum ſublatis, conſpicimus & contemplamur cœlum, quæ vere Terra promiſſionis eſt, & cuius illa altera quam Dominus Abrahæ promiſerat, nonniſi figura erat? An non eius nomine labores ſubeundi ſint? An non fertilitate regni huius inuitatos, omnes nos difficultates deuorare, moleſtias ſuperare, omneſque inſultus hoſtiles & aduerſarios eludere oporteat?

Geneſ. 13.

Dauid cum patris greges adhuc paſceret, quamuis cœlitus ad regnum Iſrael deſtinatus eſſet, audito præmio quod percutienti Philiſthæum Rex Saul promiſerat, nuptijs ſcilicet regijs & immunitate a tributo, adeo animatus fuit, vt ſeſe in certamen & duellum obtulerit, coloſſo huic ſputio obiecerit, vitamque ſpe præmij ampliſſimi in diſcrimen adduxerit. Docemur hocce Dauidis facto, Auditores, æternæ nos beatitudinis præmio & gloriæ cœleſtis compenſatione, quæ iam a longo tempore mundum, carnem ac diabolum veros Philiſthæos debellantibus, promiſſa eſt, ad pugnandum & hoſtes debellandos animari debere, crucem Domini velut pedum, & orationes velut ſaxa adhibendo.

1 Reg. 17. Dauid mercede inductus Goliath deuincit.

Apoſtolus cum in Epiſtola ad Hebræos labores, & moleſtias, quas Moyſes Iſraelitarum ductor ſuſtinuit, recenſeret, eiuſque infractam conſtantiam demiraretur, ſola cum cœleſtis gloriæ conſideratione, & ſpe præmij innixatum, his omnibus ſe ait expoſuiſſe: *Aſpiciebat enim*, inquit, *in retributionem.* Si igitur mercedis huius amplitudo, vt ad nos hinc aliquid deriuemus, tantum apud ſummum virum potuit, vt in omnibus difficultatibus infractus permanſerit, tot crudelitatis genera in Ægypto pertulerit, Mare rubrum ingreſſus fuerit, quadraginta annos in deſerta ſolitudine hæſerit, ecquæ noſtra veſania & cæcitas eſt, vt idem quidem præmium in mentem reuocantes, eandem tamen conſtantiam non aſſumamus, & in laboribus & aduerſitatibus tolerandis, quamuis cum vitæ diſcrimine, inuictos nos non præbeamus?

Moyſes ſpe præmij grauiſſima patitur.

Heb. 11.

Stephanus omnium martyrum primogenitus pro exemplo item ſeruiat; hic namque cum ſaxis impetitus & obrutus in vitæ extremo eſſet, oculis in cœlum erectis, & eius ianuam reſeratam videns, gloriæ ſcilic. amplitudine tormenta corporis ſuperante, exclamare cœpit: *Video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei;* Quaſi diceret,

Stephanus ſaxa non ſentit gloriæ compenſationem in mentem vocans.

Digitized by Google

ceret, Obruite me Iudæi, ſaxis impetite, vitam hanc abrumpite, propere cœli januam aperite, vt anima corpore egreſſa in gaudium Domini introeat, cœleſti beatitudine fruitura, ad quam toto vitę tempore anhelauit. Verba autem ſanctiſſimi Martyris exponens Euſebius Emiſſenus, in hunc modum locutus eſt: *incunctanter offert ſanguinem ſuum, qui præ oculis habet regem ſuum, ſimul & brauium ſuum.* Actor. 7. Vnica ſcil. diuinę fruitionis memoria, & beatorum gaudij recordatio, crudelitatis atrocitatiſque ſenſum Chriſti Martyri eripiebat, inuictumque in certaminibus efficiebat. I nunc igitur & dicito, cœleſtis gloriæ memoriam in rebus aduerſis nullum nobis robur elargiri.

Ipſe quoq; Redemptor orbis Ieſus Chriſtus, cum Apoſtolis cruces, patibula, eculeos, mortem, perſecutiones prædixiſſet, vt eoſdem in his tolerandis cõſtantes efficeret, roburq; in aduerſitatibus ſuggereret, cœleſtem illis gloriam propoſuit: quaſi vnica eiuſdem recordatio potis ſit vires ſuggerere, & hominem ad maxima crudelitatis genera aſſuefacere: Matth. 5. *Gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* O memoriam vtilem, & maxime neceſſariam!

Hanc igitur non vſurpabitis Chriſtiani? vos, inquam, qui ad hanc poſſidendam gloriam creati eſtis, ad eandem ne ſemel quidem aſpirabitis? nunquamne memoriam hãc rerum cœleſtium habebitis? Imo vero alias cogitationes animo fugate, & vnicam hanc eidem imprimite. Cur enim Deus Ter Maximus

Os homini ſublime dedit?

An non vt cœlum intueretur? præſertim cum cæteris animãtibus oculos in terram defixos efformarit. Vult ſcil. ſummus ille artifex, vt homo cœlum contempletur, Paradiſum intueatur cœleſtem, oculoſq; perpetuo in beatorum gloriam defixos habeat. Vnde initio transformationum ſuarum Naſo:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Mirandum profecto, tantum gẽtili Poetæ lumen affulgere potuiſſe.

Ipſi quoq; Philoſophi, quamuis à fide alieni, hac in re Chriſtianorum ſententiam ſecuti ſunt: omnes enim, paucis exceptis, Platonem ſecuti, dixere hominem inter cætera animalia arborem inuerſam eſſe, cuius nimirum rami inferius, radices vero præter omnium arborum naturam, ſuperius excreſcerent, & merito, vt nimirum oſtenderet, cœlo ſe bonum omne & alimentum, ſi eius ſemper & perpetuo meminerit, habere. Nam vt arbores, quarum radices ſub terra deliteſcunt ex eadem quoque omnem ſuccum & vitam eliciunt; ita hominem, arborem illam cœleſtem, quæ radices in altum effert, cœlo ſuccum, alimentum, vitam, delicias, idque ſanctis cogitationibus, petere par eſt. Ne porro extranea vobis & exotica hæc ab Ethnicis profecta videatur opinio, Philonis eam Iudæi, hominis diſertiſſimi, teſtimonio confirmabo, ait enim: *Solam in terris cœleſtem plantam Deus fecit hominem, cæterarumque plantarum capita defixit in terra, ſoli homini caput ſublime dedit, vt alimenta cœlitus incorruptibilia quærat.*

Homo est arbor inuer ſa appellatus.

Lib. quod deterius por. inſid.

Bene igitur homo radices in cœlum effert, vt ſcil. ſemper ibi mente oculiſq; verſetur, vnde natus eſt; itaq; admonetur, ſe quamdiu in mundi huius anfractibus & fluctibus verſatur, ſemper ad cœleſtem illam patriam aſpirare, & in cœlũ omnes cogitationes, curas, ſollicitudines debere dirigere. Viderunt hoc Ethnici, & re ipſa oſtendere conati ſunt. Teſtis Anaxagoras Clazomenius, Philoſophus celeberrimus, qui, teſte Sabellico, quo melius & quietius ſapientiæ, Philoſophiæq; incumberet, opes & facultates repudiauit. Interrogatus hic aliquando, cur natus eſſet, reſpondit, vti quidem ait Lactantius, vt cœlum cõtemplet: deinde, referente Laertio, cum quidam ab eo petiiſſent, cur patriæ curam non ſuſciperet, mox digitis in cœlum erectis, reſpondit, diligentem ſe illius curam habere, nihilq; ſpectare magis; deſignare ſc. volebat, cœlum veram patriam eſſe, & patriam in qua natus eſſet, nonniſi locum exilij & huius ſe nunquam, illius ſemper meminiſſe.

Anaxagorę Apophth.

Digitized by Google

Hac igitur in re ab Ethnicis nolite vos pati ſuparari, cœleſtem ſemper gloriam præ oculis habetote, imitamini veteres tum Ethnicos tū ſanctos, æmulamini Prophetas Dei. Daniel enim Propheta, regiorum ſomniorū interpres, cum Babylonico carceri incluſus teneretur, feneſtras carceris quæ Ieruſalem reſpiciebant interdum aperiebat, genibuſque in terram proſtratis, preces ter ad Dominum fundebat, quod incredibilem ei voluptatem afferebat: neq; enim aperiebat feneſtras quæ Babylonem terram exilij, captiuitatiſq;, ſed quæ jucundiſſimam patriam Ieruſalem reſpiciebant. ô euidens rei, de qua agimus; myſterium! Anima noſtra, Auditores, hic captiua detinetur, carcer ipſum noſtrum corpus eſt, ſed variis feneſtris patens, quarum aliquę patriam cœleſtem, nempe Ieruſalem, aliquæ vero mundum, qui toties in Scriptura Sacra Babylonis nomine dicitur, reſpiciunt. Ecquæ Deus bone in ſuperiori illa animæ parte feneſtræ exiſtunt? feneſtra ſ. intellectus, per quam omne Ens patet; voluntatis per quam omne bonum, memoriæ deniq, per quam omne tempus. Quęnam vero ſunt in atriis corporis & ſenſuum exteriorum? viſus nimirum, qui colores diſcernit, auditus, qui rumores & ſonos percipit, guſtus, qui ſapores, odoratus qui odores, tactus denique, qui qualitates ſenſibiles dijudicat. An non debet captiuum noſtrum corpus aperire illas, quæ reſpiciunt mundum, locum exilij, calamitatis, infœlicitatis, at illas quæ cœlum verſus poſitæ ſunt, quod cariſſima illius patria eſt, & in quo omnes eius recreationes, delitiæ, voluptates, & ſolatia conſiſtunt. Per haſce feneſtras cogitationes emittat, genibuſq; in terra poſitis non quidem ter in die, ſed omni hora & momento, atque incredibili gaudio & voluptate perfundetur.

Dan. 6.

Corpus animæ carcer.

Hebræi quamuis in captiuitatem Chaldaicam abducti eſſent, ſemper tamen ad patriam aſpirabant, & quotieſcunque illius recordarentur, vbertim lachrymabantur. Ita namq; ipſorum nomine teſtatus eſt Rex Dauid: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Hic iterum docemur, quamdiu in hoc mundo degimus; in quo maiorem & triſtiorem captiuitatem quam Hebræi in Chaldæa, perpeti debemus, ſemper dulciſſimæ patriæ, cœleſtis, inquam, debere recordari, & quoties aduerſitates ingruunt, ad eam velut ad aſylum recurrere, quod ſi faceremus, nemo profecto noſtrum foret, quin vbertim lachrymaretur.

Hebræi lamentantur, cum patriæ ſuæ recordarentur.
Pſal. 136.

Hoc ſcilicet habere vos in animo velim, huiuſq; rei perpetuo reminiſci, cœleſtes delicias mente voluere, gaudia perennia iugiter perpendere: relinquite terram animalibus, cœlum vobis velut oculorum obiectū eſto, ad cuius beatitudinem à primordio eſtis deſtinati. Hoc aſſidue mente voluite, memoriam hanc amplectamini, cuius & vtilitatem & neceſſitatem vos hodierna die edocui; quā ſi interdum vſurparetis, nullum vnquam peccatum admitteretis, iuxta illud: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7.

Tu autem omnipotens cœli conditor, loci illius fœlicis, iucundi, mirabilis, & ad beatitudinem noſtram deſtinati creator, effice, obſecro, vt numquam illius memoriam amittamus; & quoniam arboribus inuerſis ſimiles exiſtimus, oculoſque in altum erectos habemus, vt ſcilicet cœleſtes illos fornices & conuexa polorum intueamur, ſimulque reipſa diſcrimen oſtendamus, quo à cæteris animalibus differimus, cum nimirum illis oculos in terram vergentes, nobis vero ſublimes & cœlo imminentes natura dederit; fac vt eodem illos perpetuo dirigamus: nihilque intueamur aliud quam locum voluptatis, nihil cogitemus quam receptaculum illud cœlitum, nihil cupiamus quam domum illam jucunditatis, in qua extrema noſtra fœlicitas ac ſumma beatitudo ſita eſt, cuius nos participes reddant Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA

FERIA SECVNDA.

DE SITV COELI, DEQVE LOCI voluptate.

Partitio.

I. De præſtantia cœleſtis gloriæ.
II. De cœli Epithetis.
III. De altitudine & amplitudine eiuſdem.
IV. De illius pulchritudine.
V. De cœli motu & ſtupenda excellentia.

Memorare nouiſſima tua, *& præſertim gloriam cœleſtem, & quonā loco Deus cœlum poſuerit,* & in æternum non peccabis, *Eccleſ. 7.*

FIGVRA.

Apoc. 11. PErcurrenti mihi myſtica Apocalypſeos ænigmata, occurrit inter cetera, ciuitas illa ſancta Ieruſalem, ingenti muro circumdata, portas habens duodecim, quas duodecim Angeli cuſtodiebant. Lapidib. hæc pretioſis fundata erat, muri ex iaſpide ſolido compacti, plateæ auro puriſſimo ſtratæ, omneſque portæ ſmaragdis conueſtitæ. O ciuitas elegans ac pretioſa! quam cum intus & foris diligenter conſidero, cœli figuram & typum videre videor, quæ ad inſtar ciuitatis pulcherrimæ fundata eſt, cuius ciues Sancti ſunt & Angeli, ſphæræ cœleſtes, muri, quatuor mūdi anguli, introitus & portæ, fundamenta, æternitas & ſecuritas, & pax fines. O ciuitatem magnificam! O locum voluptatis! O ſitum jucundiſſimum! cuius ſi ampliorem deſcriptionem produxero, magis credo, admirabimini. Inuocemus igitur Spiritus Sancti auxilium, & Beatiſſimæ Virginis ſuffragia dicentes:

AVE MARIA.

I. *Exod. 3.* Cum Iſraelitæ Ægyptiaca captiuitate detinerentur, Deuſque illos cōſolari & animos illis ſuggerere vellet, terram lacte & melle manantem velut omnium laborum mercedem, illis pollicitus eſt. Quod tam ſingulare apud Iudæos ſemper beneficium eſt habitū, vt Dominus inter cætera beneficia in ingratum populum collata apud Prophetam hoc illi imprimis exprobrarit: *Ego Dominus Deus* *Ezech. 20.* *veſter, in die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Ægypti, in terram quam prouideram eis fluentem lacte & melle, quæ eſt egregia inter omnes terras.*

S. Iſraelitæ tantam ſenſere lætitiam, cum ſcirent in terram ſe promiſſionis inducendos, vt ſemper læti & hilares cantarent, *In* *Pſal. 125.* *conuertendo Dominus captiuitatem noſtram facti ſumus ſicut conſolati: tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.* Quo loco Hieronymus, longius eorum gaudium arceſſens, verba illa *ſicut conſolati*, vertit in *facti ſumus ſomniantes*: quaſi diceret; eos ita recreatos fuiſſe, vt cum primum eiuſce liberationis certi redderentur, non crederent, ſed ſomnium aliquod audire ſe putarent, eāque inter beneficia à Deo collata primo loco recenſerent. Quanto maior noſtra erga Deū obligatio eſt? quanto maiorem exultandi jubilandique occaſionem habemus, interea dum in captiuitate apud vafrum illum tyrannum, mundum intelligo, detinemur, cum certiſſime nobis aſſeritur & promittitur, vēturum aliquādo tempus, quo in locum illum jucundiſſimum, omni bono & deliciis abundantem, vere lacte & melle manantem, ingreſſuri ſumus.

Aliquid huc ſpectans dixiſſe viſus eſt *Pſal. 35.* Pſalmiſta, dum ait: *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ*: alludens nimirum ad terram illam promiſſionis, in quam maiores eius induxerat Dominus, quaſi dixiſſet: Dediſti quidem olim patribus terram fertilem Domine, in qua jucunde eos enutriiſti: petras in ſtagna aquarum conuertendo & mella montibus deducendo; ſed meliorem fæcundioremque nobis pollicitus es, in qua non modo bibemus, ſed voluptate inebriabimur; in illa non niſi riuulus deliciarum, gaudiorum, lætitiæque apparuit, at hanc torrentes exundantiſſimi & flumina fæcundabunt.

Quis

Digitized by Google

Fluuii admirabiles. Quis non miretur ingentem diuinæ liberalitatis abundantiam, & gaudiorum affluentiam? Multa quidem fluuiorum in rerum natura exſtant miracula, vti Lethe rerum obliuionem inducente, Gange & Pactolo auriferas arenas conuehentibus, in flumine quodã Thraciæ, in quod omne coniectum lignum mox lapideſcit; in alio quodam in Calabria, quod etiam arbores & truncos in ſaxa duriſſima conuertit, in Lynceſtide Macedonico, è quo qui guſtant non aliter titubant quam ſi mera vina bibiſſent; in flumine Melante in Bæotia, quod oues nigras reddit, in Cephiſſo haud procul inde ſito, qui eaſdem reddit albas; in fluuio Ciliciæ, cui nomen Nous, quod mentem & ingenium exacuat, in alio vero in Inſula Cos, quod ſtuporem mentis inducat, guſtanteſque hebetes efficiat. At nullus omnino legitur guſtantem voluptate inebriare, atque hilaritatem mentis inauditã inducere; gloriæ hoc cœleſti reſeruatũ eſt, in cœlo huiuſmodi manant fluuij, vnde merito Propheta, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* O igitur locum iucundiſſimum & amœniſſimum.

Plin. li. 2. 101

Pſal. 35.

Num. 13. Exploratores Hebræi cum è terra Chanaã reuerſi eſſent, & ſolum mel, botros, malaque granata in eadem reperiſſent, tanti tamen eadem fecere, vt eorum ſpecimen in caſtra referentes eam coram vniuerſo populo laudauerint, *Terra, quam circumiuimus valde bona eſt.* At quanto melior & feracior terra cœlum eſt? teſtis ſit Apoſtolus Paulus, qui in eandem velut explorator miſſus, tantis eam laudibus extulit, vt nullis eam verbis pro merito laudari, aut cuiuſquam ingenio aut mente comprehendi poſſe dixerit.

Gen. 2. Paradiſus cœleſtis verus locus voluptatis. Magnus ille Hiſtoricus & Coſmographus Moyſes, cum paradiſum terreſtrem, in quo nonniſi arbores & fontes erant, deſcriberet, tantopere eundem laudauit, vt locum voluptatis appellare eum non dubitarit. At maiori hoc iure nos de cœleſti paradiſo, in quo vera & omnis beatitudo noſtra reperitur, in quo non riui & fontes, ſed torrentes, maria & Oceani voluptatum habentur, & arbores frugiferæ & ſemper virides conſpiciuntur, dicere potuerimus? nam locus hic, ſi quis in orbe aut extra orbem alius, merito locus voluptatis & deliciarum nuncupari poteſt.

Apoſtolus Petrus cum in monte Thabor Transfigurationi Dominicæ intereſſet, diuinæque gloriæ ſcintillam videret, gaudio & voluptate extra mentis ſtatum raptus aiebat, *Bonum eſt nos hic eſſe:* nullus enim in orbe locus hoc ipſo amœnior, hic vtinam morerer, meliora enim haud exſpecto: ſed bene hic Euangeliſta Spiritu Sancto ſuggerente, Apoſtoli temeritatem taxat, dicens, *Neſciebat quid diceret,* quod ſcil. in monte & in rupe beatitudinem ſuam ſitam putaret, cum tamẽ ad cœleſtem gloriam, quæ multo maior eſt, & cum qua nulla alia gloria conferenda, deſtinatus eſſet. Quam præclara porro ſacra ſcriptura ei epitheta conſignat?

Propheta regius primus in ſcenam prodeat, qui cœlum *terram* vocat *viuentium*: quibus in verbis duo mihi notanda occurrunt: primo, quod *bona* numero plurali dixerit vt ita diſcrimen, quod cœleſtia inter & terrena eſt, euidens fieret: in terra enim nonniſi aliqua bona, & in cœlo plurima habentur; vnde Moyſi dixit Dominus, *Oſtendam tibi omne bonum.* Secundo quod domicilium illud cœleſte *terra viuentium* nominetur: vt mundi vilitas & contemptus, ſi cum cœleſti dignitate comparentur, ita manifeſta fiant: cum ille nonniſi mortuorum receptaculum ac cœmeterium cadaueribus oppletum ſit; cœlum vero domus viuentium, è quo mors & quidquid ferale eſt, exulat. Vnde Propheta, *Præcipitabit mortem in ſempiternum.*

Pſal. 26.

Cœlum terra viuentium.

Exod. 33.

Iſa. 25.

Idem Pſalmographus magis adhuc cœleſtem beatitudinem extollit, quam *regionem viuorum* indigetat, *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meã de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorum.* *Pſal. 114.*

Allu-

Allusiſſe mihi viſus eſt ad doctrinam, & opinionem Philoſophorum, qui tres in aere regiones effingunt: dixiſſe nimirum voluit, tria tantum regionum genera eſſe; prima ſcatet mortuis, id eſt, infernus: de quo capienda ſunt verba illa, *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.* Secunda habet & mortuos & viuos, id eſt, mũdus hic, in quo & iuſti viuunt, & peccatores mortui ſunt, iuxta ſententiam illam Domini, *ſinite mortuos ſepelire mortuos.* Et verba illa Apocalypſeos, *Nomen habes quod viuis & mortuus es.* Tertia vero regio eſt, in qua ſemper viuitur, habitaculum ſcilicet cœleſte, de quo ſcriptum legitur, *Iuſti autem in perpetuum viuent.* Cœlum ſiquidem viuentibus plenum eſt, abundat deliciis, bonis, diuitiis, gloria, quo nullus nec pulchrior aut amœnior, aut iucundior haberi locus in orbe poteſt: quem ſi ſemper menti inſculptum gereremus, nullum vnquam aduerſus diuinam maieſtatem peccatum admitteremus: ita docet Salomon ſententia illa quam toties produximus, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Hunc ipſe vobis hodierna die ad viuum ſuis coloribus depingam: primo eiuſdem ſitum, ac deinde voluptates eius ac delicias, quæ Beatos in eodem manent, expoſiturus: quæ duo vbi audieritis, vobiſcum, credo, ſtatuetis, nihil in rerum natura haberi poſſe aut diuinius aut excellentius.

Tres in orbe regiones ex ſcripturę ſenſu. — Pſal. 113. — Luc. 9. — Sap. 5. — Eccl. 7.

II. Cœlum locus eſt in quo noſtra felicitas ac beatitudo conſiſtit.

Principio igitur certiſſimum eſt, præterquam quod id vnum è fidei noſtræ capitibus ſit, cœlum locum eſſe, in quo animæ Sanctorum corporeis liberatæ compagibus, multorum bonorum operum viatico comparato, poſt hanc vitam ſecedunt, beatitudinis adhæc noſtræ domicilium, gaudiorumque theſaurum: Vnde ſcripſit Apoſtolus, *ſi terrena noſtra habitatio diſſoluatur, domum habemus non manu factam & conſeruatam in cœlis,* & æternam, quæ nullo vnquam tempore diſſoluetur. Et alio in loco habitaculi huius captus pulchritudine ait, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto,* id eſt, Vtinam domus hæc figulina & fragilis confringatur, vtinam moles hæc carnea concidat & putreſcat, quo anima carcere hoc ſoluta & libertate donata ad Chriſtum, qui vere eiuſdẽ beatitudo eſt, euolare queat.

2. Cor. 5. — Phil. 1.

Quæ verba Gregorius Magnus exponens ait, *Qui Chriſtum in cœlo eſſe non dubitat, nec Pauli animam in cœlo eſſe negat.* At dubitare nemo poteſt, quin Chriſtus ſidereos ſuper axes in gloria ad Patris dexteram conſideat, cum vnus è fidei noſtræ ſit articulis, *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Patris*: an non igitur idem ille noſtræ felicitatis ac beatitudinis locus eſt?

Lib. 4. dial.

At obiter hic dicendum, non vno eodemque ſemper nomine cœlum in ſacris litteris nuncupari: Modo namq; *domus Dei* dicitur, vti apud Pſalmographum: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Perinde ac ſi dixiſſet, Gaudio perfuſus ſum, vbi nuntiatum fuit Meſſiæ aduentum inſtare, à quo cœli porta, quæ quinque annorum millibus iam occluſa fuit, aperienda eſt: in quod nos mundi huius tuguriis egreſſos admittet, quod domus Dei eſt, domus regia: non anguſta & inops, qualis fuit domus illa viduæ Sunamitidis, quæ dicebat, *Nihil eſt in domo mea*: ſed diues & opulenta, de qua Pſalmiſta cecinit, *Gloria & diuitiæ in domo eius,* at in domo mundi nonniſi mera inopia & egeſtas. Idem quoque nomen dedit illi in Pſalmo viceſimo, *Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Vocatur & alibi, *Tabernaculum*: vti apud eundem Pſalmiſtam, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo,* iterum, *Quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei*, item in loco Apocalypſeos, *Et audiui vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei hominibus, & habitabit cum eis.* Hoc porro nomen duabus de cauſis ei attributum eſt, primo vt ſimilitudo eius cum tabernaculo, in quo Arca Domini, inter medios Cherubinos, continebatur, in quorum alis Deus conſidere & deliteſcere apud Hebræos putabatur, teſte Dauide. *Qui ſedet ſuper Cherubim*, manifeſtaretur: vt enim hic Deus quieſcebat, ita in cœlo, velut in tabernaculo, in medio verorum Cherubinorum ſanctorumque omnium habitare eum conſtat. Deinde, quod equidem malim, vt Eccleſiam militantem deſignaret, quæ modo velut in tentoriis tabernaculis,

Cœlum variis nominibus in ſacra Scriptura nominatur. — Pſal. 121. — 4. Reg. 4. — Pſal. 16. — Pſal. 14. — Pſal. 41. — Apoc. 21. — Pſal. 98.

Digitized by Google

interea dum pugnandi hic tempus eſt, deliteſcit, ſed finito certamine, tentoriis fictilibus egrediens, aliud, longe ſplendidius & magnificentius cœleſte nimirum, ingredietur, in quo armis & gladio depoſitis æterna pace & requie perenni perfruetur.

Vocatur interdum ciuitas.

Habet & nomen *ciuitatis*. Prophetæ namque eo quaſi de florentiſſima quadam ciuitate ac moratiſſima republ. locuti ſunt; teſtis ſit idem qui ſupra Pſalmiſta. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei*, & : *ciuitas regis magni*. At ciuitas quæ in æternum duratura eſt, ... dem legitur, *Sicut audiuimus, ſic & vidi*... *ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri quam fundauit in æternum*. Item Paulus: *Non habemus hic ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus*. Omnes porro innuere volunt cœlum non eſſe domum, & exiguum quoddam domicilium, ſed ciuitatem ingentem & late patentem, non qualis ciuitas hæc Pariſienſis, ſed qualis illa quæ in Apocalypſi expreſſa legitur, duodecim portas habens. Et quemadmodum ciuitas eſt ciuium vnitas, ita quoque ſpiritus illi Angelici, qui cœleſtes ciues ſunt, nonniſi in amore, vnione, & ſumma concordia viuunt.

Pſal. 86.
Pſal. 47.
Ibid.
Hebr. 13.
Apoc. 21.

At omnium frequentiſſime *regni* nomine appellatur, quod mille ſacræ Scripturæ locis probari poteſt & confirmari, vt illo Matthæi, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. & loco Lucæ, *Hæc cum audiuiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi, Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*: item illo Petri, *Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti*, ac denique illo Paulino, *Liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cœleſte*. Deſuntne igitur nobis teſtimonia, quib. nomen hoc confirmemus? & an non regnum hoc penitus admirabile? vnus ait, hoc ab ipſo mundi primordio conſtitutum, alter dicit, æternum eſſe, nec vllo vnquam tempore collapſurum: hic vocat cœleſte, ille regnum Domini, Quaſi dicere voluiſſent, ex tribus, quæ in mundo ſunt regnis, infernali, terreno, & cœleſti, virim... tantummodo ad pacificum h... tinere: infernale quidem...

Matth. 25.
Luc. 14.
2. Petr. 1.
2. Tim. 1.

homicidis, ſicariis, & facinoroſis repletum eſt: terrenum ſeditionibus tumultibuſque ſcatet: modo in eo Deus vt rex imperat, modo ab omnibus reiicitur: Hinc apud Lucam legimus, *Nolumus hunc regnare ſuper nos*. & Ioannem, *Non habemus regem niſi Cæſarem*. item, *Quis noſter Dominus eſt?* O motus, ô ſeditiones! ſed in regno cœleſti religioſe ab omnibus colitur, fidele ei à cunctis exhibetur obſequium, adoratur ab vniuerſis, & vt verus ac ſummus Monarcha à ſubditis agnoſcitur.

Luc 19.
Ioan. 19.
Pſal. 11.

Non ſunt hæc commentitia, ſed ſingulorum horum meminit Apoſtolus, *In nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorũ*. & multo apertius Nahũ Propheta. *Oſtendam gentibus nuditatem tuam: & regnis ignominiam tuam*. Sed regnis nimium inter ſe diſcrepantibus: nam infernale bello diſcordiaq; aſſidua exagitatur: mundi huius, modo bello quaſſatur, modo pace floret: cœleſte vero perpetua pace viget, quod duorum prophetarum teſtimonio confirmabo, Dauidis imprimis, *Qui poſuit fines tuos pacem*: deinde Iſaiæ, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Hoc denique regnum eſt, cuius Deus rex eſt, in quo Cherubim Duces, Seraphim Comites, Throni Marchiones, Angeli Barones, ac Sancti Optimates & Purpurati. Regnum tam amœno & ſalubri ſitum loco, nullus vt in eodem moriatur, imo nec ægrotet, aut valetudinem patiatur aduerſam, nullus in eodem de theriacis medicamentiſq; ſit ſermo, in quo perpetuus iubilus & hymnorum concentus aſſiduus, in quo ſymphonia ſemper exauditur iucundiſſima, iuxta illud Dauidicum, *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum*. O domus, ô ciuitas, ô regnum, ô paradiſe, diuinis inſignite nominibus ac titulis exornate! Sed quonam in loco tu ſitus es? quonam in mundi angulo? ecquod te orbis clima habet? quis te populus intuetur? huc igitur redeat oratio, longiori digreſſione interrupta.

Phil. 2.
Nahum 3.
Pſal. 147.
Iſai. 32.
Pſal. 117.

III. Cœlum in altiſſimo mundi loco ſitum.

Fides, ratio, ipſaque doctrina, lucidiſſimæ, quibus humanum ingenium illuſtratur, faces docent, in altiſſimo, ac proinde no... orbis loco cœlum eſſe. Nam quo... ...ctorum præceptis conſtat

conſtat, Beatorum habitaculum cœlum empyreum eſſe (ita nuncupatum quod Angelis Beatorumque ſpiritibus, vt quidem D Thomas ſentit, repletum ſit; vel propter ignem, ſequendo vocabuli etymon, ſecundum venerabilem Bedam; non quod ignes illic ſint, aut incendia, ſed propter immenſam claritatem & lumen, quo illic omnia illuſtrantur,) & ipſum omnium cœleſtium globorũ ſummum ſit; tranſcendit enim quatuor elementa, ſeptem planetas, firmamentum, primum mobile, & cœlum cryſtallinum. Certiſſime quoq; credi debet, locum in quo Beati commorantur, quem nos paradiſi & cœli nomine dicimus, omnium locorum ſummum & altiſſimum eſſe. Ecce & ſecunda ratio.

Vt infernus in mundi imo, ita cœlum in ſummo ſitum eſt.

Et quoniam iuxta Philoſophorum axioma, cõtrariorum contraria ſunt conſequentia, & infernus ac cœlum imprimis inter ſe contraria ſunt, atque ille infimo loco, & intra terræ viſcera (iuxta verbum Pſalmi: *Introibunt in inferiora terræ*) ſitus eſt: ſequitur neceſſario hoc in ſummo eſſe. Quænam igitur voluptas erit, ô homo, ecquæ amplitudo, ad locum adeo ſublimem, eminentem, & vltra creaturas omnes euectum eſſe?

Pſal.26.

Cœlum monti cõparatur.

Ideo in Sacris litteris montis nomine deſignantur: *Quis aſcendit in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* vt enim montibus nulla creatura eſt altior, ita cœlo in rerum natura nihil ſublimius. Et merito, vt ſcil. qui ſe in hoc mundo humiliarunt in altero exaltentur. Ita ſcilicet promiſit Dominus: *Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur:* quod & aſſeruit in Cantico ſuo Deipara: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* ecquæ exaltatio? ecquis honor? haberine quidquam magnificentius poteſt, quam ſuper omnes creaturas euectum eſſe, ſuper omnes cœleſtes orbes commorari, pedibus calcare ſtellas? Humilia te igitur anima mea, faſtum exue, arrogantiam depone, ad imum terræ centrum te deprime, vt tandem aliquando exaltari, & ſuper omnes cœlorum orbes, in loco eminentiſſimo, collocari merearis.

Pſal.23. *Luc.14.* *Luc.2.*

Quantum diſtet cœlum empyreum à terra.

Vere, inquã, eminentiſſimo: docent quippe Mathematici id dimetientes, & Aſtrologi dioptica ſua vtentes, cœlum empyreum, mille ſeptingentis nonaginta myriadibus, nongentis viginti quinq; millibus, & quingentis milliaribus à terra diſtare. Chriſtophorus porro Clauius in Matheſi apprime verſatus, in ſphæram Joannis à Sacrobosco commentatus, diſtantiam cœli à terra exactiſſime dimeriens, ait, orbem Lunæ 120630. milliaribus à terra remotum eſſe: & Solis 4015923. firmamẽtum vero 161884943. Sanctus Vincentius vero amplius quid addens ait firmamenti, in quo ſtellæ fixæ ſunt, tantam à terra diſtantiam eſſe, vt ſi lapis molaris inde in terram decideret, mille quingentis annis in via hæreret. Nec mirum hoc cuiquam videatur; cum enim tanta diſtantia ſit inter vtrumque, quantam iam deſcripſimus, neceſſe eſſet, lapidem hunc quotidie 32780. milliariis deſcendere, & ſingulis horis centum triginta ſex paſſuum millibus. Tanta deinde cœli empyrei à firmamẽto diſtantia eſt, quanta firmamenti à terra. O latitudinem incredibilem! ô locum vere deſiderabilem!

In c.1 ſphæra.

S. Vincentij opinio.

Cœlũ amplum eſt.

Nec modo altum eſt, verumetiam magnitudinis & capacitatis infinitæ. hinc aliquando id Scriptura ciuitati, aliquando regno comparat: ſed regno adeo amplo & ſpatioſo, vt ſi omnes Sancti, qui modo cœleſti beatitudine perfruuntur, & aliquando perfruentur, adiunctis etiam Angelis, qui numero infiniti ſunt, idipſum inter ſe æqualiter diuiderent, minimo tantum ſpatiũ cederet, quantũ vniuerſum terrarum orbem ſuperaret. Ne autem exiſtimetis id friuolum, aut commentitium orationibus tum Geometricis, tum Theologicis, oſtendere ipſum contendam.

Probatur Philoſophice cœli amplitudo.

Aſtrologorum, qui ad Philoſophiam etiam ſpectant, axioma eſt, ab vna ſtellarum in firmamento rutilantium, etiam minima vicies terram magnitudine ſuperari: vt interim de maioribus taceam, quæ centies eandem capacitate ſuperãt. At dicite mihi, quot nocte ſerena & cœlo quieto in firmamento aſtra videre eſt? nam quamuis Aſtrologi nõniſi mille viginti duo aſtra viſibilia enumerent, credendum tamen eſt, eſſe & alia infinita, quæ propter exiguitatem commode à nobis videri nequeunt. Accedit adhæc, quod magna ſit inter ſingulas ſtellas loci vacuitas,

Digitized by Google

in quo plures ſtellæ quam modo videmus,& maiores,creari potuiſſent. Quam amplum igitur capax ipſum cœlum eſt, in quo tot ſidera & conſtellationes, totque loca vacua, quorum minimus maior ex maximis etiam ſideribus, & horum minimum vniuerſa terra? Si igitur Beati ſtellas & loca interiecta numero æquarent, & hocce firmamentum æqualiter inter ſe diſpertirentur, an non ſinguli maiorem & capaciorem,quam vniuerſa terra ſit, protionem ſortirentur. At ſciendum eſt, ſupra orbem illum ſtelliferum tres alios adhuc orbes eſſe, quorum vltimus cœlum empyreum ſit, quod tot prope partibus firmamentum, quot illud terram magnitudine ſuperat. Si illud igitur ſorte & ex æquo diuideretur, quã amplum ſinguli ſancti ſpatium obtinerent? Secundo.

Item Geometrice.

Geometræ,qui omnia occultis dimenſionibus agunt,mundi huius longitudinem,latitudinem,amplitudinem, capacitatem, cæterasq; eiuſdem quantitates dimenſi,dixere, infernum, damnatorum ſcilicet, carcerem, iuxta mundi centrum 7866. paſſuum millia in longitudine & latitudine, & duo millia, quingenta & quinque milliaria in profunditate & altitudine comprehendere. Terram vero quam incolimus, ab vno polo ad alterum,in longitudine & latitudine dimentiendo ad 31500.millia paſſuum, & in altitudine, ab ipſis nimirum antipodibus ad nos vſque ad 1022.millia extendi. Cœlum autem empyreum ambitu ſuo decem mille trecentas quatuordecim myriades, & octogiinta quinque millia ſeptingenta & decem milliariorũ continere; latitudine vero ter mille ſexcentas myriades. At quænam inter cœli & terræ magnitudinẽ ſimilitudo eſt, aut æqualitas: & ſi hoc ipſum ſancti ipſi inter ſe diuiderent, an non ſingulis portio vniuerſa terra maior cederet? Tertio.

Item Mathematice.

Tradunt Mathematici, terram cœlo collatam, nonniſi inſtar minutiſſimi puncti in medio circuli eſſe: atque ideo ſemper mediã cœli partem, in quacunq; etiam terræ parte videri, quod fieri non poſſet,ſi terra magnitudine cœlum ſuperaret: hinc dicunt, eam ita conſideratam, velut muſcã cum elephanto, guttam cum Oceano, vel formicam cum Caucaſo comparatam eſſe. Quod vt demonſtrent, docent ab elemento aquæ decies terram,& ab aëre decies aquam, & ab igne decies aërem, à globo item lunari decies ignẽ, & ſic de cæteris orbibus ac planetis, conſequenter magnitudine ſuperari: quo enim aſcenditur altius, quo & magnitudo proportionaliter maior eſt: adeo, vt cœlum empyreum, quod omnium ſummũ ac ſupremum eſt,alios omnes infinita magnitudine ſuperaturum ſit, ac proinde terram cum eodem collatam nonniſi inſtar puncti fore. Quam multa igitur in vaſto illo cœli empyrei corpore puncta ſint, vobiſcum diſpicite, ac ſtatuite, ſi ipſum in varias partes conſcindendũ eſſet,an non minimus eorum,qui cœlo receptus eſt,maius quod poſſideret, quam totius orbis terrarum ambitu contineri poſſet? Quarto.

Item Arithmetice.

Putant Arithmetici, quod ex Aſtrologis hauſere, & cum iiſdem conſentiunt, orbem lunarem triginta dierum ſpatio,id eſt, menſtruo,curſum ſuũ peragere, ſolem vero, qui inter planetas velut quidam Rex inter magnates eſt; 365. diebus & ſex horis, quæ quater conduplicatæ diem naturalem, qui poſt quadriennium in anno biſſextili locũ habet, conſtituunt, atque ita anni noſtri dimetiuntur, at Saturnum, qui omnium ſummus eſt, nonniſi quatuor annorum millibus curſum ab oluere, firmamentum vero quod multo eſt altius, triginta millibus: vt, quo corpora illa grandiora ſunt, quo & longius in curſu perficiendo ſpatium requirant, adeo, vt longitudo motus & diuturnitas ex magnitudine mobilis percipi queat. Si igitur cœlũ empyreum moueretur, curſumq; quendam, inſtar cæterorum orbium, ſingularem haberet, an non infinita annorum millia in curſu peragendo inſumeret? Atque hinc colligi, quanta eius ſit magnitudo, poſſet: ſi enim firmamentum triginta millia annorum in curſu conficiendo inſumat, quot cœlum empyreum inſumpturum putandum eſt? Et vice verſa, [illegible] & elementa omniaque corpora inferi[illegible]ita vt ſuperiora, mouerentur, quemadmodum cœlorum motus in diuturnitate tẽporis & magnitudine ſemper aſcendendo creſcunt, ita & motus elemento-

Motus corporum cœleſtium.

Digitized by Google

rum, ſi quidem ea moueri poſſent, celeritate minuerentur, & pro modulo quo ſemper inferiora ſuperioribus minora ſunt ad finem quam celerrime vergerent: adeo, vt, ſi luna triginta ſolidis diebus curſum peragat, ſuum Sphæra ignea viginti, ſuum aër decem, vno elementum aquæ ſuum, & terra ſuum vnius horæ ſpacio conficeret. E quibus omnibus colligere vos velim, ſi modo è motu naturali de magnitudine rerum mobilium diiudicare poſſimus, quantula terræ portio ſit, ſi cum cœlo comparetur, & quam ingenti ſancti ſinguli, ſi cœlum minutim diuideretur, ſpatio donarentur. Poſtremo.

Theologice. Theologi Sacris Scripturæ verbis innixi, & fidei noſtræ certitudine confirmati, cum de cœli empyrei, in quo ſancti habitant, magnitudine loquuntur, eam propemodum infinitam conſtituunt, vt quæ dimetiri & menſurari nequeant, aut ad exactum calculum reuocari: vnde eandem potius admirantur, quam deſcribunt. Teſtis ſit Propheta, qui demirando exclamat: *O Iſrael quam ingens eſt locus poſſeſſionis Dei! magnus eſt, & non habet finem, excelſus & eleuatus.* Dic igitur, quænam ſit comparatio inter infinitum quid, quale cœlum empyreum, & punctum, qualis terra? quod ipſum ſi in varia fruſta diuideretur, an non ſingulis portio vniuerſo orbe maior aſſignaretur? deinde tecum iudica, quam locus ille amplus ſit & capax, quamq; ingentia ſanctorum ſint habitacula.

Baruch. 3.

Quid igitur coſmophili, inanitatum mũdanarum ſectatores, tantopere terram & terrena diligitis? Quid ita ob vnum punctum fatigamini, & ſpatium tam capax negligitis? Sed proponite vobis, obſecro, quamuis Europam imperio veſtro frenaretis, Aſiæ vniuerſæ dominaremini, Africam regeretis, Americæ imperaretis, denique totius licet orbis habenas moderaremini, minimum cœleſtium ac Beatorum latius vobis regnaturum, maiorisque poteſtatis futurum. Quid igitur? mundo vniuerſo cum imperatis, punctulo imperatis. Dauid Rex hoc præ oculis habens ſæpenumero dicebat: *Pauper ſum ego in laboribus à iuuentute mea.* Et, *Mendicus ſum & pauper.* Et, *Ego ſum pauper & dolens.* Et, *Ego vero egenus & pauper,* id eſt, Quãuis duo regna ampliſſima poſſideam, nihil tamen, imo ne punctum quidem, poſſidere me puto, adeo vt licet vniuerſum ſub imperio orbem complecterer, inops tamen & mendicus, ſi cum Beatorum me ſorte conferam, dicendus eſſem. Sed iam ſatis ſuperq; ſitum loci deſcripſimus, eius iam excellentiam dignitatemque vt promiſimus, demonſtremus neceſſe eſt.

Pſal. 87. *Pſal.* 39. *Pſal.* 68. *Pſal.* 69.

Cœli excellentia & præſtan. 11. 12. *Metaph. text* 10. & 1. *de cælo tex.* 1. *vſq; ad* 5.

Tanti, veteres Philoſophi, fidei licet lumine deſtituti, cœlum, in quo noſtram beatitudinem fiximus, ſemper fecere, eiuſque pulchritudinem, dignitatem, excellentiam tantopere demirati ſunt: vt omnibus id creaturis longe antepoſuerint. Ita nimirum docuit, Platonem magiſtrum ſuum oppugnando, Ariſtoteles, variis rationibus euincens, cœlum neſcio, quam naturam excellentiorem nobilioremque, quam cætera elementa reſq; omnes inferiores, habere. Et poſt eum D. Thomas; ex profeſſo enim ait aliam cœli materiam eſſe, aliam rerum inferiorum, & proinde illius longe mirabiliorem ac nobiliorem, quam corporum ſubiectorũ exiſtere. Idque hac ratione confirmat, quod materia rerum omnium inferiorum plures formas appetat: at cœli, limitata ſit, nullamq; aliam, præter eam quam Deus ab initio dedit, formam concupiſcat, ideoque ipſum nulla ratione corrumpi queat.

Cœlum appellatur theſaurus Dei.

Plura in hanc rem Sacra ſuggerent volumina: cum enim de cœlo loquuntur, diuinis id & eximiis nominibus appellant: nuncupatur imprimis theſaurus Dei. Hinc Moyſes in Deuteronomio: *Aperiat Dominus theſaurum ſuum optimum cælum.* Quaſi in eo omnes diuinæ diuitiæ reconditæ ſint. Aliquando thronus Dei, ſedes, aula, habitaculum: *Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam.* Item, *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Cur enim putamus toties Deum in Sacris litteris appellatum Regem, Dominum & Deum cœli, & non potius terræ, maris, elementorum, aliarumque creaturarum? Ratio hæc eſt & quidem peregregia; Quemadmodũ magni principes, qui plurima ſub ſe dominia complectũtur, nomẽ plerumq; ac titulum à potiori & nobiliori mutuãtur: & ſicut reges, qui vaſta imperio ſuo regna frænant, à maximo & præ-

Pſal. 108. *Pſal.* 2.

Digitized by Google

præcipuo appellationem capiunt; ita quoq; Deus, varia imperio regna comprehendens, & plurimas prouincias poſſidens, nomen à cœlo, velut à loco præcipuo & principe (à maiore enim & nobiliori iuxta Philoſophos, parte fieri ſolet denominatio) potius quam vllo alio regno ſublunari & aëreo, ſortitus eſt. Quod nomen mille è Sacris litteris teſtimoniis poterit confirmari; In tertio Eſdræ ſcriptũ eſt: *Benedixit regem cœli*; & in Tobia: *Dominus cœli det gaudium*; & paulo poſt, Angelus vtriq; Tobiæ loquens dixit: *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi.* & in hiſtoria Judith, noua illa Amazon ita precata eſt: *Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miſeram deprecantem.* Aliiſque locis innumeris, quæ breuitatis cauſa prætereo, vt ita cœli pulchritudinem, quæ omnẽ mundi pulcritudinem infinitis partibus antecellit, exponam, quod variis rationibus & ſimilitudinibus demonſtrabo: quarum prima hæc eſt.

Eſth. 4. *Tob.* 12. *Iudith.* 9.

IV. Prima ratio, qua cœli pulchritudo deſignatur.

Is in omnibus totius vniuerſi rebus ordo eſt, vt ſuperiora inferioribus præſtent, & quo ſingula deſcendant & aſcendant altius, quo & viliora & præſtantiora ſint. Quot quotidiana experientia manifeſtũ redditur, aqua enim nobilior eſt quã terra, aër quam aqua, ignis quam aër, cœlum lunæ dignius ſphæra ignea, & ſic de cæteris cœlis numero vndecim, ſeptem ſcil. Planetarum, primi mobilis, cœlo cryſtallino & empyreo. Et quoniam cœlum in quo Sancti & ipſe Deus commoratur, omnium altiſſimum eſt, ideo quoque ordinem hunc ſequendo, pulcherrimum ac nobiliſſimum eſt. Secunda.

Philoſophorum axioma eſt, quod & confirmat Auguſtinus, locum conuenire debere locato. Atq; hinc fit, vt in rerũ natura & totius vniuerſi ordine, omnia iuxta dignitatem & merita locum ſortita ſint, nobilioraq; ſedem quoque nobiliorem adipiſcantur. Cæterum cum Deus Ens omnium ſit perfectiſſimum & nobiliſſimum; cœlum empyreum, quod eiuſdem & domicilium & ſedes eſt, vt ſentit Pſalmiſta: (*Qui habitat in cœlis irridebit eos,*) quodque Angelorum & animarum quibus nulla creatura nobilior, receptaculũ eſt locorum omnium abſolutiſſimum & perfectiſſimum eſſe, omniaque alia dignitate & pulchritudine ſuperare, dicẽdum eſt. Quod & Ariſtotelico teſtimonio ſtabiliam, qui cœlum diuinitate plenum eſſe ait: *Conſueuimus,* inquit, *extremum, & quod ſurſum maxime eſt vocare cœlum, in quo diuinum omne locatum eſt.* Tertia.

Ariſt. lib. 3. *d. cœlo.* *Pſal.* 2. *Lib.* 1. *de cœlo.*

Rerum contrariarum contraria quoq; loca, ſunt, non modo quoad ſitum, verumetiã quoad perfectionem, ita videmus, aquam & ignem penitus inter ſe repugnantia, contrarium quoq; ſitum nacta eſſe, hunc nimirum in loco ſublimi & eleuato, illam vero in vili & abiecto. Cum igitur cœlum & tartarus inter ſe contraria immediata ſunt, vt eadem in diuiſione Oppoſitorum nuncupãtur à Philoſophis, vt pote quorum primum in ſummo ſuperficiei, alterum in imo centri conſtitutum ſit; (vt Pſalmiſta his verbis innuit: *Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades,*) credendum quoque eſt, cum infernus, dæmonum carcer, locus ſit omnium fœtidiſſimus, abiectiſſimus, viliſſimus, cœlũ Angelorum & Sanctorum habitaculum eſſe & excellentiſſimum & optime in rerum natura collocatum. Quid vobis de hiſce rationibus videtur? producam & quartam.

Pſal. 138.

Fingamus nobis regem, cui cœlitus conceſſum ſit mille annos vitam extendere, & cui opes & facultates affluant, hunc ipſum ſuperbum ad inhabitandũ ſibi palatium exſtruere, in quo vniuerſa regni cũ eo nobilitas recipi cõmode poſſet, an non credibile eſt, omni id hunc artificio & induſtria cõſtructurũ, nihil vt ad perfectionẽ defuiſſe videatur. Non ſecus cum ſummus ille Deus, totius vniuerſi Princeps ac Dominus, ſed qui in æternum victurus ſit, cuiq; omnia cumulatiſſime affluant, cœlũ in habitationem ſibi & Angelis, beatorumq; animabus, referente Moyſe, initio Geneſ. *In principio creauit Deus cœlum & terram,* & cõfirmante idipsũ Pſalmographo: *Opera manuum tuarum ſunt cœli*; cõſtruxerit, an nõ vero ſimile videatur, omni id eũ artificio ſummaq; arte condidiſſe. Quinta ſit hæc.

Gen. 1. *Pſal.* 105.

Si nobilis aliquis adoleſcens, honeſto loco in Gallia hac natus, molliter ac laute educatus, in alienum ſe ſolum conferret, vt in eodem

Digitized by Google

dem habitationem figeret, numquam in patriam, quamuis hoc ipſi tamen liberum foret, reuerſurus, an non nouæ illius regionis voluptates & gaudia magna ſint oportet, quæ omnem erga patriam iucundiſſimam affectum ex animo illius tollant? an non cœlum illic mitius? & terram amœniorem hac noſtra Gallica eſſe, dicendum foret? verum ſi & plures eiuſdem animi nobiles, relictis caſtellis & domiciliis, in eandem regionem commigrarent, numquam amplius reuerſuri, an non magis mirandum foret? at ſi & rex ipſe regnum deſereret, & eodem ſine vllo reuertendi deſiderio ſecederet, quis non admirabiles in eodem regno diuitias ac voluptates incredibiles eſſe diceret? ad eundem vos modum cogitare velim, Auditores, plurimos magni nominis viros, mundi huius regno, iam à mille quingentis annis egreſſos, regnũ cœlorum adiiſſe, tot item Prophetas, Patriarchas, Reges, tot Principes & magnates: & tamen nullum ad natale ſolum vnde deceſſerat, remeare voluiſſe, quamuis id ei liberum foret, & vnico momento è cœlo in terram poſſet deſcendere. An non igitur hinc manifeſtum eſt tantam regni illius voluptatem ac delicias eſſe, vt omnes qui eodem deueniũt, iiſdem ineſcati, ac quodammodo dementati, rerum alterius mundi penitus obliuiſcantur. Poſtrema ſit hæc.

An non egregius locus ille ac præſtans dicendus foret, omniq; admiratione dignus, ſi modo talis in orbe reperiretur, ad quem nemo vel minima labe inquinatus, admitti poſſet? & quem adire nec ipſis quidem regibus, aut principibus potentiſſimis, niſi prius lotis pedibus veſtibuſq; niuei candoris & puritatis indutis, liceret? Verum quid de ipſo cœlo diceris, quod tantæ excellentiæ ac dignitatis eſt, vt nullus vmquam tametſi Princeps aut Monarcha, in illud niſi pedes & veſtimenta munda habuerit, id eſt, niſi conſcientia ab omni peccati labe immuni, admiſſus fuerit. Vnde Pſalmiſta, *Qui ingreditur ſine macula.* Quod peregregia in Apocalypſi ſua, figura Ioannes demonſtrauit, deſcribit enim ciuitatem, cuius muri ex gemmis pretioſiſſimis conſtructi erant, duodecim habens portas, in quam nihil coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium, intrare poterat. Quam præſtans igitur hic locus eſſe debet & admirabilis, cum tanta eundem introeuntibus neceſſaria ſit munditie s, vt nec minimi cum næui ſubire queant!

Pſal. 14.

Apoc. 21.

Et quemadmodum nemo niſi regifice indutus Aſſueri palatium ſubire poterat, ipſæque virgines integrum annum ſe comendo ornandoq;, fucum, pigmentaq; præparando, diſcriminandis comis, corporis decus & ornatum comparãdo, verbiſq; efformandis, inſumebant. Ita quoq nemo in ſummi Regis Palatiũ, cœlum ſc. ingredi poteſt, qui nõ magnifice veſtitus, ab omni macula & næuo liber, innocentiæq; veſtem indutus fuerit.

Eſth. 2.

An non meminiſtis parabolæ illius Euangelicæ, in qua rex quidam fecit nuptias filio ſuo? hic cum vidiſſet quemdam non indutum veſte nuptiali, ſed lacerum & pannoſum, adeo irritatus fuit, vt aſpere eum increpando, *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem*, temeritatemque illius caſtigando, vinctum manus & pedes, in tenebras exteriores coniecerit. Quid ſibi volunt hæc omnia? vt hinc ſcil. manifeſtum fiat; in Regis regum palatium, in quo quotidie regiæ beatitudinis noſtræ nuptiæ peraguntur, neminem ſe, non veſtitum veſte gratiæ, quæ vere veſtis nuptialis eſt, ingerere debere. An non igitur locus ille eximius eſt, cum nihil niſi mundiſſimum & nitidiſſimum in eundem ingredi valeat?

Matth. 22.

Ille ſiquidem mundi miraculum eſt, naturæ prodigium, verum opus digitorum Dei, totius vniuerſi fornix, omni ex parte defectus, domus, ſedes, thronus, templum & habitaculum diuinæ maieſtatis, Palatium ſolidum, mille viginti duabus feneſtris, id eſt, ſtellis inſignitum, duabuſque grandioribus, ſole nimirum & luna: quod à primo creationis ſuæ tempore maxima ſemper induſtria curatum fuit, in quo infinitæ faces accenſæ collucent, in quo deniq; omnia certa dimenſione & ordine diſpoſita ſunt; adeo vt ſimile nullus vmquã vel viderit, vel audiuerit, aut cogitatione comprehenderit.

Elogia de cœlo.

Quidquid Salomon in templo Domini & domo, extruxit, ſingulari artificio & ſym- 3. *Reg.* 7.

metria

metria peregit, muros ſcil. altaria, aras, porticus, veſtibula, pergulas, arcam, ambulacra, gradus, ianuas, feneſtras, frontiſpicia, coronices, epiſtylia, Zophoros, columnas, capitella pedamenta, omnia ſcilicet proportionem ſuam habebant, octauam, quintam, tertiam, decimam, duodecimam, vel aliam menſuram muſicam: in longitudine, & altitudine, omnibuſque partib. ſumma methodo & ſymmetria conſtructis At maiori induſtria & artificio vſus eſt in cœlorum fabrica Deus, in quo tot zonæ, rotæ, globi, ſphæræ, aliaque ſummo artificio, & exactiſſima dimenſione conſtantia apparent, vt totidem nerui in teſtudine extenſi harmoniam ſuauiſſimam edentes videantur. Ita videlicet id ipſum Pythagorei edocuere, dicebant ſiquidem cœlum iucundiſſimam, concinentibus tot aliis partib. inter ſe optime coaptatis, harmoniam edere, ſed quē propter tumultus & ſtrepitus mūdi huius nemo percipere queat. At nondum finem tuorum mirabilium enarrandorum inueniam ô cœlum.

V. Occurrunt enim alia & infinita, è quibus regii huius palatii dignitas colligi queat, primum quod ab omni corruptione immune ſit, ſecundum quod omnium rerum inferiorum cauſa ſit & origo: ita nempe tradit Ariſtoteles. *Neceſſe eſt*, inquit, *mundum inferiorem ſuperioribus nationibus continuari, vt omnis inde virtus deriuetur.* Tertium, quod Deo qui primum & nobiliſſimum Eſſe eſt, quam proxime accedat, ideoque ab Auerroe, *locus æternorum ac diuinorum*, nominatur, quin & omnes barbati Deum ſemper in cœlo, velut in maieſtatis throno collocarunt. Quartum quod tribus præſtantiſſimis & maxime eximiis accidentibus decoratum ſit, lumine ſcil. immenſo, figura orbiculari, & motu circulari: & quidem motu duplici, naturali nempe quo ab Occidente in Orientem impellitur, & violento, qui cōtraria ratione illud impellat, ſed tanta celeritate, vt nullum ſit in firmamento punctum, quin ſub Æquatore poſitum ſingulis horis 42398432. paſſuum millia conficiat, quia viginti quatuor horarum ſpacio 1017562500 paſſuum millia peragat neceſſe eſt. Velocitas porro hæc vix poteſt mente comprehendi: credendum eſt enim tantam magnitudinem, immenſitatem, & ſpatium firmamenti eſſe, vt vnumquodque Æquatoris punctum ſub eius concauo currens, plus itineris vnius horæ ſpatio conficiat, quam aliquis noſtrum 2904. annis, licet quotidie etiam quadraginta paſſuum millia conficeret.

Lib. 2. Met.

Addo hic prætetea doctiſſimi Clauii auctoritate nixus, motum puncti firmamenti velociorem eſſe, quam motus ſit ſagittæ, aut auis, quæ in eo temporis ſpatio, quo ſemel ſalutatio Angelica recitatur, conficeret milliaria 176660. hoc eſt, circumiret pluſquam ſepties totam terram ab ortu in occaſum ſub Æquatore, cum ambitus terræ milliariorum 2250. in hoc numero 176660. contineatur ſæpius quam ſepties, quæ velocitas captum humani ingenii excedit. Hoc autem ita eſſe, facile ſibi quiuis perſuadebit, ſi attente conſideret in quarta horæ parte vix dici poſſe 60. ſalutationes Angelicas, atque adeo 240. in vna hora. Vel ſi mauis, tanta eſt velocitas motus illius puncti in vna hora, quanta eſſet alicuius ſagittæ aut auis quæ totam terram ab ortu in occaſum ſub Æquatore vna hora circumiret millies, octingenties, & octuagies & quater.

Sane quo magis rem intueor, penitiuſque conſidero, quo & magis admiror, magiſque videam omnia hæc inferiora, quamuis magna & prēclara videantur, non niſi meras nugas & vanitatem, cum cœleſti habitaculo comparata eſſe: adeo vt mundus hic inferior inſtar falſæ & deceptitiæ officinæ ſit, cuius omnes merces, creaturæ inquam, nobiliſſimæ ac præclariſſimæ nonniſi ſigna ſunt & notæ diuitiarum & mercium, quæ in ampliſſimo diuinæ maieſtatis reconditorio, cœlo inquam, continentur. Quæ mercatores viſa eſt voluiſſe imitari, qui cum plurimas & pretioſiſſimas merces in officina habeant, exterius nonniſi ſpecimen earum rudi charta inuolutum, & aliquam partē ſed vilē, repræſentant, vt ita tranſeuntes viſo ſpecimine ad emendum inuitentur. Ita quidquid in hoc mundo inferiori cernimus, ſplendorem nempe ſolis, cornua lunæ, pulchritudinem cœlorum, animalium varietatem, auium diſcrimen, metallorum productionem, montium

tium

Digitized by Google

tium altitudinem, aliaque naturæ miracula, magnus ille Deus forinſecus in magno vniuerſitatis theatro, velut ſigna & notas mercium precioſiſſimarum, quæ in cœleſti reconditorio magna abundantia continentur (in quo iuxta Pſalmiſtam *gloria & diuitiæ*,) propoſuit, vt nos ſcilicet ad eadem auro caritatis, bonorumq; operum nummis emenda inuitaret.

*Pſal.*18.

Vlterius quin etiam progredior, ac dicere audeo locum illum voluptatis contemplando, cœlum ciuitatem eſſe, mundum hunc nonniſi ſuburbia, cœlum palatium regium, mundum nonniſi equile aut bouile, cœlum patriam, mundum exilii locum videri. Vnde Apoſtolus: *inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Cum enim totius vniuerſi ſtatum cõſidero, tamq; pretioſas illic merces intueor, corpora inquam cœleſtia ſcitiſſime elaborata, planetas tanto artificio orbi ſuo infixos, ſidera tam dextre ſuo quæque loco diſpoſita, elementa creaturarum propagine fecunda, terram ſcilicet in animalium, aerem in auium, mare in piſcium genere producendo, ſolo igne ſterileſcente, nihilq; producente, ipſas quin etiam creaturas omni ex parte abſolutiſſimas, & perfectiſſimas, admiratione extra mentis ſtatum raptus, animi vlterius oculos ſuſtollo, longiuſque procedens conſidero mecum tacitus, longe ampliora, ac præſtantiora, in cœleſti officina latere. Si enim tam ſplendidum ac magnificum creator domicilium parauerit ſeruis & mancipiis, quid illum amicis, electis, & filiis feciſſe exiſtimandum eſt? *dedit illis poteſtatem filios Dei fieri,* ait Ioannes.

*Rom.*1.

*Ioan.*1.

Simile.

Si regium ingreſſus palatium, videres ipſo in introitu, loca ſeruorum, coquinam, ſtabulum, aliaque agaſonum, mulionum, lixarum, ac calonum habitacula, pretioſiſſimis aulæis conueſtita, deaurata, magnoque artificio concinnata, laqueata, incruſtata, depicta, parietes adhæc coloratos, feneſtras vitreas imaginibus decoratas, ianuas vermiculatas, porticus bene circumquaque adornatas, atq; omnia artificioſiſſime elaboratas; an non obſtupeſcens tecum ipſe diceres, Si tanta ſit pulchritudo, habitaculorum calonum & ſeruorum; quanta in cubiculis, atriis, & interiori Principis domo elucere debet magnificentia? quis ſplendor in cubiculis altioribus vbi magnates habitant, cum in inferioribus, & ipſo in ſtabulo, tantus decor & amplitudo appareat? Quid eſt, Auditores, mundus hic aliud quam ſeruorum, qui peccatores ſunt, commoratio, culina ebriorum ventriq; deditorum, quam beſtiarum, luporum inquam, vrſorum, leonum, tigriũ, draconum, viperarum, ſerpentium ſtabulum, ſi tantus tamen in his omnibus eluceat ſplendor & decor, ſi fornices eius, id eſt, cœleſtes orbes, hiacinthino colore niteant, ſi parietes eius, id eſt elementa, aulæis conueſtiti ſint, ſi turres, id eſt montium iuga, tam excelſæ ſint, ſi ianuæ, id eſt Oriens, Occidens, Septentrio ac meridies, tam ſcite compoſitæ, ſol item & luna, quæ ſunt velut feneſtræ per quas lumen ingreditur, tanto artificio cõdita, ſi cetera deniq; tam ſcite & ordinate efformata ſint, an non oculos mentis in altum tollere, vltraq; nubes & domos aereas cogitatione tranſcendere ac cogitare neceſſe eſt? ſi loca hæc infima adeo ſplendida ſunt, hæc equilia, hæc ſuilia hæc antra crocodilorũ ſpeluncæ ferarum ita niteant, quid de ſuperioribus Angelorum cubiculis, de tentoriis æternis, de atriis Beatorum, de domo Dei, deque vniuerſæ militiæ cœleſtis palatio dicendum?

Sæpius animo hoc voluebat Auguſtinus, omneſq; mundi creaturas mente percurrens, atq; inde in cœleſtia tranſcendens, exclamabat interdum admirans, *O Domine ſi tanta tribuis nobis in carcere, quid dabis in patria? ſi tanta tribuis amicis & inimicis, quid eſt quod ſeruaſti ſolis amicis* Quaſi diceret, ſi Deus mundum tam magnificum effecerit, ita eũ exornarit, in quo tamen boni & improbi, Dei electi & inimici degunt, annon credendum eſt, cœlum millenis partibus excellentius & præſtantius eſſe, cum id ſolis amicis, Angelis inquam & Beatis omnibus deſtinatum ſit?

*Med.*8. *Aug.*

Eadem ſeſe meditatione interdum communiebat Ioannes Chryſoſtomus, ita namq; in Epiſtolam ad Rom. commentatus eſt, *ſuſpiciamus cœlum, quando ſe nulla interponit nubes, & clara eſt omnis corona eius, Deind pulchritudinem aſpectus eius aliquantulum contemplan-*

tes, intelligamus poſtea ſtatum illius gloriæ tanto melius eſſ.ctum, quanto luteis teſtis aurum eſt melius.

3. Reg. 10. Allegoriam iam producamus. Regina Saba quamprimum vt Salomonis palatium ingreſſa, eiuſdem decus & pulchritudinem, atriorum cubiculorumq; venuſtatem & capacitatem, ſeruorum veſtes, mores, ordinem & modeſtiam conſpexit, è quibus omnibus de interiori ſplendore, deque Principum moribus & elegantia diiudicare potuit, admirans in terram corruit, & non manſit in ea ſpiritus Ad eundem modum anima, dum mundi huius palatium extrinſecus conſpicit, eiuſq; creaturarum pulchritudinem contemplatur, ſimulq; cogitatione ad interius cœli atrium tranſcendit, cœleſtiumque Principum Angelorum ſcilicet & Beatorum, nobilitatem & ſplendorem conſiderat, an non præ admiratione in exſtaſim rapta animi deliquium patietur?

Eia agite igitur, Auditores, locum hunc in mente gerite, præ oculis ſemper habetote ſemper animo ille inſculptus maneat, agite, oculos cordis in altum interdum attollite, &

Pſal. 98. cum Pſalmiſta admirantes exclamate, *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Locum hunc eiuſq; magnificentiam ſemper recordemini, ac nunquam mente deponite; nam tantum recordatio illius emolumentũ, & obliuio detrimentum affert, vt numquam à via mandatorum Dei qui eadem cogitat,

Eccl. 7. poſſit deflectere. vnde bene Sapiens, *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Ita porro mihi perſuadeo, ardentiſſime animarũ ſponſe, quis enim vitiis indulgeat, aut à virtutis ſemita deflectat, cum per peccatum cœleſtis gloriæ diſcrimen incurrat? Profecto, de me vt loquar, Domine, ita me eiuſdem gloria & dignitas tranſuerſum agit, vt quamuis vniuerſum mundum lucrari queam, & imperium orbis inſtar Alexandri, obtinere, imo mille mundos acquirere, modo peccato conſenſum præbeam, hodie firmiter proponam, numquam huiuſmodi facinus admittere, ne forte iure meo excidam, hæreditate cœleſti, quam exſpecto, quamq; filius eius ſanguine ac cruce nobis ſua acquiſiuit, in æternum priuer. Omnium itaq; potius iactura fiat, quam cœli, loci illius iucundiſſimi altiſſimi, in ſummo mundi cardine conſtituti, ac proinde nobiliſſimi, omniumque locorum in rerum natura exiſtentium præſtantiſſimi, loci quem palatium diuinæ maieſtatis tuæ, in domicilium Angelorum, in ſanctarum animarum receptacula, delegiſti. Valeat mundus, valeant eius ineptiæ ac nugæ, valeat eius fucus & ſplendor vitreus, viuat cœlum, viuat requies illa ſuauiſſima, viuat in anima illius perennis memoria, memoria inquam domicilii, voluptate & deliciis redundantis. Viuat deniq; locus æternæ beatitudinis, ad quam nos perducere dignetur Pater & Filius, ac Spiritus ſanctus, Amen.

FERIA TERTIA.

DE BEATIS, COELI INCOLIS.

Partitio.

1. *De felicitate beatorum.*
2. *De Sanctorum æternitate.*
3. *An eadem ſit aut diſpar gloria Sanctorum.*
4. *De Aureola Sanctorum.*

Memorare nouiſſima tua, *ac beatitudinem imprimis ſanctorum cœlo receptorum*, & in æternum non peccabis, *Eccleſ. 7.*

FIGVRA.

AQuila illa Euangelica Ioannes, quæ inter omnes, tam ſublime euolauit, vt diuinæ eſſentiæ ſolem quam proxime conſpexerit, vidiſſe ſe ſe in Apocalypſi ait, magnam hominum turbam, quam nemo dinumerare poterat, ex omni natione, populo, tribu, lingua, loco collectam ſtantem ante thronum & agnum, albis veſtibus indutam, palmas manibus geſtantem, laudemque Deo & hymnos concinnentem. Cum myſtici huius emblematis ſenſum inueſtigarem, Apoc. 7.

beatam

Digitized by Google

beatam Beatorum ſortem hic ad oculum exprimi perſpexi, & per turbam illam omnes Sanctos ex omni natione & populo congregatos, albis innocentiæ veſtibus indutos, palmasque in victoriæ ſignum manibus geſtantes deſignari, qui ante thronum diuinæ maieſtatis conſiſtentes, iucundiſſimos aſſidue hymnos Deo Opt. Max. ſine fine concinunt, & harmoniam edunt ſuauiſſimam. Latius hoc vobis hodierna die deducere eſt animus, modo ſolita S. Spiritus aura afflet, & virgo Deipara intercedendo apud filium & agnum non deſit. Quocirca Angelicam illi ſalutationem offeramus.

AVE MARIA.

I. Potentiſſimus ille Iſraëlitarum Rex, Judæorum Hercules, Philiſthæorum terror, celeberrimus Eccleſiæ Prophetes Dauid, cū diuina in hominum genus collata beneficia, interea dum adhuc in terris agerent, ſecum

Pſal. 8. perpenderet, admirans exclamat: *Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Annon enim ingentis amoris teſtimonium eſt, quod homo ſtatim à ſuæ creationis primordio rex à Deo fuerit conſtitutus, imperiumque in piſces maris, in volucres cœli, inque omnia terræ animalia obtinuerit, & pedibus eius ſubiecta ſint: cœlum quoque & elementa, terra & orbis ob vnicum hominem condita, vt iiſdem frueretur, recrearetur, & dominaretur.

Deus admirabilis eſt in Sanctorum gloria.

Verum enimuero, ſi pius ille princeps tantopere admiratus eſt, quod in orbis creatione in hominis gratiam peractum eſt, quādo nimirum omnium rerum dominium in eum eſt collatum, quid dixiſſet feciſſetq;, ſi, quæ Deus in gloriam Sanctorum, & ad Beatitudinem electorum complendam præſtitit, conſideraſſet: hic ſcil. pleno ore exclamaſſet:

Pſal. 8. *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum*, & affectus erga hominem incredibilis! cum, vel ſemel tantum hoc perpendens, obſtupeſcendo aliud nihil dixerit, quā

Pſal. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.* Quaſi dixiſſet: Mirabilem quidem ſe in hominis creatione Deus reddidit, & deinde in eiuſdem redemptione multo mirabiliorem, maxime tamen beatitudine quam eidem præparauit. Occaſionem ſc. hominibus dedit, ſed vt admirarentur cum vniuerſam hanc rerum machinam condidit, elementa ſuo quæq; loco diſpoſuit, vētis alas addidit, Oceani fluctus cōpeſcuit & compoſuit, montes adaptauit, valles depreſſit, arboribus radices, Eſſe mineralibus, vitam animalibus, hominibus vero intelligentiam attribuit, ac præſertim cū Sanctis gloriam ſempiternam præparauit.

Hic nempe inſignes Veteris Teſtamenti figuræ complentur. Tunc ſcil. diues ille Rex Ezechias potentiæ ac magnitudinis ſuæ theſauros reſerando eoſdem legatis Babylonijs, *4. Reg. 20.* id eſt, hominibus, Babylone, id eſt, mundo profectis, oſtendit ac communicat. Tunc maximus ille Monarcha Aſſuerus, qui non centum viginti ſeptem, ab India vſque in Æthiopiam, ſed ab vno polo ad alterū, & quatuor mundi cardinibus imperat, quo magnificentiam ſuam demonſtraret, ſplendidum æternæ beatitudinis epulum optimatibus regni, id eſt, Angelis, & ſubditis, nō modo, qui in Suſis, ſed, qui in magna mundi ciuitate commorantur præparat. ô epulum vere regium ac lautum! quod iam à quinque annorum millibus durat, & non abſumitur.

Tunc quoque Joſeph, quamuis male olim à fratribus; nobis, inquam, habitus, totius Ægypti mundi huius Princeps ac Dominus conſtitutus, Jacobi filiis, fame & inedia oppreſſis, gloriæ horrea aperiet, beatitudinisq; æterno grano ſaturabit, Joſephi Patriarchæ verba idētidem repetens: *Imple ſaccos*, id eſt, *Gen. 44.* capacitates, animæ & corporis Sanctorum meorū *frumento*, gloriæ & fælicitatis, *quantum poſſunt capere*, id eſt, vnicuique iuxta merita: illæ quidem figuræ, iam etiam parabolas producam.

Tunc etiam benignus ille paterfamilias humaniter & clementer filios illos prodigos, paterna olim domo egreſſos, & tandem; omni, gratiarum & chariſmatum ſubſtātia conſumta, è peregrina illa mundi regione, in qua dudum errauerant, per diuturnam pœnitentiam reuertentes, recipiet, amplectetur, fo-

Digitized by Google

uebit, ſtringet, magnoque affectu exoſculabitur, dicens: *Cito proferte ſto am primam, & induite illos, & date annulum in manibus eorum, & calceamenta in ped s eorum*, ſtolam nempe immortalitatis, veſtimenta gloriæ, annulum æternitatis, & calceamenta certitudinis. *Luc 15.*

Tunc homo ille rex, qui nuptias filio ſuo in cœlorũ habitaculo parauit, dicet electis, qui iam inde a primordio mundi, per æternam prædeſtinationem, ad eaſdem inuitati erant. *Omnia ſunt parata, tauri mei occiſi ſunt, venite ad nuptias*; numerus electorum completus eſt, martyres occiſi, nihil reſtat aliud quam vt intretis, & epulo reficiamini. Tunc clamabitur, quod olim clamabat in Canticis Sponſa: *Bibite amici, & inebriamini chariſſimi*; bibite calicem æternæ fœlicitatis, vos martyres, Apoſtoli, & quotquot me olim ex animo dilexiſtis, bibite vt tandem inebriemini. Aliquid hic inſinuat Pſalmiſta, dũ ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis illos.* An non igitur Deus hic ſe penitus admirabilem reddit? An non hæc Sanctorum gloria vobis incredibilis videtur? an non eorum ſortem beatiſſimam prædicabitis. *Matth. 22.* *Cant. 5.* *Pſal. 35.*

Scriptura Sacra cum electorum ſortem deſcriberet, reges eos vocat & coronas capite geſtantes. Ita namque in Apocalypſ. legitur: *In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores, ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Scio per Seniores hos, Eccleſiaſtas à Gregorio Magno intelligi; ſed Gloſſa ordinaria, Richardus de S. Victore, Rupertus, aliique de illuſtrioribus Sanctis verba eadem accipiunt, tam de noui quam de veteri Teſtamẽti, quales ſunt duodecim Patriarchæ & duodecim Apoſtoli, qui pariter numerum vigeſimum quartum conficiunt: Equidem de omnibus, Beatis in genere intelligo quia numerus duodenarius, plurimum in Sacris libris, vel is ipſe duplicatus, viceſimus quartus pro vniuerſitate accipitur: deſcribuntur autem vt ſenes, quo eorum ætas, ſortiſq; eorum perpetuitas deſignetur. O quænam ætas, quænam felicitas, ecquæ beatitudo! nondum igitur vobiſcum quam ingens eadem ſit, imaginamini? *Apoc. 4.* *Lib. 1. reg. c. 9.*

Cæterum ex bonitate & liberalitate, quã in hac vita diuina erga nos maieſtas, tum remunerandis iuſtorum meritis, tum in compenſandis virtutibus moralibus impiorum oſtendit, Beatorum gloria & mercedis eorum amplitudo colligi poteſt. Si enim tantam in hac lachrymarum valle munificentiã ac largitatem declarat, quam ampla eſſe debet merces, quum in cœlo electis præparauit! Ita nempe argumentatur Auguſtinus in Soliloquiis: *Si me Domine pro hoc corpore ignobili & corruptibili tam magna & innumera beneficia præſtas, à cœlo & ab aere, à terra & à mari, à luce & à tenebris, ventis & pluuiis, qualia, quæſo, & quam magna & innumerabilia erunt illa bona, quæ præparaſti diligentibus te in illa cœleſti patria, Vbi te videbimus facie ad faciem: Si tanta nobis facis in carcere, quid ages in palatio: Si tanta ſolatia in hac die lachrymarum, quanta cõferes in die nuptiarum.* O vere diuina ac plane cœleſtis meditatio!

Dei erga peccatores liberalitas. Similem propemodum habet in paraphraſi Pſalmi 83. *Bona cogitate & conſiderate, fratres, quæ dat Deus peccatoribus, & hinc intelligetis, quæ ſeruet ſeruis ſuis fidelibus: blaſphemantibus eum quotidie, dat cœlum & terram, dat fontes, fructus, copias, vbertatem, qui talia peccatoribus dat, quid eum putas ſeruare fidelibus ſuis?* Nec ſolus Auguſtinus ex rebus inferioribus ſuperiorum dignitatem, Beatorumque felicitatem, ex viuentium ſorte dimenſus eſt: ſed & Fulgentius, Epiſcopus Ruſpenſis, referente Surio, die 1. Ianuarij, cum in Arianorum perſecutione Romam veniſſet, Senatorum amplitudinem maieſtatemque, populi multitudinem, antiquorum marmorum decus, pyramidum antiquitatem, Amphitheatri ſplendorem, opumque ac luxus affluentiam eſſet contemplatus, ad ſe mox reuerſus, dicere cœpit adſtantibus: *Quam ſpecioſa poteſt eſſe Ieruſalem cœleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris, & ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præſtabitur ſanctis diligentibus veritatem?* An non præclara vobis hæcce videtur ratio? *S. Fulgentij dictum.*

Tom. 3. in vita S. Procopij. S. Procopius Gazenſium Epiſcopus, cum Surius Conſtantinopolim veniſſet, eo tempore quo Theodoſius iunior Imp. ad baptiſmum

mum portabatur, & pompam magnificentiamque imperialem, quæ tum peragebatur, vidiſſet, dicere cœpit: *Si ea quæ paulo poſt euaneſcunt, tantam habent gloriam, quanto magis cœleſtia, quæ parata ſunt Sanctis Dei.* Tanta namque eadem ſunt, Beatorumq; cœlo perfruentium ſors adeo læta & fœlix, vt ſi eam ſemper ob oculos haberemus, nunquam amplius diuinam maieſtatẽ offenderemus: vnde veriſſimum eſt axioma Sapientis: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Atq; hoc eſt ſtadium, in quo hodie mea decurret oratio, & quidem in bigis, primo dicam magnitudinem gloriæ Beatorum, ſecundo diſquiram, num eadem omnium ſit beatitudo, & num vnus alterum beatitudine antecellat. Primum igitur incipiamus.

Eccleſ.7.

III. Tria ſunt, quæ Beatorum ſortem commendabilem reddunt.

III. Tria ſunt quantum colligere poſſum, quæ beatorum ſortem admirabilem reddunt, primo ipſa eiuſdem duratio, quæ non in centũ, aut mille, decies mille, aut millies mille annos, ſed in omnem æternitatem extenditur. Vnde apud Danielẽ legimus: *Fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtella in perpetuas æternitates.* Et apud Eſdram: *Parati eſtote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis, per æternitatem temporũ.* Et apud Apoſtolum: *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sed omnium certiſſima eſt promiſſio illa Saluatoris apud Joannem: *Qui credit in me, habet vitam æternam;* Adeo, vt cum beatitudinis huius duratio perpetua ſit, gaudia & voluptates, quæ eandem comitantur, perpetua quoque ſint & perennia, & nunquam finem habitura. Non erũt illic gaudia qualia tua ſunt ô munde, quæ vere gaudia appellari nequeunt, eo quod breuia ſint, & mox vt exorta euaneſcant, gaudia, inquam, quæ ſemper à lachrymis quam proxime excipiunt, & in dolores deſinunt, *Extrema namque gaudij*, vt ait Sapiens, *occupat luctus:* gaudia fugacia & momentanea, quæ vix momento permanẽt, & inſtar venti in aures ſubito euaneſcunt. Vnde Job: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, per hypocritam hunc intelligamus mundũ, qui inſtar hypocritæ & ſimulatoris perfidus eſt proditor, inconſtans, & vafer.

Dan.12. *4.Eſdr.2.* *2.Cor.4.* *3.Ioan.6.* *Prou.14.* *Iob.20.*

Mundi gaudia breuia ſũt.

Adhæc gaudia hypocritæ huius facile cõuertuntur, non ſunt permanentia, vix enim deliciæ locum aliquẽ ingreſſæ ſunt, quin ſtatim luctus, triſtitia, lachrymæ, & angore ianuam pulſent, Audiamus quid Propheta dicat: *Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* id eſt, mane riſus, veſperi ingruent lachrymæ, ſi dies oriens delicias & voluptates afferat, ſerus veſper luctũ vehet. Teſtis ſit huiuſce meæ ſententiæ domus & familia Job, omnes ecce filij eius nonniſi de riſu deliciiſq; loquebantur, & ecce mors & repentina calamitas imminebat. In palatio Baltaſſaris Regis nonniſi de epulis & conuiuiis ſermo erat, & ecce repente luctus & dolor, & inexſpectata Regis fata præ foribus.

Pſal.29. *Iob.8.* *Dan.5.*

Gaudia cœli æterna ſunt.

At non ita de cœleſtibus gaudiis ſentiendum; hæc ſiquidem in perpetuũ permanent, & abſolute vt loquamur, æterna ſunt & ſempiterna. Teſtatur idipſum Propheta, dicens: *Gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum.* Et præterquam quod perennia ſint & permanſura adeo etiam grandia ſunt & ingẽtia, vt nõ ſpiritus modo ac facultates animæ, ſed oſſa ipſa, parteſque corporis animæ expertes eadem expertura ſint. Teſtem huiuſce opinionis habeo Pſalmiſtam, dum ad Dominũ lachrymans ait: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata*, i. ita aliquando, ſpero quidem Domine, aures meæ in cœlo angelica harmonia demulcebuntur, vt incredibili non modo intrinſecus & in anima, gaudio perfundendus ſim, ſed & oſſa mea ingentem lætitiam habitura, adeo, vt & præ gaudio exultatura ſint.

Eſai.65. *Pſal.50.* *Cant.5.* *Apoc.3.*

Beati columnis comparantur.

Et quoniam gaudia hæc æterna ſunt, ideo Beati in Sacris litteris columnis comparantur: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & ſcribam ſuper eum nomẽ Dei mei.* Reſpicit promiſſio hæc futurum Sanctorum ſtatum, in quo Beati inſtar columnæ firmi perſtabunt, nulli mutationi aut caſui obnoxij, ſed de ſua ſorte ſecuri & certiſſimi. Figura huius rei ſunt columnæ illæ argẽteæ, queis thronus Salomonis innitebatur, quarum in Canticis Canticorum eſt mentio: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas*; atque in hunc ſenſum eas interpretatus eſt venerabilis Beda. Figura item ſunt ſexaginta illæ columnæ de lignis Cethim, argenteis laminis cõueſtitæ, æreiſque

Digitized by Google

que baſibus innixæ, quibus Tabernaculum Moſaicum fulciebatur, quia, cum Sancti æneo ſemper, dum viuerent, pectore fuerunt, id eſt, in rebus aduerſis infracti & inuincibiles, diuinarumque rerum contemplatione velut laminis argẽteis cooperti, ideo in cœlo inſtar columnarum perſeuerant firmi, immobiles, de ſua beatitudine ſecuri, nulli cõmutationi obnoxij, quod & illis Pſalmographi verbis confirmari poteſt: *Ego confirmaui columnas eius.* Pſal.74.

Porro columnæ hæ in cœlo erectæ, regiũ in tergo Meſſiæ nomen inſcriptum gerent: Chriſtus enim morte ſua ac paſſione promeruit, vt tot animæ, velut pyramides triumphales, æternaque victoriæ & triumphi ſui monumenta, in cœlo erigerentur. Quot hic Deus bone, pyramides, quot hic arces videre erit? Trecentas quidem vno die Athenienſes, teſte Plutarcho, Demetrio Phalerio optime de repub. merito erexere: ſed ipſa nos docet fides, plures in cœlo in honorem IESV CHRISTI, qui Deus ſimul & homo eſt, quique tam de cœleſtibus quam terreſtribus, de Angelis ſimul & hominibus bene meritus eſt, columnas & monumenta victoriæ erecta eſſe: & quidem tot, vt Apoſtolus eaſdem ſe numerare vix poſſe dicat: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Apoc.7.

Iterum igitur repeto, beatitudinem ciuium ſupernorum mutari non poſſe aut terminari, ſed perennem ac perpetuam eſſe. Præclarũ mihi hic Pſaltes teſtimonium ſuggerit cum Jeroſolymitanæ ciuitati loquens, ait: *Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.* Pſal.147. Qui de cœleſti Jeruſalem analogice hunc interpretantur, deque gloria Beatorum hic ſermonem fieri putant, optime mihi ſenſiſſe videntur: nullus enim inimicus iis amplius nocere poterit, nullus obtritis portis, beatitudinem eripere, ſed de ſua ſalute ac felicitate ſecuri, æterno gaudio perfruentur. Idem innuere in Apocalypſi ſua voluit Joannes, dum vidiſſe ſe ait paruulos *ſtantes ante thronum Dei*, quo ſitu corporis conſtantia, & gloriæ immobilis perpetuitas deſignatur. Apoc.7.

Nobile illud ac percelebre tabernaculum Moyſis, q varijs myſteriis ſcatebat, quodque hyanthinis pellibus coopertum, cœli intuentibus ſimilitudinem reddebat, vt Joſephus ait, gloriæ quoque cœleſtis ſymbolum fuit, ipſum enim de lignis Cethim, quomodo apud Hebræos Cedri nuncupantur incomputribilibus compactum erat: vt hinc euidens fieret, Sanctorum felicitatem nullo vnquam tempore corrumpendam, nulli mutationi obnoxiam eſſe, ſed ſemper incorruptam permanſuram. Lib.3.Ant.

Ecce & aliam figuram. Ciuitas illa, de qua in Apocalypſi, quadrata erat, & figuræ cubicæ, quæ conſtantiæ & firmitatis ſymbolum eſt, quæque eundem ſemper quaquauerſum aſpicientibus intuitum reddit: porro primũ murorum huius vrbis fundamentum conſtat ex Iaſpide, qui ſecuritatem deſignat: nam is, vt naturalium rerum ſcriptores aiunt, audaciam meticuloſis addit, & in aduerſis hominem infractum efficit. Omnia hæc ſignũ eſſe putem ſortis beatorum ciuium cæleſtis Jeruſalem, cuius ſortis primum fundamentum eſt ipſa ſecuritas, & quadratura æternitatis, quæ ſemper eadem eſt, quibus omnibus permanens & immutabilis eorum beatitudo deſignatur. Apoc.21.

Loci dignitas in quo ſancti agũt eorum gloriam auget.

Secundum, quod eorum fœlicitatem & gloriam admirabilem reddit, eſt ipſa loci, in quo commorantur, dignitas & ſplendor, de quo heri abunde locuti ſumus: tamen dicendum reſtat, loci huius pulchritudinem & venuſtatem, magnum & electorum gaudia momẽtum afferre: loci, inquam, quem Deus in habitationem ſibi delegit, loci in loco vnde omnia loca conſpici poſſunt conſiti, loci de quo hoc diuinum Anſelmi exſtat elogiũ: *In eo eſt vita ſine morte, iuuentus ſine ſenectute, ſanitas ſine infirmitate, requies ſine labore, gaudium ſine triſtitia, pax ſine diſcordia, lux ſine tenebris, delectatio ſine faſtidio, agilitas ſine ponderoſitate, fortitudo ſine imbecillitate.* Lib.ſimil. c.16. O igitur locum amœnum & iucundum! Quis de ſimili audiuit vnquam? Quam gratum ſcil. & volupe erit, habere Deum ſupra, Angelos ad latus, tot ſoles ante, tot ſtellas infra & omnẽ aëream & ſublunarem regionem ſub pedibus? O locum inæſtimabilem, qui nimirum omnes cœleſtes orbes infra ſe videt! eorum namque ſcitiſſimus ſitus, magnitudo immẽſa, ex-

ſa, eximia pulchritudo, motus temperatus, & velut ad numerum compoſitus, celeritas adhæc & conſtans motuum varietas, admirationem & amorem mortalibus afferunt.

Locus hic, Philoſophi, non eſt amplius capax corporis grauis, ponderoſi, & naturalis, ſed leuis, ſubtilis & glorioſi: locus qui nunquam mutatur, ſed ſemper idem permanet, cuius finis ipſa eſt æternitas: locus denique in quo nulla corruptionis, generationis, aut peccati eſt mentio: adeo vt quicunq; ad eundem peruenerunt, ab omni huiuſmodi defectu ſe liberos, & ab omni peccandi poteſtate in æternum immunes eſſe, cõfiteri queant. Et ſane ex huiuſmodi beatitudine, tanta in modum gloriꝗ accidentalis in intellectum Beatorum propter ſummi quod adepti ſunt boni fruitionem, delectatio, tantaque in eorum voluntatem redundat rectitudo, vt nũquam peccare amplius, aut à iuſtitiæ tramite poſſint deflectere. Locus enim hic & peccata ſunt impatibilia.

Sancti in cœlo peccare nequeunt.

Strab. l. 10.

Nam vt Naturalium rerum ſcriptores aiunt, Cretam maris mediterranei inſulam neſcio quo occulto naturæ miraculo, veneni expertem eſſe, & nullos ſerpentes alere, aut quidquam noxium. Ita dicere poſſumus: cœli incolas ab omni peccato immunes eſſe, nullumque peccati virus, aut immunditiam apud illos dominari. Locus nempe hic & venena, territorium hoc regium & letale animæ virus, incompatibilia ſunt: nam cum Beati ſemel eodem peruenerint, credẽdum eſt eos in gratia confirmati, imo ne de peccato quidem cogitare poſſe.

Credebat Origenes Beatos peccare poſſe.

Hæc dixi, vt Origenis errorem confutarem, credebat enim ille, iam à mille quadringentis annis, Beatos qui cœlo comprehenduntur, adhuc peccare poſſe, primumque librum de Principiis tetra erroris huius fuligine denigrauit: homilia vero decimatertia in Lucam ſcripſit, Angelos interdum in vitia prolabi. Eodem in errore verſatus fuit Iacobus Faber Stapulenſis vt ex opuſculo de tribus Magdalenis videre eſt, ſed hunc apertiſſimis rationibus refellit Bartholomæus Medina magni nominis & eruditionis vir, qui bene de Fabro hoc vſurpari poſſe adagium illud ait, *Tractent fabrilia fabri.* Eſt namque omni certo certius, peccatum cœleſti habitaculo exulare, nullique Beatos peccandi propenſioni obnoxios eſſe: eſſet enim incerta eorum felicitas, nec gaudium eorum integrum ac plenum foret, falſoque Dominus dixiſſe conuinceretur, *vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

Ioan. 16.

Vnde fiat Beatos non poſſe peccare.

Lib. 4. ſent. diſt. 49. q. 6.

Sed qui hoc fiat, & vnde facilitas hæc, qua à peccato immunes ſunt, oriatur, diſputant in ſcholis Theologi, eſtq; quæſtio ſatis perplexa. Scotus namque monſtrum illud ingenii, nullam aliam huiuſce impeccabilitatis cauſam dari poſſe exiſtimauit, quam merum Dei beneplacitum, & legem quandam extrinſecam, qua magnus ille Princeps in æternum diuinæ viſionis fruitione Beatos beare, in eiſque amorem eſſentiæ ſuæ ſuper omnia inuiolabiliter conſeruare voluit: hic autem amor omnia peccatorum & ſcelerum genera ab eorum voluntate excludit, adeo vt nunquam in aliquam prauam propenſionem cõcurrere, aut conſenſum in peccatum præbere velit: idque ideo fieri ait, quod voluntas inſtar Regis abſoluta & libera ſit, & à nemine cogi poſſit.

1. 2. q. a. 4.

Huius autem opinionis non eſt D. Thomas, ſed putat è contra, omnia hæc è natura beatitudinis originem ſumere, hancque impeccabilitatem, qua Sancti donata ſunt, referri debere ait, in continuam diuinæ eſſentiæ viſionem: ita namque illi hanc intuendo rapti ſunt, vt oculos ab eadem aut voluntatem nequeant diuertere, aut mente iniquum quid & nefarium quod aduerſus Deum reſultet concipere. Quod hac ratione confirmat. Quod, inquit, bonum communiter agit in homine, interea dum hic adhuc peregrinamur, idipſum in beati alicuius voluntate efficit diuina eſſentia: atqui voluntas viatoris, interea dum hic agit, ita bono in genere copulata eſt, aliud vt nihil deſiderare, præter idipſum queat, omniaque quæ hic diligimus velut bona vel ſaltem ſub boni ſpecie, amplectamur. Voluntas igitur comprehendentis & Beati, nihil deſiderare poteſt, quod non diuinæ eſſentiæ vſquequaque reſpondeat, nihil proinde niſi ſolam virtutem, & nullum vitium. Sed cœptam materiam proſequamur.

Tertium

III. Conſortiũ cum quo Beati agunt eorum gau dium amplificat.

Tertium quod Sanctorum beatitudinem mirum in modum exaltat & exaggerat, eſt ipſum conſortium & ſodalitas, cum qua in perpetuum agunt. an non enim magnũ quid & præter commune hominum votum ſit, ſemper coram diuina maieſtate apparere, cum Cherubin & Seraphim perpetuo verſari, cum Poteſtatibus, ac Principatibus nunquam non agere, Angelorum denique commercio gaudere? An non ingens quoddam gaudium ſit, cum omnibus qui vnquam vixere Sanctis viuere, cum naturæ principibus degere, in ipſo Angelorum palatio, & inter cœleſtes optimates? ſocietatem hanc mirum in modum Pontifex exaltat Gregorius, *Ibi hymnidici Angelorum chori ſocietas ſupernorum ciuium, ibi dulcis ſolennitas à peregrinationis huius triſti labore redeuntium, ibi prouidus Prophetarum cœtus, ibi index Apoſtolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus.* O ſodalitium exoptandum, ô viciniam felicem vere ac beatam!

Homil. 14. ſuper Euangelia.

Phocion Athenienſium dux cum domum quandam venum exponeret, ſimul edixit, bono eam vicino gaudere, non litigioſo ſc. aut vinoſo, exiſtimabat ſc. hanc proprietatẽ non parum ad eius bonitatem conducere. Vbinam vos eſtis Chriſtiani? hæreditas illa cœleſtis, quæ tot iam annis non ingenti pretio diuendenda, ſed dono propoſita eſt & vltro oblata, optimo ſita eſt loco, bonos & faciles habet vicinos: Angelos nimirum & Sanctos: inuitet vos hæc vnica conſideratio oportet, vt eam vobis comparetis. Hoc ſpectabat vates regius cum diceret, *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi*, ipſa ſcilicet Sanctorum ſocietate & vicinitate commendabilis. Offert hanc nobis quotidie non pretio, ſed gratis Deus, publica præconis, id eſt ſacræ ſcripturæ voce edicit, bonis eam vicinis, circumdatam eſſe, omni nimirum cœli terræque nobilitate: atque hoc per Eccleſiæ ſuæ doctores nullo non tempore promulgauit, & imprimis per D. Auguſtinum, *Cum tranſierit*, inquit, *gemitus noſter, omnes vna voce, in vno populo, in vna patria conſolabitur, millia millium coniuncta pſallentibus Angelis, & choris cœleſtium poteſtatum, in vna ciuitate viuentium.*

Pſal. 15.

Super Pſal. 35.

Quod autem beatitudinem, quæ in hac iucunda ſocietate conſiſtit, magis admirabilem reddit, eſt ſummus in tanta Sanctorũ multitudine & varietate animorum conſenſus & incredibilis vnio. Admiratur hoc pſaltes dum canit, *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum:* hanc porro ſocietatem vnguento pretioſiſſimo ex variis odoramentis, myrrha, balſamo, & cinnamomo compoſito, quo ſummi Sacerdotis vertex inungi ſolebat, comparat, *ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron:* Ait inſuper gloſſa Ordinaria, duos illos Cherubin, quos Salomon in templo Domini collocauit, eiuſdem magnitudinis & æqualis proportionis exſtitiſſe: hæc autem vtriuſq; ſimilitudo & æqualitas, vnionem, qua Sancti qui in cœlo inſtar Cherubin & Angelorum ſunt, inter ſe vniti ſunt deſignat.

Pſal. 132. Ibid. 3. Reg. 6.

Doctiſſimus Auguſtinus Pſalmum 150. explicans, ait hunc totum de Beatis intelligi debere: & addit è variorum inſtrumentorum muſicorum, quæ illic recenſentur, vt ſiſtrorum, pſalteriorum, organorum, cymbalorũ, tympanorum, diſſona conſonantia, Beatorum vnionem & animorum inter ſe conſenſum optime denotari. Quamuis enim illi beatitudine differant, & gloria, inter ſe tamen quam optime conueniunt, nec vel minimum alter ab altero diſcrepat. Verba illius producamus, *Habebunt*, inquit, *etiam tunc Sancti differentias ſuas conſonantes, non diſſonãtes ſicut concentus ſuauiſſimus fit ex diuerſis quidem, ſed non aduerſis ſonis.*

In Pſal. 150.

Hic ſiſte ô anima mea, & tecum obſecro, cogita, quanta in cœlo ex tam læto ac iucundo conſortio voluptas oriatur, quam iucundum ſit videre, ingentem illam Sanctorum multitudinem ex omnibus tribubus, & populis & linguis congregatam, coram diuinæ maieſtatis throno conſiſtentem! quam volupe ſit in vnico momento tot Angelorum millia Domino gloriæ miniſtrantia cernere: *Millia millium*, ait Daniel, *miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Et Paulus, *Multorum Angelorum frequentia, & Eccleſia primitiuorum qui conſcripti ſunt in cœlis:* quorum ordinem & in hierarchias diſtributionem Origines ordini, quem duo [illegible]

Dan. 7. Heb. 12. Num. 3.

tribus circa tabernaculum conſtitutæ tenebant, aſſimilauit.

Tanti porro Dauid rex ſodalitii huius dignitatem faciebat, apertè vt confeſſus fuerit, malle ſe vno die iucundo huic conſortio intereſſe, quam toto vitæ tempore, imo mille annis, ſplendidiſſima palatia incolere: *Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia* in quæ verba S. Auguſtinus ita commentatus eſt, *Tanta*, inquit, *pulchritudo iuſtitia, iucunditas lucis æternæ, hoc eſt incommutabilis veritatis, vt etiam ſi non liceat in ea amplius viuere, quam vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ, pleni deliciis & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoque contemnerentur.*

Pſal. 83. In Pſa. 83 & l. de lib. arbitrio.

Ipſum & Iſaias tribus verbis explicauit, ſed quæ multis periodis æquiualeant. *Dicite iuſto quoniam bene* verba quidem pauca, & breuis oratio, ſed plena emphaſi, ampliſſimumque ſenſum includens, an non enim præclara, ne dicam diuina, Sanctorum ſors eſt, qui Dei conſpectu & Angelorum familiaritate perfruuntur. Nullus profectò par haberi bonus in mundo poteſt, quippe qui omnem honorem excedat, quem dum Propheta regius perpenderet, admirans ait, *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*, quod diuino tuo conſpectu perpetuo fruantur, & Angelos & Archangelos velut ſocios & ſodales habeant. Quin & alibi gloriam hanc exaggerans exclamat, *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat? ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui*, Angelis & Archangelis; qui omnium creaturarum ſunt nobiliſſimi.

Iſai. 3.

Pſal. 138.

Pſal. 112.

Magni quidem fuere honores, ad quos in Perſide ab Aſſuero Mardocheus, & in Ægypto à Pharaone Ioſephus euectus fuit, quos & Sacra ſcriptura demiratur: at longe maiores eminentioreſque ſunt illi, ad quos Electos ſuos Dominus ſublimat in cœleſti habitaculo: triumphus eorum immortalis eſt, eorum Eſſe non deficiet, ſors eorum æterna, conditio interminabilis, gloria infinita, felicitas ſecura. & voluptas nullo vnquam æuo interrumpenda. *Sic, ſic honorabitur quem*

Gen. 14.

rex voluerit honorare. Ipſe quoque redemptor noſter Chriſtus dignitatem hanc exprimere geſtiens, in Euangelio ait, minimum Sanctorum, qui in cœlo commorantur, maiorem fore S. Ioanne Baptiſta, interea dum hoc in mundo ageret, *Amen dico vobis non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, inter natos mulierum, qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo.* Ecce, primogenitus ille Zachariæ, puer ille verè admirabilis, miraculum illud mundi, lux illa Iudææ, quamuis magni apud omnes haberetur, & ſingularibus à Deo priuilegiis donatus eſſet, vt qui ſine peccato originali natus ſit ſemperque à peccato immunis vixerit, digito æternum Patris Verbum monſtrauerit, eique baptiſma contulerit, ad quem ſynagoga honoris ergo legatos deſtinarit, qui à multis pro Meſſia in lege promiſſo ſit habitus, quem Prophetæ Angeli nomine decorarint, hic inquam, quamuis foret huiuſmodi minimo tamen Sanctorum regno cœleſti receptorum, in gloria, dignitate & eminentia cedat neceſſe eſt. O rem, niſi CHRISTVS aſſeruiſſet, incredibilem!

Eſth. 6.

Matth. 11.

Regina illa ab extremo Oriente profecta, dum palatium regis Salomonis eſſet ingreſſa, viſo ſplendore & magnificentia eius, adeo conſternata eſt, vt ſeruos illius & domeſticos beatos prædicarit, *Beati viri tui, & beati ſerui tui hi, qui ſtant coram te ſemper & audiunt ſapientiam tuam:* quod ipſum & alibi repetitur. Merito quidem hæc dicere potuiſſe videris, ô regina, ſed potiori nos iure de Sanctis, incolis illis aulæ cœleſtis: ſummi Dei ſeruis, beatis illis ſpiritibus repetere eadem poſſumus, *Beati ſerui illi*, qui diuinam maieſtatem ſemper ante oculos habent, & æternam illam ſapientiam in perpetuum audire merentur. Reſpexit huc vates regius, dicens, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Hac loquendi ratione vſus eſt & Angelus cum Ioanne, *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt*, & additur, *Et dixit mihi, Hæc verba Dei vera ſunt:* perinde ac ſi diceret, Vere hi, qui ad æternæ beatitudinis nuptias per occultam & inſcrutabilem Dei præſcientiam ac præde-

3. Reg. 10. 2. Par. 9.

Pſal. 83.

Apoc. 15.

Lutherus ſerm. de natiui. B. Virgin.

à cæteris Sanctorum in beatitudine differre, ſed blaſphemum hoc eſt, erroneum eſt, hæreticum eſt.

Nam communis omnium Catholicorum opinio, quæ & per fidem confirmatur, aliquam & quidem magnam inter Sanctos & Dei electos diſtinctionem eſſe, nec eandem omnium ſortem. Hanc adſtruit & aſſerit in prima parte D. Thomas, *1.p.q.12. art.6.* atque alios aliis fœliciores & beatiores fore: ac proinde non pari eſſentiam diuinam modo ab omnibus videndam; non quidem propter naturalium in ſingulis facultatum diſcrimen, aut intellectus, quo videtur, viuacitatem aut ſtuporem, cum ipſa beatitudinis ſupernaturalis proportio non ſecundum vires naturales, neve ſecundum obiectum ipſius eſſentiæ conſiderari debeat, cum plenißime eandem omnes intueantur & ſinguli. Sed propter inæqualitatem luminis gloriæ, quod vnicuique iuxta caritatem, quam in viuis habuere, magis aut minus communicabitur. Mille id è Sacra Scriptura locis confirmari video, primo ex Epiſtola ſecunda ad Corinthios: *2.Cor.1.9.* *Qui parce ſeminat, parce & metet.* & prima: *1.Cor.3.* *Vnusquiſque propriam mercedem recipiet ſecundum laborem ſuum.* Porro, vt obiectioni & argumento, quod Iouinianus è parabola de vinitoribus hauſerat reſpondeamus, dicamus cum Hieronymo lib. II. contra Iouinianum, & Auguſtino libro de ſancta Virg capite vigeſimo ſexto, & D. Thoma prima ſecundę, quæſtione quinta, articul. ſecundo; per denarium illum intelligi oportere, ipſam Beatorum omnium beatitudinem in vno obiecto conſiſtere, id eſt, omnes eundem DEVM viſuros; non vero, quod ipſa formalis beatitudo æqualis ſit, aut par, quæ ipſa actio eſt, qua Deus conſpicitur; alij enim aliis perfectius & alij eũdem videbunt. Ipſa quin etiam, præter hæc Scripturæ teſtimonia, ratio ad hoc credendum inuitat, quarum aliquas producemus: prima ſit hæc.

Oſtenditur rationibus, non eandem omnium Beatorum eſſe gloriam.

Certo certius conſtat, & ex ipſis Scripturæ arcanis euidenter affirmari poteſt, non eoſdem omnium damnatorum eſſe cruciatus, neve ignem infernalem eodem in omnes modo agere: hoc enim vt æquiſſimum eſt, diuinæque iuſtitiæ conuenientiſſimum, ita contrarium iniquiſſimum foret, & à Dei æquitate alienum. Ad eundem igitur modum dicendum eſt, non omnes Beatos æquales in gloria & fœlicitate fore, nec eiuſdem omnes ſortis participare, neu diuinam eſſentiam æquali ſe ſingulis gloria inſinuare communicareve: falſa alioquin eſſet, & hoc Philoſophorum axioma, *Contrariorum contraria ſunt conſequentia*; item diuinæ iuſtitiæ leges. Si enim ex æquitate & iuſtitia non eadem omnes malefici tormenta pati debent, ſed, qui plura maleficia commiſit grauiora; qui vero minora, mitiora, ita quoque eadem iuſtitiæ lex poſtulat, vt non eadem omnes Beati gloria & beatitudine afficiantur, ſed, qui maiorem commeriti ſint, maiorem etiam experiantur Secunda.

In bene ordinata Republica diuerſa ſunt officia, varij honorum gradus, neve æqualis omnium ciuium ſors: hi namque plebei ſunt & mechanici, alij in ſenatum & curiam adlecti, alij denique patricij, & illuſtri genere procreati. Ita etiam in cœlo, quod toties in Sacris litteris per ciuitatem deſignatur, varia ſunt bonorum, conditionum, beatitudiniſque genera. Vnde Dominus ipſe in Euangelio, *Ioan.14.* *in domo Patris mei*, quæ in cœlis eſt, *manſiones ſunt multæ*; has autem manſiones pro variis honorum gradibus accepit Auguſtinus: adeo vt dicere voluerit Dominus, nõ eadem omnes cœlites gloria beandos. Tertiam hanc ſtatuo.

Non eadem omnium ſtellarum de nocte lucentium lux eſt & ſplendor, & quamuis vnum omnes Solem, à quo lumen mutuentur, reſpiciant, non eandem tamen aut parem, ab eodem lucem trahunt. Quid vetat, quo minus idipſum de Beatis dicamus, quos Daniel Propheta ſtellis comparauit (*quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates fulgebunt*) *Dan.12.* hi namque quamuis in medio cœli colluceant, non eandem tamen gloriam percipiunt, & tametſi omnes lucidum illum diuinæ eſſentiæ ſolem, à quo veram beatitudinem trahant, intueantur; eiuſdem tamen gloriæ non eodem omnes modo parti-

Digitized by Google

ticipant. Hunc conceptum ſuppeditauit mihi Apoſto'us, qui hunc in modum ad Corinthios ſcripſit: *Alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* An non vobis hæ rationes & ſimilitudines placent? iam tempus producendi figuras. 1.Cor.15.

Figura. Ioſeph Patriarcha luculentum fratribus in Ægypto epulum parauit, in quo ſingulos lautiſſime excepit, at inprimis minorem natu Beniamin, quem præ cæteris ſemper dilexerat: textus verba hæc, *Maiorq́; pars venit Beniamin. ita vt quinque panibus excederet, biberuntq́; & inebriati ſunt cum eo.* Ioſephum imitatur & ipſe Deus ter maximus: Beatorum namque animas in cœlo amanter excipiens, lautiſſimo beatitudinis æternæ epulo reficit, in quo omnes quidem gaudio & voluptate inebriantur, verum quæ maiori eum dum viuerent amore complexæ ſunt, quaſq; ille viciſſim in altero mundo præ cæteris cō-plectetur, maiorem gloriam & voluptatem percipient. Gen.43.

Ibid. Idem Patriarcha, dum primus à Pharaone conſtitutus erat, liberalitatem erga fratres potius quam erga Ægyptios declaraturus, ſingulis binas ſtolas largitur; at dilecto Beniamino quinque, inſuper & trecentos argenteos. Eſt hæc noua figura, quæ rudi quadam Minerua declarat, quod in cœleſti beatitudine ad viuum peragitur: verus enim Ioſeph Chriſtus aliquod magnificentiæ ſuæ ſpecimen edere volens, Sanctoſque præ cæteris creaturis mundi huius vaſallis, remunerari, duo ſingulis veſtimentorum genera tribuit, vnum ſcilicet immortalitatis pro anima, alterum vero g'oriæ, pro corpore; at paruulis Beniamin, iis, inquam, quos præ cæteris diligit, duplicia dabit, & pluſquam trecentos aureos, id eſt, mille & amplius gaudiorum deliciarumque genera, quæ ſunt argenti & numiſmata, quæ pro electorum laboribus perſoluuntur, quibusq; eadem beatitudo innuitur.

Duo principia diſtinctionis graduum. Patet igitur tum rationibus, tum figuris, non eandem quo ad beatitudinem, Sanctorum ſortem eſſe, & in ſcala Iacob, quæ eorum gloriæ ſymbolum eſt, diuerſos gradus reperiri, cuius rei duo Theologi eſſe docent principia, vnum vicinum & intrinſecum, ipſam ſcilicet diſpoſitionum, quæ in Beatis reperitur diuerſitatem, è qua oritur & diuerſa perfectio operationum beatitudinis ipſius in iiſdem, atq; ita diſtincti ſunt diuerſi gradus, ſecundum charitatem patriæ (vt vocant) quæ quo maior eſt, quo etiam Sancti diuinæ viſionis capaciores ſunt. Aliud principium remotius, ipſa nempe merita, ob quæ beatitudinis ſuæ compotes facti ſunt, itaque diſtinguuntur gradus ſecundum charitatem vitæ; quia charitas virtus quædam regia eſt, omniumque meritorum principium. in beatitudines.

V. Vt autem magis omnia pateſcant dico, hoc beatitudinis diſcrimen etiam ex diuerſitate Aureolarum, quæ aliquibus Sanctorum ſingillatim, vt Martyribus, Virginibus, & Doctoribus, ſecluſis aliis dantur, procedere. Quod vt intelligatur, ſciendum eſt, eſſentiale hominis præmium, ipſam, inquam, beatitudinem, quæ in arcta & perfecta coniunctione animæ cum Deo conſiſtit, in quantum perfecte fruitur illo quem perfecte vidit & olim amauit, quod omnibus Beatis commune eſt, coronam in Sacris litteris appellari, apud Paulum imprimis: *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex.* Et Iacobus in Epiſtola Catholica: *Accipiet coronam vitæ.* rurſus apud Petrum: *Immarceſcibilem gloriæ coronam.* Et in Apocalypſi, viginti quatuor illi Seniores, qui coram Agni throno ſtabant, coronas capitibus geſtabant. Præter communem hanc omnibus coronam eſt & alia, accidentalem quam vocant, quæ velut appendix & additamentum eſt gloriæ eſſentialis, quæ proinde coronula aut aureola vocitatur; quæ nihil aliud eſt, quam gaudium quoddam Beatorum ex operibus olim factis redundans, at operibus, quæ excellentem quandam & non vulgarem victoriam includant.

Beatitudinis inæqualitas procedit ex aureolis, quæ nonnullis Sanctorum datæ ſunt. 1.Tim.4. Apoc.4. 2.Pet.5. Iac.1. Quid ſit aureola.

Tria Aureolarum genera. An non ſunt plura quam tria aureolarum genera, nec plura etiam haberi queūt; quod ita demonſtro. Cum enim aureola nihil ſit aliud quam remuneratio quædam extraordinaria, victoriæ extraordinariæ per omnia reſpon-

reſpondens, neceſſe eſt, eas numero victoriarum adaptari. At nonniſi tria victoriarum genera habentur, igitur nec plures aureolæ, vna pro Martyribus, ſecunda pro Doctoribus, tertia & poſtrema pro Virginibus; quæ tria hominum genera de tribus inimicis noſtris luculentas victorias referunt. Cum enim vita noſtra præliis plena ſit, & nonniſi continuum quoddam certamen, vt ait Iob, in quo tres hoſtes acerrimi, caro, mundus & diaboli ſemper nobis negotium faceſſunt; is in carnis oppugnationibus palmam referre dicendus eſt, qui ſe religioſa quadam caſtitate continet, & ab omni delectatione carnali ſequeſtrat, qua nulla grauior oppugnatio aut conflictus haberi poteſt; atque hæc eſt victoria Virginum, ideoque Virgines ſingularem quandam præ reliquis Sanctis aureolam promerentur. Vnde de Eunuchis loquens

Eſai.56. Eſaias: *Dabo eis nomen melius à filiis & filiabus:* quibus verbis Gloſſa adnectit, *propriã gloriam excellentiamq; ſignificat.* Nullos autem alios per Eunuchos hos niſi Virgines intelligere oportet, quibus in cœlo melius nomen ac propria aſſignata eſt.

Aureola Martyrum.

In conflictibus autem aduerſus mundum tunc refertur victoria, quando perſecutiones ingruẽtes, etiam cum aliquo mortis diſcrimine, heroica quadam conſtantia perferuntur; atque hanc referunt vt plurimum Martyres, glorioſi Chriſti pugiles. Ex eo namque, quod mundum reſpiciant, eius imperium rideant, & exſibilent, mortem pugnando conſtanter ſubeundo, eminentius quoddam & melius præmium quam cæteri promerentur, aureolamque gloriam, inquã, accidentalem, adipiſcantur. Eſt hoc namq; longe æquiſſimum; ſi enim Virginibus eadem debita eſt, multo maiori cum ratione Martyribus, ſtrenuis illis Eccleſiæ militibus; idque ex D. Auguſtin ſententia, dicentis:

Lib. de ſanct. virgin. *Nemo quantum puto, auſus fuit præferre virginitatem martyrio.* Nam ſi virginitas gloriam promereatur, quod concupiſcentiam, carnis pruritum, tentationesque intrinſecus generoſo animo peruicerit; eandem potiori iure promereri dicendus eſt Martyr, omnem tormentorum exteriorum rabiem violentiamque, ipſam denique mortem, qua nullum tormentum acerbius, heroice perferens.

Aureola Doctorum.

Denique in pugnis quas dæmon mouet, omnium hoſtium acerrimus, illi gloriam & victoriam obtinuiſſe dicendi ſunt, qui non modo inimicum profligant, in fugam compellunt, eiuſque robur & impetus elidunt, ſed eundem, quod maius eſt, ex aliorum animis propulſant, eius imperium deſtruunt, mundo arcent; atque hæc eſt victoria Doctorum, prædicatorum Eccleſiæ, tubarum Euangelicarum, qui doctrina, prædicatione, doctiſque ſcriptis peccata ſuffocant, animas conuertunt, diabolos fugant. Ideoque illis ſingularis quædam aureola, & quidem merito, in cœleſti habitaculo promiſſa eſt. Hoc autem colligere eſt ex Epiſtola ad Epheſios; Gloſſa enim hæc Apoſtoli verba: *Vt ſciatis, quæ ſit ſupereminens, &c.* exponens *Epheſ.1.* addit in modum paraphraſis: *Quoddam incrementum habent ſancti Doctores vltra id, quod alij communiter habebunt*, ac deinde ad verba illa Canticorum: *Vinea mea coram te eſt*, hæc *Cant.8.* addit: *Oſtendit quid ſingularis præmij Doctoribus eius diſponit.* Ac præſertim Daniel: *Qui* *Dan.12.* *autem docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* In his igitur tres aureolæ continentur.

Tres aureolæ reſpondent tribus animæ potentiis.

Alij vero tres has aureolas aliter diſtinguunt, cum tribus animæ potentiis eaſdem accommodant, rationabili, iraſcibili, & concupiſcibili, & nobilioribus harum potentiarum actibus reſpondere illas aiunt. At nobiliſſimus rationis actus in veritate fidei tum defendenda, tum etiam alios edocenda, animæque aliorum inſculpenda conſiſtit. Ecce Doctores. Actus quoque maximus partis iraſcibilis, in morte pro Chriſti nomine ſubeunda ſitus eſt; ecce Martyres. Partis autem concupiſcibilis actus, in edomandis affectibus, carnalibusque titillationibus compeſcendis locum habent: atque hoc faciunt Virgines. Non ſunt hæc vſquequaque abſurda, è quibus concludere poſſum, non eandem beatorum omnium eſſe gloriam. Hoc vnum addidero, Apoſtolos, dum hanc præmiorum diuerſitatem ob oculos haberent, à Domino idcirco quæſiiſſe:

Matth. 18. *Quis putas maior eſt in regno cœlorum?* Dominumque ſumpto paruulo hoc eis reſponſo ſatisfeciſſe: *Quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum.* Dominus igitur ac diſcipuli deſignare pariter volunt, non omnes eadem in cœlo beatitudine perfrui, omnes tamen ſorte ſua contentos eſſe, ſorti alterius non inuidentes, ſine æmulatione illa aut concupiſcentia, vel indignatione, & minimũ tanto quanto maximum, gaudio affici, quod egregia ſimilitudine manifeſtum faciam.

Simile. Quemadmodum in cella opulenti cuiuſdam principis diuerſa reperire eſt, vaſa, nempe integra, dimidia, duplicia, item lagenas, & vaſcula, & omnia ſecundum capacitatem ſuam optimo vino repleta; adeo, vt nec maius vas minori inuideat, aut minus aliquid à maiori deſideret: habent enim ſingula quantum ſibi ſufficiat, & iuxta capacitatem ſuam amplius quid habere nequeunt. Non ſecus quoque in cœlo, quod Sponſa in Canticis cellæ comparans, ait: *Introduxit me rex in cellam vinariam*, euenire ſolet, ipſi ſcilicet Beati vaſa ſunt, hi quidem maiora, illi autem minora, alij etiam mediocria; ſed omnes vino iucundiſſimo & optimo, æterna, inquam, beatitudine, quæ animas, ſecundum Pſalmiſtam, mirum quantum inebriat, repleti ſunt & ſatiati. Minimus enim ſecundum capacitatem, gloria & fœlicitate, non ſecus ac maximus, plenus eſt, nec ſortem alterius, quamuis opulentiorem & lætiorem æmulatur: cum quidquid ſibi neceſſarium eſt, & promeruit, quantumque capere poteſt, in ſe contineat. Cant. 2.

Viuat igitur, viuat fœlix illa ac beata Beatorum ſors, viuat Sanctorum triumphus, viuat merces illa admirabilis, quam electis promiſit Dominus. Hanc vobis ſemper proponite, Chriſtiani, continuo eam ante oculos habetote, & conſiderate, ſi tanti ſortem eorum, qui Regibus ſemper aſſiſtunt, eorum conſiliis interſunt, palatium frequentant, eorumque intimi ſunt, faciamus, vt eos beatiſſimos prædicemus, quanti Beatorum, qui amici Dei ſunt intimi & familiares, eius conſiliis interſunt, in aula cœleſti, inter optimates & principes cœlorum commorantur, ſortem facere neceſſe eſt, cum qua nulla fœlicitas videatur comparanda? Hoc ſemper in animo & mente gerite, itaque fiet, vt numquam ſummam remuneratoris maieſtatem offenſuri ſitis. Ita id docet verbis illis toties repetitis Salomon: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7.

Neque enim credendum eſt Domine Deus meus, creator meus, Seruator meus, & omnia, eum, qui hæc animo ſemper inſculpta gerit, de peccato vel poſſe cogitare, dici enim non poteſt, quantum rei huius memoria virium habeat ad voluntatem noſtram, ſi modo cogi poſſet, cogendam, vel ſaltem ad omnes alias cogitationes mente excludendas, nihil vt præter hanc gloriam meditetur. Quid enim ad voluntatem comprimendam hac præmij cæleſtis Sanctorumque fœlicitatis memoria efficacius haberi poteſt? Quanta namque fœlicitas eſt, te ſemper oculis obiectum habere, cum diuina tua eſſentia inſtar Solis, tu inſtar ſpeculi ſis, omnia quæ in rerum natura ſunt aut fiunt, ſpiritibus illis cœleſtibus repræſentatis? at ſpeculi, non qualia noſtra ſunt, quæ nonniſi ea, quæ oppoſita ſunt repræſentant; ſed ſpeculi voluntarij, quod nimirum libere detegit & tegit omnia, prout viſum fuerit & placuerit. Quanta quoque gloria eſt, ſemper & in perpetuum coram diuina maieſtate conſiſtere, Angelorum ſocietate frui, bono infinito gaudere, deque æterna beatitudine certiſſimum viuere; Deficiunt me vox, latera, & verba, vt eandem exprimam, ſed manet tamen incluſum animo deſiderium & ſpes firmiſſima ad illam gloriam pertingendi, gratiam porro, Pater, & Filius, & Paraclitus Spiritus elargiantur.

AMEN.

FERIA

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

DE BEATORVM GLORIA, QVÆ ex diuina maieſtatis viſione naſcitur.

Partitio.

1. *Ad quam potiſſimum animæ partem beatitudo referenda.*
2. *Quomodo fiat Dei viſio beatifica.*
3. *De gaudio Beatorum.*
4. *De ſcientia eorundem.*

Memorare nouiſſima tua, *& gloriam, quæ Beatos in cœlo manet, & diuinæ eſſentiæ intuitum, in quo omnis beatitudo conſiſtit*, & in æternum non peccabis, *Eccleſ.* 7.

FIGVRA.

3. *Reg.* 10. POtens illa Æthiopiæ princeps, quæ in ſacris litteris Regina Saba dicitur, cum à partibus meridionalibus in Iudæam deſcendiſſet, Salomonis, de quo multa fando inaudierat, ſplendorem magnificentiamq; coram inſpectura, & Ieroſolymam regni caput camelis dromedariiſque aurum & aromata deuehentibus ſtipata plurimis, magna adhæc optimatum ſuorum comitante multitudine, veniſſet; ſtatim vt domum regiam intrauit, regem ſalutauit, eiuſque ſapientiam, domus ſplendorem, aulæ decus, ſcitum ſeruorum & domeſticorum ordinem intuita eſt; adeo conſternata fuit, vt animi deliquium paſſa ſit, tandemq; ad ſe reuerſa publice denuntiarit, ſimile ſe nihil vnquam vel vidiſſe vel audiuiſſe. Dicant alii quod libuerit, mihi fixum animo ſedebit, figuram hic eſſe eorum, quæ animabus beatorum, quæ veræ reginæ ſunt, ad gloriæ coronam deſtinatæ cum cœlum ingreſſæ fuerint contingunt. Vix enim cœlum magni Salomonis palatium, ab vltima mundi plaga profectæ, gratiarum, chariſmatum, bonorum operum virtutumq; ſarcinis onuſtæ, ingreſſæ fuerint; quin ſtatim, oculis circumquaq; oberrando, Monarcham illum potentiſſimum ſalutando, eiuſq; palatii amplitudinem, ſplendorem, & ornatum, ſeruorum illius ordinem decoremq;, Angelorum dignitatem, Sanctorum fœlicitatem, eſſentiæ illius ſolem, ac cetera quæ in eo admiranda occurrunt, intuendo, extra ſe præ admiratione rapiendæ ſint, & poſt diuturnum ſtuporem tandem prolocuturæ, nihil ſe vnquam ſimile aut vidiſſe vel audiuiſſe. Illa ſcil. eſt Beatorum gloria, hoc Beatis in viſione Dei, eiuſq; eſſentiæ contemplatione, ſolet accidere, hocque vobis hodie explicandum ſuſcepi. At primo ad directorem cymbæ noſtræ Spiritum paraclitum, & ad Deiparam Virginē, curſus noſtri ſidus & Helicen, quo fœliciter nauigemus, vota dirigenda, & vnanimiter Angelica hæc ſalutatione cōpellēda.

AVE MARIA.

Si qua vnquam in re ſapientiſſimi regis Salomonis iudicium ac prudentia eluxit, in ſententia profecto, quam duabus mulieribus de mortua prole diſceptantibus tulit, eadem potiſſimum viſa eſt, eluxiſſe: verba regia hæc ſunt, *Diuidite infantem viuum, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri.* Similis mihi hodie ſeſe quæſtio offert, in qua ſimilem me etiam ſententiam pronuntiare oportebit. Cernas enim hic non duas mulieres, ſed duas animæ facultates, voluntatem & intellectum, de pulchra illa cœli filia, beatitudine inquam æterna diſceptantes, vnaquæq; ſuæ eandem operationi aſſignare geſtit, ſeſeque eiuſdem matrem eſſe iactitat. Quarum cauſam diſceptationemq; quo melius intelligatis, patronos vtriuſque partis loquentes inducamus. I. 3. *Reg.* 3. Controuerſia inter voluntatem & intellectum quoad beatitudinem.

Scotus magnæ eruditionis & profundi ingenii, voluntatis partes defendendas ſuſcipiens, ait beatitudinem, eius actioni, non vero intellectus, attribuendam eſſe: quod his rationibus confirmat. Bonum voluntatis obiectum eſt, vti verum intellectus: atqui beatitudo verum & ſummum bonum eſt, ad voluntatem igitur beatitudo referenda eſt. Deinde, Beatitudo referri debet Scotus docet beatitudinem in voluntatis operatione conſiſtere.

1.Cor.13. *ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quod Apoſtolus hic verbis, Moyſis Hebræorum ductor egregia figura expreſſit.

Figuræ. Quamdiu in ſummitate montis Sinai ille hærebat, facile videri à quouis poterat, & facies eius omnibus patebat; ſed vbi monte deſcenderat, inque caſtra venerat, adeo reſplenduit facies, vt velo eam obtegere neceſſe habuerit, nemoque eum niſi velatum Exod. 14. videre potuerit. Deſignabat hoc, diuinæ maieſtatis iubar, ſplendoremque adeo vehementem & illuſtrem eſſe, vt eam, quamdiu hic in terra ſcipimus, nonniſi mediante velo, nube, & vmbra fidei, cernere poſſimus: ſed vbi in montibus illis æternis, in cœleſti inquam habitaculo fuerimus; facile eandem à nobis videndum, & nullá illic fore vela, nulla ſpecula, nulla ænigmata. Fides obſcura, interea dum hic viuimus, locum habet: ſed aperta viſio, quando in beatitudine cœleſti commorabitur. Ecce figuram.

Gen. 29. Habebat Laban pecorum ditiſſimus & agrorum, duas filias, quarum maiori nomen Lia, ſed quæ lippientes haberet oculos, minori vero Rachel, ſed quæ venuſta erat, vt quæ maxime. Pulchriorem dilexit Iacob, eamque in coniugem poſtulauit; ſed ait Laban, non eſſe de patriæ conſuetudine minores natu ante maiores nuptui tradere. Allegoria vere digna: Laban hic, eſt Pater æternus, huic duæ ſunt filiæ; fides, ipſa inquam Lia, ſed cui lippiant oculi, ac quæ proinde viſus obtuſioris ſit, ſed quæ tamen certa exiſtant: & viſio diuinæ ſuæ eſſentiæ, quam Rachelem appellabimus, pulchram viſu & aſpectu iucundam. Nos autem Iacobi ſumus, qui huius pulchritudine & amore capti, in diuinam viſionem exardeſcimus: ſed prudens ille Pater, qui in cœlis habitat, conſuetudinem patriæ ſeruans, prius fidem, quæ maior natu eſt, vt diligamus, & in baptiſmo nobis deſpondeamus, totoque dein vitæ tempore foueamus; ac deinde Rachelem ſe nobis, id eſt, apertam eſſentiæ ſuæ contemplationem, daturum in vxorem pollicetur.

Gen. 24. Patriarcha Iſaac prius quam Rebeccam, futuram vxorem conſpiceret, munuſcula ad eandem, & inter cætera inaures pretioſiſſimas, deſtinauit. Hic iterum docemur, Iſaac illum cœleſtem animarum noſtrarum filiarum cœleſtium, inque vxores deſtinatarum amore captum, antequam etiam ab iiſdem videatur, mille ei munera, gratias, chariſmata, virtuteſque, atque inter cetera pretioſum illud fidei monile, quamdiu in hac terra degunt cuiuſque inauris illa Patriarchæ ſignum eſt & ſymbolum (*fides enim* Rom. 10. *ex auditu*, vt Apoſtolus ait) mittere. Adeo vt fides hic in terra maneat, noſque interea illuſtret, at viſionis dies clarior & illuſtrior in cœlo, ad felicitatis noſtræ beatitudiniſque complementum, reſeruata ſit. Quod & Prophetarum iam oraculis manifeſtum faciam.

Iſaiæ in primis, *Regem*, inquit, *in decore* Eſai 33. *ſuo videbunt oculi eius, cernant terram de longe: reſpice*, anima erectis palpebris, *Sion ciuitatem*, æternam, *ſolemnitatis noſtræ, oculi tui videbunt Ieruſalem* nouam habitationem *opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, ne auferentur claui eius*, aut cardines, *in ſempiternum.* Idem & alias, *Non erit* Cap. 20. *tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam & Deus tuus in gloriã tuam.* E quibus omnibus tandem concludere licet, omnem beatitudinem noſtram; & animarum ſanctarum gloriam in admirabili hac viſione, quæ actus intellectus eſt, actu voluntatis tamen cooperante, conſiſtere: viſione inquam adeo iucunda & grata, vt ſi eius aliquoties meminiſſemus, nunquam in diuinam maieſtatem peccaremus. Vnde Eccl. 7. ſcripſit Salomon, *Memorare nouiſſima tua. & in æternum non peccabis*; hanc verbis ſententiam de cœleſti viſione intellectam hodie exponam, in duas diuidam partes, prima dicet; in qua hæc viſio conſiſtat; & altera quantum eadem dignitati ſplendorique includat.

Fuere nonnulli, qui à veritate deuiando, crediderunt que, Deum æternum & infinitum, quoad ſententiam, à nulla vnquam creatura videri poſſe, aut aliquando videndum, eiuſque immenſionem & am-

plitudinem, & vires & viuacitatem creaturarum omnium lóge antecellere. Huius opinionis fuere Almaricus, teſte Turrecremata li. 4. de Eccl. part. 2. c. 35. & alius quidam Petrus Abailardus Gallus, vt teſtetur Bernardus Luxemburgius in catalogo hæreticorũ. Hunc quoque errorem amplexi ſunt Armeni, crediderúntque, diuinam naturam a nullo videri perfecte & integre poſſe, ſed aliquem tantum eius eſſentiæ radium aut iubar; tradunt hoc Alfonſus a Caſtro, & D. Gregor. lib 18. Moral.

II. Nitebantur hi aliquot S. ſcripturæ locis, quæ tamen in prauum ſenſum & perperam exponebant; vti illo Ioannis, *Deum nemo vidit vnquam.* & illo Paulino, *Inuiſibi'i ſoli Deo:* adhæc aliquot SS. Patrum authoritatibus dicentium nonnunquam, Deum à creatura cerni non poſſe; vt Ioannis Chryſoſtomi homil. 14. in Ioannem, Epiphanii hæreſi 70. Hieronymi apud S. Auguſtinum epiſt. 3. Sed fragili profecto nituntur fundamento, quod facile ac nullo negotio ſubuerti poteſt. Dum enim duo illi Apoſtoli, & tres illi Patres docent, Deum à creaturis minime videri, ſciendum, varie hoc exponi & diuerſimode poſſe.

1 Ioan. 4. *1. Tim. 1.*

Primo, *Deum nemo vidit vnquam*, ſcilicet hac in vita & iuxta vulgarem Domini agendi rationem: ita ſentit Gregorius: Secundo per viſionem comprehenſibilem, id eſt, perfectam, qualis eſt notitia, qua ſeipſum Deus nouit; hæc eſt opinio S. Thomæ. Tertio, ſolis naturæ viribus, vt quidem Ambroſius vult. Quarto oculis corporalibus viſuque ſenſibili, iuxta Auguſtinum. Atque ita veriſſimum eſt, Deum à nullo videri, itaque intelligendum eſſe, *Deum nemo vidit vnquam.*

1. Ioan. 4. *Greg. lib. 18. cap. 36.* *2. Part.* *Epiſt. 3. & 112.* *1. Ioan. 4.*

Verum aſſerere, maieſtatem & eſſentiam diuinam à nulla vnquam creatura, cœleſti gloria donata, videri poſſe, erroneum & hæreticum eſt, & à vera credendi regula alienum, quod è ſcriptura affirmare poſſumus; legitur enim apud Matthæum, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* & aliquot interiectis capitibus ſcriptum eſt, *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*: & cap. 22. dicuntur homines aliquando Angelis in cœlo futuri ſimiles. Credendum eſt igitur tam homines quam Angelos Deum viſuros. item duobus aliis in locis, *Videbimus eum ſicuti eſt*, id eſt, 1. Ioan. 3. & in Apocalypſi, *Serui eius ſeruient illi, & videbunt faciem eius.* Eſt hoc igitur meridiana luce clarius, & contrarium aſſerere, hæreticum foret.

Matth. 5. Cap. 18. & 22. *1. Ioan. 3.* *Apoc. 22.*

At ſcire, quomodo hæc viſio fiat, quomodo creator lippientibus creaturarum oculis cerni poſſit, quomodo infinitum finiti mente concludi, quomodo qui lucem habitat inaccesſibilem, cuius veſtimentum lux eſt, qui poſuit tenebras latibulum ſuum, ſub humanum captum cadere poſſit, hoc opus, hic labor eſt, hic quadratura circuli eſt, hic Theologum agere, ingenii aciem intendere, ſenſus in captiuitatem dare, rationem cohibere, myſteriique magnitudinem ſequi oportet. Hinc ſciendum eſt, vt illud obiter admoneam, Præconem & tubam Euangelicam animalibus Ezechielis ſimilem eſſe debere, quibus erant & pedes & alæ; his ad volandum & intra nubes ſe ſiſtendum, illis vero ad ambulandum in terra vtebantur. Ita concionator alas, & pedes habeat oportet; pedes quidem ad ſeſe dimittendum & per terram ſerpendum, populi ſe auditorumque capacitati accommodando; alas autem ad euolandum, myſteriique huius ſublimitatem propius intuendam: Cum igitur de tam ſublimi hodie myſterio mentio incidit, neceſſario alæ mihi aſſumendæ erunt, relictaque communi dicendi ratione, ſublimiores conceptus producendi, vt quomodo hæc DEI viſio contingat, manifeſtum fiat.

Ezech. 1. *Concionator ſimilis ſit oportet animalibus quæ apud Ezechielẽ deſcribuntur.*

Principio igitur notandum eſt, nec ſenſus, nec intellectum hominum, quidquam ſine ſpeciebus ſenſibilibus aut intelligibilibus, comprehendere poſſe, illis quidem ad ſenſus exteriores, his vero ad intellectum accommodatis: adeo vt, quando hominem, arborem, domum video, nemo dicere poſſet, omnia hæc oculo meo ineſſe, qui enim tam grandia grauiaque corpora tam anguſto loco contineantur? ſed credendum eſt, ex obiectis illis tenuiſſimas quaſdam

formas

formas otiri, rerum à quibus naſcuntur imaginem referentes, quæ à Philoſophis ſpecies vocantur; quæ inſtar ſpeculorum corpora & rerum veritatem ſenſibus repræſentant, adeo vt nemo vere dicere poſſit, domum aut arborem oculis ineſſe, ar ſolas eorum ſpecies, quæ egreſſæ, & naturaliter agentes, ad ſenſus accedendo, facultatique eorum vnitæ eadem mihi repræſentanr. Hæ deinde ſpecies rudiores nonnihil, & materiam redolentes, ſenſus iam prætergreſſæ, viſuique obiectis ſuis repræſentatis, longius procedunt, & ad intellectum vſque pertingunt; à quo ſublimantur, ſub intellectus agentis lima acuuntur & poliuntur, omnemque exuentes ruditatem, de ſenſibilibus fiunt intelligibiles, ſpirituique quidquid per ſenſuum ianuam tranſiuit, repræſentant: nullam alioquin intellectus rerum notitiam haberet: Is enim iam à primo inſtanti chartæ virgini perſimilis eſt, in qua nihil adhuc exaratum eſt, ſed quæ apta ſit, ad quaslibet figuras & characteres recipiendos; lanæ item nullo colore tinctæ, ſed quæ omni tingi ſuo tempore poſſit; ſpeculo etiam, quod qualibet obiecta referre poteſt. Ariſtoteles eundem tabulæ raſæ in qua nihil adhuc depictum, ſed quodcumque pingi queat, comparauit. Adeo vt intellectus & mens ex ſe omnino inops ſit, nihilque niſi per ſpecies queat cognoſcere: oportet enim, inquit Philoſophus, intelligentem ſpeculari phantaſmata; adeo, inquam, nudus & egens eſt, vt omnia à ſenſibus mutuetur, nihilque ad ipſum pertingat, quod non prius per facultates ſenſibiles tranſierit. Vnde mihi hoc Philoſophorum placitum: *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*, natum videtur; & vulgi ſermone tritum Prouerbium, Non poſſe cæcum iudicare de coloribus; quia enim oculus nunquam aliquem colorem vidit, intellectus nihil de eiſdem cognoſcere poteſt; quidquid enim ille nouit, nonniſi per ſpecies à ſenſibus datas cognitum habet.

Lib 3 de anima.

Cum hanc de ſpeciebus intellectui obiectis materiam tracto, regiis me rationibus puto intereſſe, in quibus de pecuniis, vectigalibus, tributis, ſtipendiis agitur. Nam ſenſus exteriores æquiparo receptoribus particularibus, qui ſcilicet hinc inde diſcurrentes per omnes naturæ huius regiones, ſpecies, velut regias pecunias colligunt, viſus colores, odoratus odores, guſtus ſapores, auditus ſonos, & tactus qualitates ſenſibiles; & quum omnes hæ ſpecies accurate collectæ fuerint, ad commune teloneum, ad quod omnes huiuſmodi formæ referuntur ad ſenſum ſcilicet communem, deſtinantur: omnes denique in loco rationum recenſentur, qui ex imaginatiua, exiſtimatiua & phantaſia aliiſque compoſitus eſt; poſtea ab intellectu agente iterum recenſitæ, ad memoriam velut ad arcas regias & parſimoniæ theſaurum, referuntur, quo iis intellectus, qui velut rex eſt, ſuo tempore & loco vtatur. Hinc igitur efficere volo, intellectum nihil ſcire, aut ſenſus ſentire ſine ſpeciebus ſenſibilibus & intelligibilibus poſſe, ac conſequenter oſtendere, duo eſſe neceſſaria, quo anima beata Deum in cœlo cognoſcat, eiuſque eſſentiam clare contempletur, vel vt Deum immediate in intellectu vnitum habeat, vel aliquam ſaltem eius eſſentiæ ſpeciem, quæ eundem repræſentet.

Horum vltimum penitus fieri nequit, impoſſibile namque eſt, infinitum illud diuinitatis obiectum tam nobilem ac diuinam ſpeciem producere, quæ intellectui tam hominum quam Angelorum, omnes magni huius eſſe perfectiones, omniaque infiniti illius æterni, & æternitatis infinitæ mirabilia repræſentet. Quod his rationibus manifeſtum redditur. Quidquid enim ſupra communem naturæ ordinem eſt, videri per inferiorum ſimilitudinem nequit; vt magnus Areopagita ait Dionyſius. Verbi gratia, hominis, qui obiectum corporeum eſt, ſpeciem repræſentare mihi nequit Angelus, quia totus ſpiritualis eſt. Multo igitur minus diuina eſſentia, quæ eſt obiectum infinitum, reſque increata, per creatam aliquam formam, imaginem aut ſimilitudinem corpoream, poterit videri. Secunda ratio eſt hæc, diuina eſſentia infinita eſt, illimitata; continetque in ſe quidquid cognoſci

Nulla ſpecies capax poteſt, quæ Deum repræſentet.

D. Dionyſ. lib de diu nominib. c. 1.

Digitized by Google

poteſt: at nulla dari poteſt forma, creatave ſpecies, aut modo eſt, quæ ſit huiuſmodi, id eſt, quæ tale obiectum queat producere, ſequitur igitur, Deum per aliquas ſpecies ab animalibus videri non poſſe. Tertiam hanc ſtatuimus, ſpecies quæ rem aliquam repræſentat, ſemper re è qua oritur ſimplicior, magis ſpiritualis, magisque à materia aliena eſt. Certiſſime igitur aſſerere poſſumus, Dei viſionem, quæ Beatos in cœlo habeat, ab imaginibus, aut à ſpeciebus intelligibilibus originem non trahere. Quinam igitur fit? quomodo magnus ille Deus conſpicitur? quomodo facultates animæ noſtræ eſſentiam comprehendent.

Theologi hac de viſione cum tractant, docent Deum in cœlo per modum ſpeciei intelligibilis beatis ſe animabus vnire, & hunc in modum ab iiſdem videri; non quod eſſentia eius formas quaſdam recipiat repræſentantes, ſed quod eadem ex ſe & realiter cum iiſdem ſeſe coniungendo, efficiat idipſum quod ſpecis ſenſibiles & intelligibiles in ſenſibus & intellectu faciunt, & quod obiecta abſentia tum in hoc, tum in illis, mediantibus ſpeciebus, efficere ſolent: Deus fungitur ſiquidem vice huiuſmodi formarum, cumque iiſdem ſeſe vnit, nulla interpoſita, aut mediante ſpecie, quod vt maniſeſtius fiat, ſimilitudine quadam demonſtrabo.

Ferrum ignitum dum igne penitus eidem ſe vniente in fornace candet; vnio hæc realis dicenda eſt; ex ſeipſa proueniens, non vero per ſpecies producta; igne namque per hanc immediatam vnionem ferrum in ſui ſimilitudinem conuertente, ita ferrum immutat, vt non amplius ferrum; ſed ignis eſſe videatur; quippe quod è ferrugineo lucidum & ſplendens, è frigido calidum, è ſpiſſo leue, è rubiginoſo glabrum & candens factum ſit, & naturam quodammodo exuerit. Idipſum de vnione illa beatifica dicendum eſt: Deus enim, quæ ſæpius in diuinis voluminibus igni comparatur (*vt Deus noſter ignis conſumens eſt,*) dum ſe beatis animabus vnit, vnio hæc realis & vera eſt, non vero per ſpecies producta mediantes; qui eaſdem per hanc vnionem connubiumque ſacrum, aut potius coniunctionem diuinam, ita commutat, vt eſſe iis quoddam ſupernaturale aſſignet; itaque eas beat, vt non amplius animæ, ſed Deus ipſe eſſe videantur: non quaſi eſſentiam propriam amiſerint, aut animæ eſſe deſinant, ſed dumtaxat, quod deificatæ ſint, & penitus quodammodo in diuinam naturam commutatæ.

Iob. 11.

Hunc mihi conceptum Joannes in Epiſtola ſuggeſſit, ita namque de hac Dei viſione locutus eſt: *Cum apparuerit ſimiles ei erimus*; id eſt penitus commutati, deificati, & quod ignis cũ ferro, hoc Deus ipſe aget nobiſcum. Similem ſimili è ligno dolat Bernardus: *Quomodo ferrum ignitum & candens igni ſimillimum fit, priſtina forma exutum ſic omnem tunc in ſanctis humanam cõditionem quodam ineffabili modo neceſſe erit à ſemetipſa liqueſcere, atq; in Dei penitus transfundere ſimilitudinem.* Apoſtolorũ princeps Petrus hocipſum docuit, dicens: *Vt per hoc efficiamur conſortes diuinæ naturæ.*

1. Ioan. 3.

Bernard. in Serm.

2. Pet. 1.

Sed præter arctam hanc vnionem creatoris cum creatura, animæ cum Deo, aliud quidpiam neceſſarium eſt, lumen ſcilicet gloriæ, qualitas quædam ſupernaturalis, robur cœleſte, diuina virtus, quæ intellectum vltra id quod poteſt, ſuſtollat; ipſum adaptans, vt tam nobile obiectum intueatur, ſimilitudinemque & proportionem creaturæ cum creatore, & infiniti cum finito producens: hoc autem auxilium lumen gloriæ appellant, & de hoc locutus eſt Pſaltes: *In lumine*, gloriæ ſcilicet, *videmus lumen* eſſentiæ tuæ diuinæ.

Vt Deus in cœlo videatur, gloriæ lumen neceſſarium eſt.

Pſal. 35.

Ipſe quidem Deus ex ſeipſo viſibilis, Sol eſt circumquaque reſplendens, fax etiam lucidiſſima; ſed nimis obtuſi viſus eſt intellectus noſter, oculos lippientes habet, adeo, vt ſi glorioſa hæc qualitas nobis non ſuccurreret, perſpiciliorumque vice fungeretur, eumdem cernere non valeremus: ipſeque defectus non ab obiecto, ſed à potentia dependeat. Intellexit hoc ipſum & Ariſtoteles, dum ait, Intellectum; quoad diuinarum ac ſupernaturalium rerum aſpectum oculis bubonum & noctuarum eſſe ſimillimum; vt enim hi Solis ſplendorem aut radios, ita ille

Digitized by Google

ille diuinarum rerum maieſtatē & intuitum nequit perferre; quod hac ſimilitudine demonſtrabo.

Quemadmodum qui nocte intempeſta & obſcura per pratum amœniſſimum, varietate florum variegatum, virore ridens, ſalicibus vmbroſis circumdatum incederet, nihil horum omnium videret; donec, veniente ſole & illuceſcente die, vno cuncta momento contemplaretur. Ita cum Beatorum animabus agitur: nam, quamuis in campis illis elyſiis verſentur, tamque admirabile præ oculis obiectum habeant, nihil omnino, non ſecus ac ſi in denſiſſimis tenebris verſarentur videre poſſunt; donec lumine illo ſupernaturali exoriente, quod gloriæ lumen appellant, omnia ad oculum pateſcant, ipſæque ſingula quam minutiſſime contemplentur. Hoc itaque modo diuina viſio contingit, hac in re gloria Beatorum ſita eſt, hic beatitudo noſtra verſatur: ecce hoc vnum ſpectamus, huc nos peruenturos confidimus, hoc intendimus, *Hæc eſt vita, vt cognoſcant te Deum verū.* (Ioan. 17.) O viſio regia, penitus admirabilis ac vere diuina! ne quid nimis, hoc ad ſecundum concionis membrum ſpectat, quod iam proſequi aggrediar; & quoniam pluribus iam oſtendimus, quomodo Deus ab anima videri poſſit, iam ratio exigit, vt quanta eiuſdem viſionis dignitas ſit, aperiamus.

III. Diuinæ viſionis excellentia duabus in rebus ſita eſt.

Viſionis huius maieſtas & amplitudo, deliciæ & gaudia, quæ ex ſummi boni intuitu oriuntur, ad duo referri capita queunt. Primum eſt gaudium quoddam infinitum, quo perfunduntur animæ, cum Deum ſuum intuentur, eiusque eſſentiæ conſpectu perfruuntur: quod adeo immenſum & ingens eſt, vt iam quatuor aut quinque annorum millia effluxerint, ex quo Cherubini & Angeli eſſentiam diuinam contemplati ſunt, & tamen ſaturari nequeant; verum quo eandem diutius intuentur, quo & deſiderium videndi magis excreſcat, & incredibile, quod ex viſione oritur, gaudium magis magisque augeatur. Quid hoc eſt, Deus bone? an non vere iucunda illa viſio diuinæ eſſentiæ eſſe debet, vt, qui eam iam à tot annorum millibus conſpexerint, exſatiari ab eadem non queant, imo nouas delicias & voluptates nouas indies in ipſa reperiant.

Hanc cum Spiritus ſanctus nobis metaphorice deſignare vellet, de ea quaſi de epulo ac conuiuio inſtructiſſimo locutus eſt; *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* (Luc. 22.) Quin & apud Ezechielem ſumptuoſum ſe nobis epulum paraturum, & in paſcuis nos pinguiſſimis collocaturum pollicetur, *In paſcuis vberrimis paſcam eos.* (Ezech. 34.) Cur vero putemus, ſub guſtus potius quam alterius ſenſus deliciis demonſtrare eum beatitudinis æternæ delicias voluiſſe? duas ob cauſas. Primo, quod guſtus cæteros ſenſus quoad delectationem antecellat; quod ita declarari poteſt. Offerantur fameliceo & inedia exhauſto odores ſuauiſſimi, harmonia iucundiſſima, picturæ venuſtiſſimæ, virgines forma pulcherrimæ, & ſimul cibi lautiſſime parati; an non cæteris relictis ad hos ſe conferret? atqui in cœlo omne delectationum deliciarumque genus reperietur; nam vt ſcriptum eſt: *delectabuntur in multitudine pacis.* (Pſal. 36.) Secundo, quod in guſtu arcta quædam vnio & coniunctio reperiatur inter cibum & cibatum, cibo ſcilicet in comedentis ſe ſubſtantiam conuertente. Quod de nullo alio ſenſuum dici poteſt, nec fieri ſolet, vt obiectum eorum taliter potentiæ vniatur. At in cœlo arcta quædam Deum inter & animas habetur vnio & coniunctio; vnde Chriſtus: *Rogo te Pater, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te & ipſi in nobis vnum ſint.* (Ioan. 17.) An non igitur hæc coniunctio, tam arcte conſtricta, & mille amoris vinculis cohærens, infinitum cœlitibus gaudium & delicias incredibiles affert?

Longe maiora proferunt SS. Patres, docentque gaudia cœleſtia tam immenſa, & ingentia eſſe, vt ſi omnes mundi deliciæ, gaudiaque in vnum coacta, ſimul & vnam Beati animam conglobarentur; ipſe ne vel vnico momento oculos à tam nobili obiecto vellet auertere, quamuis certo ſciret decem annorum millibus ſe eius viſu recreandum.

Digitized by Google

dum. Tantam ſcilicet voluptatem, tantamq; lætitiam adfert diuinæ eſſentiæ contemplatio. Hinc in libris de ciuitate Dei ait S. Auguſtinus: *Illa viſio Dei tanta pulchritudinis viſio eſt, & tanto amore digniſſima, vt ſine hac quibuslibet aliis bonis praditum atque abundantem, non dubitet Plotinus infeliciſſimum dicere.*

Lib. 10. c. 18.

In Soliloquiis c. illa verba: Intra in gaudium Domini tui.

Maiori cum affectu locutus eſt in Soliloquiis. in hunc namque modum eorum amore gaudiorum captus exclamat: *O gaudium ſuper gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium, quando intrabo in te, vt videam Deum meum, qui hab tat te?* Alluſit ſcilicet ad verba illa Euangelij: *Intra in gaudiũ Domini tui.*

Matth. 25.

Eodem actus enthuſiaſmo eadem pene meditatur S. Bernardus: *Præmium* inquit, *eſt videre Deum, viuere cum Deo, eſſe cum Deo, eſſe in Deo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui eſt ſummum bonum; & vbi eſt ſummum bonum, ibi eſt ſumma fœlicitas, ſumma iucunditas, ſecura æternitas, ibi eſt vera lætitia plena ſcientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo.* O inſignis Philoſophia! ô docta concluſio! ô viſio admirabilis!

In meditat. c. 4. & Hugo lib. de anima. c. 4.

David rex videndi Dei deſiderio tenebatur.

Quam ardenter ad hanc David Rex Iſraël anhelaret, ſatis colligi poteſt è ſuſpiriis, quæ interdum in Pſalmis edit; vt, cum ait: *Faciem tuam, Domine, requiram* Item *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* & rurſus: *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* Videre quippe faciem tuam, eſt optata beatitudine perfrui, & ab eadem excluſum viuere eſt, vere eſſe miſerrimum. Præſta igitur gratiam, vt ad eius conſpectum admittamur, eaque interdum frui poſſimus.

Pſal. 16. Pſal 41. Pſal. 79.

Item Moyſes.

Mirabilium ille opifex Moyſes Hebræorumq; ductor, aliud quoq; non deſiderabat, ſed ſæpius à Deo contendebat, enixeque poſtulabat, vt ad diuinæ faciei conſpectum admitti poſſet. Audiamus quomodo eius ergo Domino ſupplicet: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam.* Omne quoque deſiderium ſponſæ illius in Canticis non alio tendebat; amoris enim facculis ſuccenſa, ſponſique complexum & conſpectum deſiderans, ſæpenumero dicebat: *Oſtende mihi faciem tuam, facies enim tua decora*: ipſam quippe videre, omnis mea voluptas ac felicitas, vnicæ deliciæ meæ, & gaudium. Te cum videro beatiſſimam me prædicabo; cum amiſero, omne me bonum amiſiſſe exiſtimabo; ſine te enim viuere mihi mors eſt, ac te videndo viuere, longe iucundiſſimum. Quid deſignare voluiſſe putatis vehementi hoc affectu, niſi vehemens deſiderium, quo beatæ illæ animæ, ſummi Dei ſponſæ, vt diuinã faciem contemplentur, accenſæ ſunt? qua viſa veram tum denique ſe fœlicitatem nactas poterunt dicere.

Exod. 33.

Cant. 2.

Quomodò veteres ſolerent benedictionem impertiri.

Quin ipſe Dominus, dum Moyſem edoceret, qua ratione benedictio populo eſſet impertienda faciei ſuæ viſionem inter cætera poſuit; quaſi nulla maior benedictio aut felicior homini dari poſſit. Audite verba: *Loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filiis Iſraël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui.* Adeo vt ab omni ætate Judæi, omniſque antiquitas crediderit, nihil reperiri in mundo poſſe, quod cum eiuſdem fœlicitate comparetur, maximamque beatitudinem, quæ ab homine poſtulari & haberi queat, hanc proculdubio exiſtere.

Num. 6.

2 Paral. 9. Salomonis faciei pulchritudo.

Tanta in Salomonis Regis facie maieſtas & ſplendor elucebat, vt occulta quadam ratione omnium oculos ad ſe attraheret, & quodammodo faſcinaret; adeo, vt multi Reges eius videndi ergo Hieroſolymam venirent. Quanta igitur maieſtas in Regis regum vultu eluceat, & quantam iucunditatem intuentibus afferat neceſſe eſt? illo, inquam, vultu, qui omnes Sanctos in ſtuporem rapit, Angelis admirationem inicit, vt non Reges modo & Principes eam deſiderent, ſed ipſi Cherubini, Seraphini, Poteſtates & Throni in eius viſum exardeſcant. Vnde Petrus ait: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Ecquod igitur beatis eſt gaudium, ecquæ lætitia, ecquæ voluptas, iucundiſſimum illum vultum in æternum intueri?

1. Pet. 1.

Jacob videns filium Joſeph cõſternatus fuit.

Jacob Patriarcha cum in Ægyptum deſcendiſſet, & dilectum ſibi Joſeph in vniuerſo illo regno dominari vidiſſet, quem iam & viginti annis vt mortuum luxerat; ita gauiſus eſt & exultauit, vt eundem arctiſſime com-

Digitized by Google

complectens; præ gaudio lachrymatus ſit, lætitiaque longiorem orationem intercludente dixerit. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* An non vero gaudia Beatorum & ſolatia multo maiora eſſe credendum eſt; quando nimirum cœleſtē regionem ingreſſæ vident, non Ioſephum aliquem, ſed Deum illum æternum & infinitum, qui vniuerſum nutu orbem temperat? an non tum vere cum Iacobo dicere poterunt? Iam læti in æternum hic viuemus, iam vere felices ſumus, cum eſſentiæ tuæ pulchritudinem contemplamur. Tantum ſiquidem eorum gaudium erit, tanta quoque voluptas, nullis vt verbis exprimi queat.

Gen. 46.

2. Reg. 14.

Tantopere Abſolomum regis conſpectus, & præſentia delectabat, vt mori maluerit, quam diutius eiuſdem facie carere: cumque iam biennio à conſpectu regio excluſus fuiſſet, diutius idipſum ferre non valens, Ioab regiarum copiarum præfecto multis cum lachrymis ſupplicauit, *Obſecro ergo, vt videam faciem regis; quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* Sane ſi Abſolon tanti fecerit regio conſpectu frui, vt eodem carere tormentum morte grauius duxerit; quo gaudio affici credemus ſanctas illas animas, cum patrem illum ſuum & regem maieſtate contemplantur? quantum illis voluptatem & exultationem diuina illa facies afferet? quantum gaudium vultus ille regius? O gaudium! ô delicias! ô voluptatem incredibilem! Quis igitur adeo effeminatus & iners erit, vt mundum non deſpiciat, eiuſque voluptatibus valedicat, quo æternas delicias cum omnibus Sanctis in cœlo percipiat?

Animæ Beatorum dum Deum intuentur, variarum rerū ſimul notitiam acquirunt.

Præter inenarrabilia illa gaudia & voluptates incredibiles, quas Beati ex diuinæ eſſentiæ contemplatione percipiunt, eſt & aliud, quod eorum felicitatem mirum in modum adauget, quodque è diuina hac viſione naſcitur; omnium ſcilicet rerum perfecta & abſoluta cognitio, ſcientiaque quædam incomparabilis. Adeo vt quicumque Deum vident, omnia ſimul in eo videant: & vnico inſtanti & doctiſſimi & ſapientiſſimi reddantur: ita vt nihil amplius ignorent, eorumque intellectus illuſtratus, & exacutus de nulla iam re dubitet. Sine vlla namque difficultate ſtatim quidquid Philoſophicum, Theologicum, & Mathematicum eſt, percipiunt, omnia ſacræ Scripturæ emblemata, Prophetarum ænigmata, & omnem myſteriorum ſublimitatem in momento rimantur: profundas SS. Trinitatis abyſſos, ſublimia incarnationis miracula, & opus redemptionis humanæ penetrant. Eodem tempore intelligunt, & quomodo homines in Deos conuertantur, & quomodo Deus gratiam iis infundat, quomodo ſine vlla voluntatis coactione, nec eiuſdem priuilegiis violatis, eas iuſtificet vt tamen exterius non percipiatur; quomodo iuſtitiæ opera cum miſericordiæ operibus quam apertiſſime mariter, ignem ſcilicet cum aqua, oliuam & arma; quomodo per gratiam ſaluet, per iuſtitiam condemnet: quomodo ſine vllo reſpectu, ſine vllo meritorum intuitu, prædeſtinatos ad ſe vocet, eligat, & foueat, reprobos vero ſine vlla iniuria æternis ſuppliciis addicat; denique quomodo ipſa ſcientiæ certitudo cum rerum contingentia quam optime conueniat. Omnia autem hæc vnica figura manifeſta reddam.

IV.
3. Reg. 10.

Regina Saba varias difficultates animo agitans & dubie plurima mente voluens, Salomonis ſcientiam cum audiuiſſet; omni mox anxietate pulſa, & interius illuſtrata, omnium de quibus prius dubitabat rerum certior facta eſt. Vnde bene notauit hiſtoria, dum ſcribit, *Nec quidquam fuit, quod non perſpicuum ei fuerit.* An non hic docemur, animas illas beatas, reginas illas alienigenas, quæ hic in ſumma ignorantia rerumque inſcitia vixerant: quando in ſcholas illas æternas admiſſæ fuerint, Deumque viderint, omni obſcuritatis nebula diſſipata, omni dubio pulſo, menteque interius illuſtrata: perfectam omnium rerum ſcientiam habituras.

Conſ. pro rudibus.

Conſolamini igitur, conſolamini rude nati & educati, conſolare rudis muliercula, ſumite animam idiotæ & ignorantes; at omnem potius date operā, vt in cœleſtem beatitudinem introeatis: vix enim ad eam admiſſi eritis, quin Platone, Ariſtotele & omni Philo-

Philoſophorum cœtu doctiores futuri ſitis, finxerunt olim Poetæ, & nonniſi finxerunt, omnes qui in monte Parnaſſo ſomniaſſent, derepente etiam poetas fieri: at potiori iure de cœleſti hoc Parnaſſo, omnium ſcientiarum academia, dicendum; ad quem cum animæ, etiam ſtupidiſſimæ & obtuſiſſimæ venerint, doctiſſimæ euadunt, omnium rerum cognitione donantur, adeo vt nihil omnino ſit quod ignorent. Quod facillimum erit probare.

Lib. 4. dial. De his enim ita olim locutus eſt Gregorius, *Quid eſt quod non videant, qui videntem omnia videant?* Item Auguſt. *Ex parte*, inquit, *cognoſcimus, quamdiu in hoc ſæculo ſumus; ſed ad illam lucem patris hominum cum venientis nihil eſt quod neſciamus.*

Libr. de doctrina Chriſtiana.

Iob. 14. Idem qui ſupra Gregorius eandem opinionem ſecutus, verba illa Iob 14. *Siue nobiles fuerint filii eius, ſiue ignobiles, non intelligent* explicans adiungit, *Hoc de animabus ſanctis ſentiendum non eſt, quia qui omnipotentis Dei virtutem vel charitatem vident, nullo modo credendum eſt, quod ſit foris aliquid quod ignorent.* At ſi certum eſſet Beatos omnia in Deo videre, annon hinc ſequeretur, illos diuinam eſſentiam comprehendere cum viderent omnia, quæ in eadem ex ſtant? Res hæc quibuſdā ita perplexa viſa eſt, vt diſtinctione quadam Theologica hic opus eſſe putarint, ſcilicet, Beatos quidem omnia ſcire quæ Deus nouit, *Scientia viſionis*, non autem ex quæ *ſcientia ſimplicis intelligentia* cognita habet. Explico. Deus cum eſſentiam ſuam intuetur, ſimul intuetur & cognoſcit eodem momento quidquid in mundo vel olim factum fuit, vel fit, aut fiet; ſcientia autem illa, qua omnia perſpicit, vocatur *Scientia viſionis*, qua non ſecus atque oculi corporei, omnia, velut præſentia & coram ſe poſita, contemplatur. Idem deinde *Deus*, eandem ſuam eſſentiam contemplatus, nouit quidquid efficere & creare poteſt, quamuis nunquam id facturus ſit, aut producturus; niſi enim omnia potentiæ ſuæ obiecta perfectiſſime noſſet, potentiam quoque ſuam ignorare diceretur; & hæc ſcientia in ſcholis Theologicis *ſimplicis intelligentiæ ſcientia* appellatur. Quo præ-

Lib. 12. Mor.

Sancti nihil ignorant.

Duplex in Deo ſcientia.

ſuppoſito, dicendum eſt, fieri non poſſe, vt intellectus aliquis creatus, diuina viſione perfruens, omnia, quæ Deus facere poteſt, cognoſcat: hoc enim ſi eſſet, tanta foret perfectio cognitionis in creatura, quanta potentia creatoris in nouis affectibus in rerum naturam producendis: atque ita numen illud incomprehenſibile comprehenderet, quod tamen nulla creatura nequit comprehendere. Hinc propter ſcientiam illam viſionis, qua Deus omnia nouit, docent, ſpiritum aliquem creatum eadem etiam ſcire: qualis nimirum fuit anima Chriſti, quæ in Verbo omnia videt & nouit. Bene quidem de hac; ceterorum tamen Sanctorum animas hinc excludo; quamuis enim Deum videant, non tamen inde ſequitur, omnes realitates quæ in diuinæ eſſentiæ Oceano natitant, ab illis videri & comprehendi. Quod è ſacra ſcriptura ſcitiſſime poterit confirmari: hæc enim pluribus in locis docet, Angelos plurima ignorare: quamuis diuinæ eſſentiæ tabulam perpetuo intueantur. Teſtantur idipſum SS. Patres cum credendum docent non eodem prædeſtinatos omnes modo, diuinæ eſſentiæ ſpeculum intueri, ſed qui perfectius ipſum vident, plura etiam in eodem contemplari. Atque hinc fit ſuperiores inferioribus inſinuare quæ ignorant, atque Angelorum ſanctorumque ſcientiam velut & cætera, quæ ad mercedem & gloriam accidentalem referuntur, vſque ad vltimum iudicii diem, creſcere & indies augeri, at poſt ipſum non amplius excreſcit, tuncque finem, vt ceteræ res creatæ, accipiet. Nimis prolixa hæc digreſſio, & æquo verboſior diſputatio, eam iam mutabo.

Ieſu Chriſti anima videt quidquid Deus ſcientia viſioni nouit.

Angelorū & Sanctorum cognitio in cœlo quotidie creſcit.

Duo in Angelis notitiæ genera notat Auguſtinus, & quod ille de Angelis, de hominibus nos dicere poterimus, qui illis aliquādo in gloria pares exiſtent) vnam nominat *matutinam*, qua ſpiritus illi cœleſtes omnia norunt in ipſo verbo: alteram *veſpertinam*, qua eadem in ſeipſis per proprias formas intelligibiles norunt.

Lib. 11 de ciu. c. 7. & lib. ſup. Gen. c. 23.

Quidquid demum ſit, vtrum Beati videant Deum videndo omnia, vel aliqua tantum,

Oſtēditur Beatos vi-

dendo Deum, etiam creaturas videre.

tum, non magnopere laborandum eſt, hoc ſaltem dicere poſſumus, tam nobile obiectũ dum vident, eos quidquid ad perfectam beatitudinem ſpectat, ſimul videre. Quin etiam certum eſſe, eos, dum, diuinam hanc eſſentiam contemplantur. infinita etiam alia contemplari & conſpicere: Quod hac ratione adſtrui poſſe videtur. Cum enim Beati per lumen gloriæ ad ſingularem quandam cum Deo ſimilitudinem euecti ſint, dico, quemadmodum Deus lumine ſuo diuino non ſeipſum modo, ſed omnes omnino creaturas intuetur; ita quoque eoſdem per glorioſum hoc lumen, quod Deus immittit, non modo Deum, ſed plurimas etiam creaturas viſuros. Deinde, quoniam diuina eſſentia, quam velut formam intelligibilem Beati in diuinæ eſſentiæ contemplatione habent, nimium quantum propter infinitatem ſuam potens eſt ad omnes creaturas repræſentandas; non video quid impediat, quo minus ſancti, dum eandem inſpiciunt & conſpiciunt, etiam res creatas videant.

Quomodo Deus ſimul & creatura videri queant.

Notare hic vos velim, Theologi res creatas quas Sancti in diuina eſſentia vident, eadem beatifica viſione Deo viſas cenſeri, quia illæ quodammodo ad Deum, velut effecta ad cauſas, ſpectant, à quo maxime dependent, vel in quo potius ſunt; quia ipſæ omnibus creaturis infinita quadam ratione præeminent. Eodem prorſus modo, quo accidentia & paſſiones in ſubiecti eſſentia, quia ad id ſpectant & referuntur, cognoſci dicuntur. Hoc ſaltem certiſſimum eſt, per notitiam hanc intellectum penitus in rerum cogitatione, iuxta propheticum oraculum ſatiandum, *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua*, hac nempe viſa intellectus nouerit omnia, volũtas in omnibus delectabitur, & memoria plurimorum recordabitur, ipſa deniq; eſſentiæ tuæ contemplatio beatiſſimum me reddet & fœliciſſimum. Ecquænam igitur voluptas, ecquæ beatitudo & fœlicitas hæc erit! quantum gaudium Sanctis fœlix illa diuinæ eſſentiæ contemplatio afferet? Hæc ſc. animarum ſanctarum gloria eſt, tunc nonniſi de voluptatibus & deliciis ſermo erit, tũc nulla ignorantiæ mentio, illic idiotæ mox doctores euadent, muti oratores, aſini & bar-

Pſal. 16.

di Philoſophi. O paradoxa, ô natiuitates! Hanc obſecro viſionem mentibus veſtris infigite Chriſtiani, itaque fiet vt Deum nunquam offenſuri ſitis.

Hanc tu, ô rerum omnium opifex, Deus æterne, infinite, & omnipotens, qui maieſtate & mirabilibus plenus es, & in cuius viſione vera animarum noſtrarum gloria, Angelorumque beatitudo conſiſtit, gratiam præſta, vt aliquando te in cœleſti regione contemplari, gaudiis his perfrui, delicias has guſtare, lætitiæque ſempiternæ participare valeamus. Fac, obſecro, vt, quem hic in terris nonniſi lippientibus obſcuræ fidei oculis videmus, in cœlo aperte, ſine vllo velamine, coram videre valeamus: id eſt, facie ad faciem te cernamus, eſſentiam tuam contemplemur, quæ dum ſeſe videndam præbet, iliadem aliorum obiectorum & infinita alia creata, ſimul, velut in lucidiſſimo aliquo & voluntario ſpeculo, repræſentat: nullus tamen eandem penitus poteſt comprehendere, eius perfectiones indagare, aut ad fundum mirabilium eius pertingere. Quamuis enim Cœlites eam integram videant, non tamen eandem omnino & penitus peruident, id eſt, non omnibus quibus videri poteſt modis: quemadmodum enim qui Oceanum videt, omnem quidem illius ſuperficiem videre poteſt, non autem omnia, quæ in eo vſq; ad infimas abyſſos delitеſcunt. O igitur viſio vere admirabilis, viſio beatiſſima, quæ homines ſimul & Angelos in admirationem rapit! viſio denique, verbo vt abſoluam, quæ animarum gloria eſt, noſtræq; beatitudinis obiectum, ad quam nos S. Trinitas & trina vnitas deducere dignetur, quæ viuet & regnabit in ſæculorum ſæcula,

AMEN.

FERIA QVINTA.

DE CORPORVM BEATORVM *gloria.*

Partitio.

1. *De corporum glorificatione.*
2. *De reſurgentium corporum perfectione.*
3. *De quatuor dotibus corporum glorificatorum.*

Memorare nouiſſima tua, *& cogita, quanta corporum beatorum futura ſit gloria*, & in æternum non peccabis, *Eccleſ. 7.*

FIGVRA.

Exod. 15. CVm magnus ille Hebræorum ductor, Ægyptiorum terror, Iudæorum legislator, prodigiorumq; patrator Moyſes in montis Sinai ſummitate verſaretur, cumq; Deo ſecretius ageret, tanto interius anima eius perfuſa eſt gaudio, & corpus gloria, vt facie inſtar ſolis ſplendente, oculiſq; flammarum more ſcintillantibus populus in eum oculos intendere nō potuerit. Quid dubitamus hoc corporum cœleſti gloria donatorum figurā dicere? quam primum enim vt electi montes æternos conſcenderint, familiaritate diuina perfruentes, incredibilem in anima voluptatem, & incomparabilem in corpore gloriam ſplendoremq; experiuntur, qui nullis exprimi verbis poſſit, facies enim eorum inſtar ſolis reſplendebit, oculi inſtar aſtrorum ſcintillabunt, totum denique corpus lumine & gloria illuſtrabitur. O diuina metamorphoſis, & egregia commutatio! ô conuerſio tota cœleſtis! hanc vero pluribus hodie vobis demonſtrare decreui, ſed ante omnia ſpiritus paracliti opem, & Deiparæ Virginis intercedentis auxilium imploremus. Atq; ideo cum Angelo eandem compellemus.

AVE MARIA.

1\. Quemadmodum fide edocti ſumus, perpetuam animabus poſt hanc vitam beatitudinem ſupereſſe, ita quoq; firmiter credimus poſt vniuerſale iudicium ingentem corporibus Sanctorum gloriam eſſe deſtinatam. Eſt enim hoc longe æquiſſimum, ipſaq; hoc diuina iuſtitia videtur exigere, vt quoniam miſera illa corpora ita exhauſta ſunt inedia, ieiuniis, macerationibuſq;, totq; labores & moleſtias perpeſſa ſunt, aliquam etiam mercedem, remunerationemq; recipiant, ipſam ſcilicet gloriam cœleſtem. Hac ſpe innixus Iob in ærumnis exultabat, inque fimeto reſidens, hoc propoſito præmio, ſe conſolabatur. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea, videbo Deū ſaluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt ſpes mea in ſinu meo.* *Iob. 19.* Perinde ac ſi dixiſſet, Eia age, corpus, ſuſtine, patere, tempeſtates, procellas & fortunæ aduerſantis rabiem vide: neq; enim hoc futurum eſt perpetuum, non ſemper aduerſabitur tibi ſors, habebit finem ærumna, non ſemper in ſterquilinio hoc ſedebis, non ſemper in ſordib. volutaberis, veniet enim dies, qua gloria circumdaberis. Cōſolamini, conſolamini oculi mei, qui modo lachrymas velut fontes emittitis, veniet ſiquidem tempus, quo Deum tuum, & mundi ſaluatorem videbitis. Atq; hæc omnia de viſione humanitatis & glorioſi corporis Ieſu Chriſti, qui in æterna beatitudine oculorum corporalium obiectum erit, non vero de diuinitatis, quæ omnes ſenſus longe tranſcendit, omneſq; facultates materiales excedit, intelligēda ſunt. *Chriſti humanitas à beatis aperte in cœlo videbitur.*

Hunc quoque in modum conſolabatur ſe Propheta regius dum ait, *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia*: *Pſal. 29.* tempus præteritum pro futuro vſurpando dicere vult: Permittes quidem aliquando Domine, vt vilis hic & diſciſſus corporis ſaccus à morte dilaceretur, inque cineres redigatur, ſed mox poſt diem reſurrectionis eandem reparabis reſtaurabiſq;, lætitia me incredibili perfundens. Bene autem dixit, *Circumdediſti me lætitia*: eo quod corpora Beatorum in cœlo, obiectis variis, quæ lætitiam & voluptatem incomparabilem afferent, circumdanda ſint. Quibus? An non enim circumdari & cir-

circũuallari lætitia eſt, videre ſuperius regem plenum gloriæ, ſubtus cœlum ſideribus variegatum, tot ad latus Angelos & ſãctos gloria perfruentes, ante quoque æternitatem numquam finiendam, & poſt fœlicitatem nulli alteri comparandam.

Mardochæus, qui ſacco prius & cilicio cinctus per vrbem incedebat, ſuper terram cubabat, ieiunio carnem emacerabat, hoſte ſuo iuratiſſimo è medio ſublato, purpuram & coccum induit, auro fulgebat, & coronam auream capite geſtans, intrepide ad Regem
Eſth. 2. accedebat. Deſignabat hæc hiſtoria hoc ipſum corpus, quod modo carnis huius ſacco indutum, in ſumma abiectione ambulabat, & ſuper nudã vitæ huius extenditur, aliquãdo coram diuina maieſtate appariturũ, regio ſchemate veſtiũ, gloriæ veſtimento circumdatum, coronamque immortalitatis capite geſtans. Hancce figuram confirmãs Apoſtolus, meoq; conceptui quam proxime acce-
1. Cor. 15. dens in prima ad Corinthios ait: *Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur, oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*, id eſt, Nos, qui vilibus hic & ruſticorum veſtimentis induti ſumus, aliam tandem aliquando veſtem, imo regiam aſſumemus, cum qua coram ſummo Numine compareamus.

Paſtor ouium Dauid, interea dum cum
4. Reg 17. ſpurio Philiſthæo decertaret, nonniſi paſtoritia lacerna indutus erat, ſed hoſte & bello confecto mox veſtem mutauit & ſortẽ, nam è paſtore princeps factus, tunicæ paſtoritiæ loco regium paludamentum aſſumpſit. Inſignis profecto allegoria, quæ docet, quamdiu corpus noſtrum in vita hac agit, quæ nonniſi continuus quidam conflictus & certamen eſt, in qua ei cum hoſte illo teterrimo, mundo, inquam, decertandum eſt, nonniſi vili mortalitatis paſſionumque tunica idipſum indutum eſſe: at bello peracto, & paſſionibus edomitis ſortem & habitum mutaturum, nam ex mortali immortale, è plebeio nobile reddetur, & loco ignobiliorum craſſitudinis grauitatiſque colorum, æterna veſtimenta gloriæ & honoris aſſumet. Accedit huic meę ſententiæ ad Philippenſes ſcribens Apoſto-
Philip. 3. lus: *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, vnde etiam ſaluatorem exſpectamus Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem, qua poſſit etiam ſibi ſubiicere omnia.*

Quamdiu Arca teſtamenti in deſerto & Exod. 38. ſolitudine Sinai errabat, pellibus animalium conueſtita erat: at mox vt in templum à Salomone exſtructum illata fuit, veteribus depoſitis exuuiis, tota auro intus & foris reſplenduit, & inter Cherubim ex ære conflatos collocata. Iterum hic docemur, animam 2. Par. 17. quæ vere arca Teſtamenti eſt, quamdiu in vitæ huius deſerto cõmoratur, pellibus carnis & vilibus corporis exuuiis eſſe circumdatam; ſed vbi in ſplendidiſſimum cœlorum templum introierit, pelles & ſaccos in aurum & fulgorem conuertendos, eamq; in medio verorum Cherubim & Angelorum collocatam, circumquaque rutilaturam.

Filius ille prodigus, ſi eius ſortis meminiſtis, è longinqua regione redux, lacer & nu- Luc. 15. dus, ſordibus & illuuie obſitus, mox vt patrias ædes intrauit, noua veſtimenta accepit, & vario obſequiorum caritatiſque paternæ genere exceptus fuit. Hinc diſcite, Auditores, hominem, qui vere filius prodigus eſt, qui omnem olim ſubſtantiam in terreſtri Paradiſo decoxit, tandem aliquando è mundi regione redeuntem, corporeaq; veſte nimiũ quantum lacera, in mortali ſc. vita degendo, indutum, & domum paternam, cœlum, inquam, ingredientem, nouas exuuias habiturum, veſtimenta gloriæ aſſumpturum, auro & gemmis rutilantia veſtimenta quæ numquam conſumentur, ſed priſtinum perpetuo ſplendorem conſeruabunt. Hinc in Apocalypſi vidiſſe ſe ait Joannes plurimos, *Amictos* Apoc. 7. *ſtolis albis*. Ecce & figuram.

Joſeph Patriarcha, cum fratres in Ægyptũ Gen. 45. frumentandi cauſa miſſos videret, duas ſingulis veſtes impartiit. Signabat hoc, Deum omnium Patriarcharũ caput, animabus Beatorum cælum ingredientibus, duo veſtis genera elargiturum, vnũ quo beatitudo animę, alterum quo corporis deſignatur, ac tanti illa ſplendoris & dignitatis vt ſi eorum interdum meminiſſemus, nunquam Deum offen- Eccleſ. 7. deremus. Ita quippe cenſuit Salomon: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Nn 2 Hanc

Digitized by Google

Vnica ſolum hic ſeſe offert difficultas, quæ
1. Cor. 4. è verbis Apoſtoli eruitur, ait enim alibi: *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*. At dicere oportet, nō hic eum de carnis aut ſanguinis ſubſtantia, ſed de carnis & ſanguinis operibus, id eſt, peccatis, agere, vtitur autem eadem ſignificatione in Epiſtola ad Galatas: *Manifeſta ſunt opera carnis*; denotat enim hic officia functioneſque vitæ brutalis, quales ſunt comeſtio, potio, generatio, dormitio, aliæq;. Ita quoq; id declarauit Seruator,
Matth. 22. cum apud Matthæum locutus eſt: *In cœlo neq; nubent, neq; nubentur*. Aut, ſi Auguſtini expoſitionem ſequi malimus, per carnem & ſanguinem intelligenda hic erit corruptio, quomodo in hoc, modo in illa dominatur, inq; mortale hoc corpus vires exerit, quæ poſt generalem mortuorum reſurrectionem nullum habebit locum.

Vtrum coſta Adæ reſurrectura ſit in Eua, an in Adā.

Iterum noua hic difficultas exoritur: Vtrum ſcilicet coſta Adæ, quam Deus clanculo ei dormienti abſtulit, & ex qua Euam compegit, in hac an in illo reſurrectura ſit. Qui hoc curioſius inquirunt, hoc argumentum proponunt. Coſta illa Adæ vere & realiter connaturalis fuit, vt nobis noſtræ, non tamen in eo reſurget, alioquin Eua, quæ de eadem formata eſt, reſurgeret, quod dici nequit. Sed veriſſima ſententia eſt, coſtam hanc non fuiſſe in Adamo de perfectione indiuidui, ſed tantum velut partem à magno naturæ Magiſtro ad augmentum ſpeciei cōſtitutam: ideoque in Eua, non vero in Adamo reſurrecturam, veluti ſemen humanum in eo, qui genitus eſt, non autem in generante. Veriſſimum eſt igitur, quod initio propoſueramus, quidquid ad corporis perfectionem & pulchritudinem ſpectat, cūm eodem reſurrecturum, ipſum quin etiam ſanguinem & humeros domeſticos & arteriis contentos.

Non erunt in cœlo poſt reſurrectionem claudi aut cæci.

Hinc rurſum eruimus, nullos in cœlo fore debiles, claudos, loripedes, membris mancos aut cæcos. Quod in libris Regum figurate expreſſum legimus, vetuit enim Dauid, ne quis claudus aut cæcus templum ingrederetur.
2. Reg. 5. An non ſolo templo præceptum hoc coarctabatur, ſed ad cæleſtia vſq; limina pertingebat, ſcilicet nullus corporis defectus aut deformitates cœlo recipiendas. Alia idipſum figura & Deus in Leuitico reſignauit. Leuit. 21.
Noluit enim quemquam, in quo næuus ali- Deut. 15.
quis reperiretur, panes, in ſacrario offerre, aut ad miniſterium diuinum accedere, cæcos quoque, claudos, torto naſo, fracto pede, aut gibboſos intra velum vetuit introire: & hanc præcepti rationem dedit, ne ſanctuarium contaminaretur. At vt alterius ſeſe hoc præceptum extendebat, denotabatque figurate, nullum diſtortum, gibboſum, mutilū, deformem, luſcum, cæcum in ſacratiſſimum cœli templum, in quo IESVS loco crucifixi & Beatiſſima Maria, loco pulcherrimæ imaginis, poſiti ſunt, admittendum, & poſt reſurrectionem generalem, ſummam omnium omnino corporum perfectionem futuram, nihil vt iiſdem ad ſplendorem decorumque addi poſſit.

Tunc videlicet non amplius claudicabit Iacob, tunc Iſaac lippire deſinet, tunc Tobias lynceos habebit oculos. Longe etiam alia his adnectit Iſaias, dicit enim eos, qui hic in terra claudi erant, in cœlo cum ceruis & nimbis Eſai. 35.
curſu certaturos, *ſal et ſicut ceruus claudus*. Tunc quoque miracula illa tantopere celebrata contingent, tum verbis Euangelicis Matth. 11.
dicere poterimus: *Cæci vident, claudi ambulant*; tunc quoq; figura illa, quam in Exodo Luc. 7.
legimus, complebitur.

Iſraelitis enim Ægypto cum vxoribus & libris egredientibus, nullus inter eos claudus, cæcus, debilis, nec æger quidem repertus eſt; quamuis ſexcenta hominum millia ad bellandum apta per mare rubrum egredetentur; quod obſeruauit Pſalmiſta, dum canit: *Non erat in tribubus eorum infirmus*. Ita Pſal. 104.
inter omnem corporum, terræ viſceribus & mundi regno egredientium, multitudinem, ne vnus quidem claudus aut cæcus, vel æger reperietur, quod Ioannis Reuelationum libro verbis confirmo: *Hi ſunt, qui venerunt de* Apoc. 7.
tribulatione magna, & lauerunt ſtolas in ſanguine Agni, ideo ſunt ante thronum Dei, die ac nocte in templo eius; neque eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus, abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. O fœlix prærogatiua, & beata Beatorum corporum ſors! quam & Eſaias magis Eſai. 52.

 exagge-

exaggerat, dum ait: *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie.*

Omnes in eadem ætate reſurgent.

Audite & aliquid. Omnes illa die in eadem ac pari ætate reſurgent, ideoq; omnium Beatorum corpora eoſdem annos, & eundem vultum præferent, adeo, vt nullus tunc puer, nullus decrepitus, nulli cani, nulla caluities futura ſit. Tunc innoxij illi paruuli è matrum rapti vberibus, carnificis gladio iugulandi, non amplius tenella & mollia corpuſcula habebunt, nec Iacob Patriarcha canos, quos ad inferos ſe deducere cum fletu dicebat, vertice præferet, ſed omnes in viridi ac vegete iuuenta, in flore ætatis, & quaſi vere vitæ reſurgent. Hinc Pſalmiſta: *Renouabitur vt aquila iuuentus tua.* Id eſt, Tanta tua aliquando futura eſt beatitudo, anima mea tanta quoque tua ô corpus, vt non ſemper canos ſis habiturum, aut præ ſenectute ſemper incuruandum, ſed inſtar aquilæ renouandum.

Pſal. 102.

Idipſum docet ad Epheſios Apoſtolus, dum ait: *Donec occurramus omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:* Atqui certiſſimum eſt, Chriſtum in florida ac matura iuuentute reſurrexiſſe, quæ, iuxta Auguſtinum, triceſimo ætatis anno inchoatur. Sequitur itaque electos in vniuerſalis iudicij die in ſimili ætate reſurrecturos: quod & hac ratione poterit ſtabiliri. Neceſſe eſt corpora in maxima perfectione reſurgere, at nulla ætas iuuenili perfectior aut nobilior; credendum igitur omnes in illo ætatis flore reſuſcitandos. Adſtipulatur huic opinioni & D. Thomas, quam & variis rationibus confirmat.

Ephe. 4.

4. *Sent. diſt.* 44. *q.* 1 *art.* 5. & 3 *p q.* 81. *art.* 2.

Poſt reſurrectionem nulli ſuperorunt gigantes, aut pigmæi.

Fuêre alij, qui docuerunt, omnia fidelium corpora eadem etiam qualitate, magnitudine, ſtatura reſuſcitanda: at nullam hæc ſententia veri ſpeciem habet, & à pauciſſimis Theologis adſtruitur: quam D. Thomas cōtrarium defendens, exſibilat, quanquam credat, omnes ea quantitate & ſtatura reſurrecturos, quam iis natura, niſi nouercam egiſſet, id eſt, niſi in materia debita parca, & in ſuperflua minimeque neceſſaria prodiga exſtitiſſet, in iuuenili ætate elargiri potuiſſet. Nulli igitur tunc erunt gigantes, nulli quoque pigmæi, aut nani, ſapiens namque & prouidus naturæ director & Oeconomus ſuperflua reſecabit, & defectus omnes ſupplebit.

Illæ ſunt laureæ, triumphi, & mercedes, quæ vos ô ter ac beata ac fortunata corpora, poſt hanc vitam manent, ſi modo rationis directionem ſequi, animæque ſalubriter monenti auſcultare cupiatis, eadem cum illa gloria donabimini, ſi in huius vitæ ſtadio vos humiliaueritis, in altero profecto exaltabimini. Eſtote igitur in perferendis aduerſus infracta, auſteritates amplectimini, pœnitentiæ operi conſectimini, ieiunia colite, labores deſpicite, cum certum ſit & indubitatum, patientia & conſtantia gloriæ vobis coronam plecti. Ita ſeſe in aduerſis conſolabatur Auguſtinus, hæc vna gloriæ ſpes infractum eum & generoſum in aduerſitatibus tolerandis reddebat, & ſi quando corpus interdum refragabatur, hac ſtatim animū meditatione communiebat: *Nonne dignum eſſe pati omne, quod triſte eſt, vt tanti boni tantæque gloriæ participes habeamur? frangant ergo corpus ieiunia, premant carnem veſtimenta, labores grauent, vigiliæ exſiccent, frigus incuruet, conſcientia murmuret, calor vrat, corpus doleat, pectus ardeat, inflëtur ſtomachus, palleſcat vultus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum.* O meditatio vere diuina! ſed iam nimis diu huic parti inhæſimus. Ad alteram veniamus, videmus, inquam, qualia Beatorum corpora in cœlo futura ſint, qualesq; dotes æterna beatitudo allatura.

In Enchiridio.

S. Auguſtini meditatio.

III.

Quatuor potiſſimum ſanctis hoſce corporibus dotes Theologi aſſignarunt, quas vulgo qualitates ſupernaturales appellant. Harum prima eſt impaſſibilitas, quæ nihil eſt aliud, quam ab omni paſſione exemptio, & aduerſus omnes fortunæ inſultus tyrannorumque impetus prærogatiua. Ita hoc ipſum teſtatus eſt ad Corinthios Paulus: *Seminatur,* id eſt, generatur, *in corruptione, & reſurget in incorruptione.* Cui & ratio adſtipulatur: quidquid enim pati, ipſum & corrumpi poteſt, atqui corpora cœleſtium corrumpi

1. *Cor.* 15

rumpi non poterunt, ergo nec pati. Deinde fortior nō patitur ab imbecilliori, atqui nulla Sanctorum corporibus fortiora, aut valentiora reperire eſt, ergo ne minimum quid patientur. De horum autem robore hoc Apoſtoli ad Corinth. habemus teſtimonium, *ſeminabitur in infirmitate, resurget in virtute & potentia.* Item illud B Anſelmi, qui ait, Sanctos in cœlo robore Hercules & Sampſones ſuperaturos, tantumque eorum robur & virtutem fore, vt horum minimus vniuerſam hanc mundi machinam concutere & inſtar pilæ loco mouere poſſet.

1. Cor. 15. *Lib. de ſimil.*

Gloriabatur olim Archimedes, ſe, ſi pedem extra mundi limites ponere poſſet, altero terram quaſi globum propulſaturum. Inanis hæc quædam præſumptio fuit, in Sanctis tamen hoc locum habet, quibus vaſta hæc orbis machina inſtar pilæ ſit. Cum igitur tanta Sanctorum corporum vis ſit & potentia, quid illis nocere queat? ſi nihil nocere illis poteſt, ergo impaſſibilia ſunt. Quod vt euidentius vobis fiat & manifeſtius, cogitate quæſo vobiſcum, Hebræorum veſtes licet quadraginta annis in deſerto hærerent, impaſſibiles exſtitiſſe, nec vlla ex parte ne in fimbriis quidem attritas: item corpora illa cœleſtia, quæ continuo motu iam à quinque annorum millibus feruntur, quamuis ignem violentiſſimum elementum vicinum habeant, ne minimum tamen detrimentum paſſa eſſe. Quanto igitur potiori iure de Beatorū id corporibus, quando cœleſti iam gloria perfruuntur, dicendum eſt?

Sanctorum robur.

Quis obſecro, hoc in dubium reuocare audeat? ſi enim corpora hæc deſtinata ſint vt à morte maneant immunia, & in æternum viuant, aduerſus omnes impetus accidentium & morborum infracta, an non æquum eſt & neceſſarium, vt penitus impoſſibilia ſint? Adhæc ſi ipſa iuſtitia originalis corpora in ſtatu innocentiæ, immortalia & ab omni paſſione libera potuit reddere, niſi peccatum obſtaculo fuiſſet, an non gloria æterna, in ſtatu beatitudinis tantum in Beatorum corpora iuris & poteſtatis habeat, vt iiſdem illa priuilegiis gaudere faciat?

Vnde impaſſibilitas illa corporum oriatur.

Verum vndenam impaſſibilitas hæc ortum habet, inueſtigare, hoc opus, hic labor eſt, multi multa ſentiunt, & variæ hic opiniones concurrunt. Sunt namq; qui hanc elementis adſcribunt, quæ longe alia ſe tunc circa Beatorum corpora, quam modo circa noſtra ratione habebunt: aiunt enim elementa in illis cum pura & nuda ſubſtantia, & ab omni actiua & paſſiua qualitate libera, futura, atque ita nullum omnino motum & bellum in iis concitura, corporaque ſine vlla turbatione, paſſione, corruptione, ac proinde ſemper in gloria permanſura. Verum opinio hæc non eſt vſquequaque probabilis, & ſinceræ Philoſophiæ penitus contraria. Si enim tunc qualitates à ſubiectis eſſent ſeparatæ, elementaque nuda ſubſiſterent, vileſcerent proculdubio, deterioraque quam modo ſunt, dicerentur. Accedit adhæc, quod quandoquidem qualitates hæ accidentia ſint elementis propria, quippe quæ ab eorum materia & forma producantur, abſurdum ſit dicere, effecta cauſis tamen non deficientibus deficere.

Variæ opiniones, de impaſſibilitatis huius cauſa.

Atque ideo alii, viſa ſententiæ huius abſurditate, credidere, qualitates has realiter & vere duraturas: ſed purificatas, & à propriis actionibus & functionibus ſecretas, Deo ad corporum noſtrorum conſeruationem id ita permittente. Verum nec hi ſcopū attigerūt, nam horum opinio ſi in validi alicuius lance ponatur argumenti, leuis & bulla inanior videri queat. Ita namque impaſſibilitas in Electorum corporibus non dos aliqua, aut qualitas ſupernaturalis, (vt interim taceam, de ſubſtantia impaſſibili,) ſed tantum inſtar protectricis, & auxiliatricis exterius aduenientis, à diuina videlicet poteſtate, aduerſus communes impetus & corruptiones data, foret: quæ idipſum etiam in corporibus hominum, hoc in mundo adhuc agentium, poſſet afficere.

Alii vero, prioribus tamen penitus contrarii, docuere, Beatorum corpora, cœlo iam contenta, neſcio quid ſe occultum tamen, habitura, quod eadem à patiendo tolerandoque præmuniat & præſeruet, cumque nomen huius amuleti ignorarent, & tamen nomine aliquo donare vellent, ad quintā eſſentiam id retulere, quæ ſcilicet in hominum corporibus dominium exerceret, microcoſmum

coſinum hunc diriperet ac moderetur, ipſa alimenta ſingulari quadam ratione temperet, & harmonice ad inuicem concinnaret, ipſaque corpora, non ſecus ac cæleſtia, ab omni paſſione & corruptione vindicaret. Sed nec verum eſt, verum prioribus multo etiam abſurdius: nemo enim dixerit, à virtute aliqua naturali, qualis eſt corporis alicuius cæleſtis, hominum corpora ad huiuſmodi gloriam, vt eſt ipſa, Beatorum corporum impaſſibilitas, euehi poſſe. Cum & ipſe Apoſtolus hanc mutationem, non ad naturalem aliquam potentiam, ſed ad Ieſu Chriſti virtutem retulerit, *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ.*

Phil. 3. Verior circa impaſſibilitatem hanc opinio.

Verior, & cui magis aſſentior, opinio eſt, omnem impaſſibilitatis huius cauſam ad ipſamet debere corpora referri, illa namque & quidquid ad illa referri poteſt, tum perfecte animæ rationali obtemperabunt, & ſubdita erunt, non ſecus atque anima Deo: adeo vt corpora nullam mutationem inſigni huic ab anima communicatæ diſpoſitioni contrariam receptura ſint, ac proinde ſemper impaſſibilia futura. Porro ſententiam hanc cōfirmat hoc Philoſophorum placitum, *Omnis paſſio fit per victoriam agentis ſuper patiens*, nunquam alioquin ſuperare ipſum poſſet: & fieri ſane non poteſt, vt agens in patiens agat, niſi in quantum formæ potentia minuitur, ac virib. tandem deſtituta loco cedere cogitur, at nullum agens in rerum natura, etiam vehementiſſimum reperitur quod in glorioſum corpus agere, multoque minus idipſum corrumpere poſſit, cum ab his prorſus immune ſit, ſoli animæ ſubditum, in gloria & immortalitate, idque protectricis ſuæ auxilio viuens.

Subtilitas ſecunda dos corporum Beatorum.

Præter impaſſibilitatem hanc, & ab omni mutatione exemptionem, habebunt Glorioſorum corpora ſubtilitatem quandam incredibilem, cuius ope & adminiculo quocunque locorum ingredientur & egredientur, quin & ianuas violenter, ſine vlla tamen vi, perfringent, muros penetrabunt, cœlos pertranſibunt, nulloque impediente inſtar ſpirituum, radiorumque ſolarium vitreas feneſtras perradiantium, per omnia ſeſe ingerent. Colligere hoc eſt ex Pauli epiſtola ad Corinthios, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*: id eſt, quod à ſpiritibus & Angelis, quoad ſubtilitatem, nihil differet. Bis hoc Ieſus Chriſtus ſeruator noſter ſuo in corpore deſignauit, primo cum vi propria ſepulchro ingenti ſaxo communito egreſſus eſt; ſecundo cum ianuis clauſis intrauit in locum, vbi Apoſtoli propter metum Iudæorum congregati erant. Fuere hæc duo glorioſæ huius ſubtilitatis miracula & acta ſupernaturalia. Ecce & alia ratio, eo corpora ſunt ſubtiliora, quo nobiliora & excellentiora: at quoniam Sanctorum corpora nobiliſſima ſunt, neceſſe quoque eſt eadem eſſe ſubtiliſſima. 1. *Cor.* 15.

Errores quorundā perperam de hac ſubtilitate ſentientium.

Sexcentos hæc corporum ſubtilitas in orbe errores inuexit. Fuere namque hæretici, vt teſtatur Auguſtinus, qui dicebant, corporum hanc ſubtilitatem non fore aliam, quam qualem ſpiritus & Angeli habent, quod nimirum ipſa poſt reſurrectionem in ſpiritus conuerterentur: at ſi hoc fieret, nulla homini, qui anima ſimul & corpore conſtat, reſurrectio foret exſpectanda. Alium adhuc quorundam errorem refert Gregorius, dicentium ſubtilitatem hanc nonniſi quandā rarefactionem eſſe, corporaque ſancta inſtar aeris aut ventorum leuia futura. Sed eſt quoque erroneum, & hæreticum. Chriſtus enim poſt reſurrectionem verum habebat corpus non aereum aut inane, ſed quod videri & palpari ab omnibus poterat: ita namque de ſeipſo teſtatur, *Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere: palpate & videte.* Deinde corpora hæc reſurgent, oſſibus compacta & ſolida, pelleque cooperta, muſculis adhæc compaginata, & cartilaginibus conſtantia. Teſtatur hoc Iob Propheta, *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Mera igitur hæreſis & peruerſa doctrina eſt, hocce credere: at ſatius eſt dicere, ſubtilitatem hanc à diuina, perfecta, excellentique complexione, qua tunc ſancta hæc corpora dotata erunt, quamque animæ glorificatæ, quæ eorum propria forma eſt, dominium cauſabitur, ortum habere, atque ideo ſpiritualia, id eſt, ſpiritu penitus ſubiecta, appellabuntur. *Lib.* 13. *Mor.* *Luc. vlt.* *Iob* 19.

Habebunt adhuc aliam qualitatem, quæ com-

Digitized by Google

communi nomine Agilitas appellatur; per quam vnico momento cœlo in terram poterunt deſcendere, & ab vno mundi cardine diſcurrere in alterum, idque ſine vllo obſtaculo, aut impedimento. Elici hoc è verbis illis Pauli poteſt, *Seminatur in infirmitate, reſurget in virtute*; ad quod Gloſſa addit, *id eſt, mobile & viuum*. Quod & hac ratione demonſtro: tarditas & mora inimica ſunt ſpiritui, atqui glorioſa corpora nonniſi meri ſpiritus erunt: igitur agilia & leuia. Cuius hanc eſſe cauſam exiſtimo: Glorioſa hæc corpora animæ penitus ſubiecta erunt, non ſolum quod nihil in illis futurum ſit quod ſpiritui reſiſtat, eique aduerſetur (hoc namq; & Adæ corpori non defuit) verum etiam quod ex anima perfectio quædam in corpora deriuanda ſit, per quam ad huiuſmodi ſubiectionem recipiendam apta reddentur, atque hæc perfectio corporis glorioſi dos nominatur. Atqui certum eſt, animam corpori vnitam eſſe, non modo in quantum ipſa qualitas formæ eſt, verum etiam quod moueat, neceſſe igitur eſt, vt corpus glorioſæ animæ omnibus hiſce modis ſubiiciatur. Quemadmodum igitur per ſubtilitatem ipſi animæ velut propriæ formæ ſubiicitur, ita per agilitatem velut motrici & directrici ſubditum erit, ſed ita vt animæ voluntati quam promtiſſime, diligentiſſime, & celerrime obediat.

1. Cor. 15.

Vnde agilitas hæc oriatur.

Pluribus celeritas hæc è ſacra Scriptura locis adſtrui poteſt, quæ animarum motum rebus leuiſſimis & moueri facillimis comparat. Sapiens eam ſcintillis comparat, *ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrent*. Ezechiel fulguri; idque in ænigmate rotæ, quæ à ſpiritu impellebatur, *Ibant & reuertebantur inſtar fulguris*. Iſaias auibus per aera volantibus, *Aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, volabunt & non deficient*. O delicias incredibiles ignem celeritate, aues velocitate, fulminis alas leuitate anteuertere, annon incredibile gaudium adfert? At ne hoc vobis incredibile videatur, ſimilitudine quadam notius faciam. Si enim curſores illi cœleſtes, quos Ariſtoteles Intelligentias, nos ſanctiori nomine Angelos nominamus, ad planetarum orbiumque cœleſtium motum, directionemq; deſtinati quatuor horarum ſpatio totum orbem obambulent, adeo vt ſingulis horis viginti ſex paſſuum millia conficiant; an non credemus, glorioſas illas animas, naturales illas & internas corporum ſuorum motrices, celeriorem adhuc ipſis motum impreſſuras? ab vno ſcilicet polo in alterum eadem transferendo, vnicoque momento ab vno mundi cardine in altum deuehendo. Sane ſi Angeli naturales illi corporum cœleſtium & ſpiſſorum motores, tanta eadem celeritate impellant; crediderim animam gloria cœleſti iam donatam, ſupernaturaliũ virium adminiculo, maiori glorioſa hæc corpora agilitate impulſuram. Quanta Deus bone eorum velocitas erit?

Sap. 3.
Ezech. 1.
Iſai. 40.

Angelus, qui Abacuc Prophetam in Babylonem è Iudæa, quæ quingentis paſſuum millibus à ſe inuicem diſtabant, cæſarie apprehenſum, vnico momento, tranſuexit, huiuſce meæ ſententiæ teſtis & ſuffragator erit. Si enim hoc ille in alterius corpore, quid non animam in proprio facturam credendum eſt? ſi in corpore adhuc mortali, ſpiſſo, craſſo, patibili, hoc ille potuit; quid obſecro, hæc Angelis par in gloria, in proprio, & quidem glorioſo, beato, ſpirituali, diuino, quoque agile erit, vt quæ maxime, faciet?

Dan. 14.

Longius adhuc proceſſit Auguſtinus ait, namque tantam corporum horum agilitatem fore, vt ipſum animæ velle & cogitationem quodammodo præuerſura ſit. *Vbi volet ſpiritus ibi erit & corpus*. At tam celeres ſpiritus & animæ motus ſunt, vt vnico inſtanti, & deſiderio cœlum, & metu inferos, & cogitatione adeat antipodes, ſpe quoq; & ambitione ad columnas Herculeas vſque pertingat, & vbicumque locorum imaginando peregrinetur. Cum igitur corpus eadem qua ſpiritus celeritate mouendum ſit vt quidem Auguſtinus ſenſit; credere profecto oportet, magnam eius celeritatem & agilitatem fore.

Corporum glorioſorũ tanta velocitas quanta imaginationis.

Sed cui bono hæ hyperbolicæ locutiones? Anne corpora vnico inſtanti mouebuntur? anne Philoſophorum placita euertere ſacra-

Vtrum corpora vnico in-

Dauid rex ad cœleſtia aſpirat. *Pſal.* 119.

Hercules ille Hebraicus Dauid, maius etiam deſiderium oſtendit; nam hinc rerum cœleſtium pulchritudine & excellentia captus, illinc vero rerum terrenarum inanitas pertæſus, exclamat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! multum incola fuit anima mea.* Dicere vult, Anne diutius in hac me lachrymarum valle detinebis Domine? mille mihi hic vixiſſe annis videor, quando, obſecro, aderit tempus, quo gloriam tuam intuear? quando veniam & apparebo ante faciem Dei? nam tunc ſatiabor, cum apparuerit gloria tua. A quadraginta, ne dicam ſexaginta, iam annis, in ſumma egeſtate vixi, panem petij, & tanta, eheu! mundi inopia & egeſtas eſt, vt me ſatiare nequeat; imo numquam aliquid mihi ſufficiat, donec vultus tui lumen videam, gloriæque cœleſtis particeps fiam; ô ardens rerum cœleſtium & diuinarum deſiderium!

Regnum cœlorum theſauro comparatur.

Ipſe quoque Redemptor Christus, regnique huius Rex, tantopere idipſum extulit, vt diceret hominem, ſi vel aliquam eius cognitionem haberet, illiusque delicias vel ſummis labris deguſtaret, omnium terrenarum rerum iacturam libenter facturum. Hinc in Euangelio ita de ipſo locutus eſt: *Matth.* 13. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, vendit omnia quæ habet, & emit illum.* Regnum, inquam, cœlorum, ager latiſſimus ac ſpatioſiſſimus eſt, in quo ingens ille gloriæ theſaurus abſconditus latet, quem ſi quis vel cogitatione tantum inueniret, facile quidquid in mũdo haberi vel optari poſſet, contemneret, quo agrum illum coemeret. Profectò ipſa Beatitudo opulentus quidam theſaurus eſt, quem ſi diligenter, toto, inquam, animo & affectu, inueſtigare voluerimus, mille mundos, eius habendi ergo, libenter impendemus.

Ibid. Aliam quoque ſuper eadem re parabolam apud eundem Euangeliſtam reperio: *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretioſa margarita dedit omnia ſua, & cõparauit eam.* Cuius hic eſt ſenſus, omnes quotquot in hoc mundo viuitis, mercatores eſtis, (nam alibi legimus: *Negotiamini vſque dum venio.*) *Luc.* 19. cœleſtis autem gloria margarita eſt pretij incomparabilis, quam ſi inueniretis aut tantum percipere potueritis, omnes facultates veſtras & opes in eiuſdem commutationem expenderetis.

Macedonum Rex Alexander, cum multa de regni Indici opulentia & diuitiis fama audiuiſſet, ita eius acquirendi armiſque ſibi parandi deſiderio exarſit; vt quidquid antea magno labore ſummaque difficultate pareuerat, Purpuratis ſuis, regnum quin etiam paternum, diuideret. Hoc cum Hephæſtion amicorum intimus admiraretur, regiſque liberalitatem ſuſpiceret, ab Alexandro audiuit, hoc ei nouum videri non debere, ſolas enim Indorum opes, vniuerſo Philippi patris imperio præualere. Vt regium hocce Apophthegma in rem noſtram concinnem, dico, homines, ſi diuitias ampliſſimas, quæ opulento cœlorum regno continentur, perſpectas haberent; omnium libenter regnorum dominiorumque iacturam paſſuros; vnica Indorum Orientalium & cœleſtium ſpe contentos, quæ ſolæ omnia mundi regna & imperia antecedunt. *Plutarch. in Apophth. regum.*

Refert Heluetios Cæſar, audita Galliarum noſtrarum fertilitate & diuitiis, patria earum ſubiugandarum ergo, exceſſiſſe, & quo ad pugnandum magis accenderentur, omniſque in patriam reuertendi ſpes abriperetur, proque terræ fertiliſſimæ occupatione, validius decertarent domos omnes incendiſſe, & vrbes muris ſpoliaſſe. Ad eundem modum, Auditores, ſi certo ſciremus, quæ nam gaudia, quæ bona, ecquæ diuitiæ in noua hac Francia, Beatorum & Angelorum patria, contineantur; facile omnem hunc mundum deſereremus, & flamma charitatis æſtuantes; omnes illius ineptias & vanitates ſuccenderemus. Nihil enim in vniuerſo hoc mundo reperire eſt, quod cum diuitiis alterius comparari queat: quas ſi interdum animo volueremus, omnes peccandi illecebras occaſionemque tollemus, & ad nullum delictum propenderemus; ita quippe Sapiens teſtatur: *Recordare nouiſſima tua; & in æternum non peccabis.* *Lib. 1 de bello Gallico.* *Eccleſ.* 7.

Oo 3 Hoc

Digitized by Google

Hoc hodierna vobis concione exponere ſatagam: primo quanta ſit mundi, ſi cum cœleſti gloria comparetur, vanitas, aperiam, deinde, non ſine labore & difficultate, non ſine ſudore & puluere, ſed per varias tribulationes & afflictiones, ad eandem aditum patere. Itaque & hodiernam concionem finiam, & ſimul longiorem hanc de quatuor nouiſſimis telam ſuccidam. Beneuolentiæ me ſolitæ zephyro vt proſequamini, rogo, ad primum me membrum accingo.

II. Nulla rerū cœleſtium cum terrenis ſimilitudo eſt. Nulla penitus rerum cœleſtium, gaudiorumque supernorum cum terrenis eſt ſimilitudo aut æquiparatio. Primo, quod illa perennia ſint & permanentia, hæc inconſtantia & mutabilia: nam, *tranſit mundus & concupiſcentia eius*, inſtar fumi euaneſcit. 1. Ioan. 2. Non dicit, tranſeunt res mundi huius, ſed ipſe mundus, qui nonniſi mera inconſtantia eſt, nihilque in ipſo haberi poteſt permanens, omnes enim Monarchiæ ampliſſimæ tranſierunt, Reſpublicæ potentiſſimæ conciderunt, pyramides cælo iniuriam facturæ ad terram collapſæ ſunt: Alexandri occubuere; Cæſares interiere Cyri proſtrati. *Tranſit* igitur *mundus*, tranſit diues ille epulo, qui epulabatur quotidie ſplendide, & induebatur purpura & byſſo. Quam ad viuum eius ruinam depinxit Pſalmographus, dum canit: *Vidi impium eleuatum & exultatum ſicut Cedros Libani; tranſiui, & ecce non erat.* Luc. 16. Pſal. 36.

Vlterius mihi in hac materia progredienti, videtur mundus non abſurde mulo Abſolomi comparari poſſe; ſtatim enim atque ille rebelles & refractarios peccatores, quos eatenus vexit; ad fatalem ambitionis arborem, inanium deſideriorum capillis implicatos, ſentit adhæreſcere; ſubito elabitur, milleque tormentorum cruciatuumque haſtilibus eoſdem transfigens, animam tandem efflare cogit. Vnde ſatius eſt Paulo conſulenti auſcultare: *Hoc autem dico, fratres, vt qui hoc mundo vtuntur ſint tamquam non vtantur, præterit enim figura mundi huius.* 2. Reg. 18. 1. Cor. 7.

Eſai 9. Idem argumentum proſequens Iſaias, eundem telis aranearum comparat, quibus nihil fragilius aut inanius dari potes: *Telas*, inquit, *araneæ texuerunt*. Id eſt, ſuperborum ambitio, mundique gloria, araneorum gloriæ perſimilis eſt, ſic namque ſeſe euiſcerant & euacuant, vt telas quaſdam fragiles texant, quæ minimo Boreæ flabro diſſoluuntur aut perfringuntur, & nonniſi ad muſcas capiendas vtiles ſunt, quidquid enim mundus eiuſque ſectatores ordiuntur, poſt varias etiam moleſtias & difficultates, nonniſi telæ aranearum ſunt, qui ad minimum fortunæ indignantis impetum colliduntur & euaneſcunt: Ita *mundus tranſit & concupiſcentia eius*. Mundani araneis cōparantur. 1. Ioan. 2.

Quam præclaram huiuſce inconſtantiæ figuram in S. Matthæi Euangelio detego. Matth 5. Cum enim domum ſtolidi illius arenæ, loco petræ inædificatam intueor, quæ ad primum turbinem ad terram corruit; veram mundi imaginem videri videor. Ipſe enim domus fatuorum ac ſtolidorum coſmophilorum eſt, peccatorum, inquam, & delinquentium, ſed inconſtantiæ arenæ inædificata, quæ quamprimum, vt aduerſæ fortunæ turbo ingruere cæpit, concidit & ſolo proſternitus. Vere itaq; *mundus tranſit, & concupiſcentia eius*. 1. Ioan. 2.

Hinc ſapienter feciſſe mihi viſus eſt Vicerex Ægypti Ioſeph, qui quamuis quadraginta annorum ſpatio totius regni habenas moderatus eſſet, liberos adhæc haberet, quibus dotem aſſignaret; nullos tamen agros & poſſeſſiones in illa regione coemere aut comparare ſibi poſteriſve voluit. Sciebat ſiquidem, non ſtabilem illic Hebræos ſedem habituros, ſed breui, indignante Pharaone ſumma cum infamia, ſi dicere liceat, eiiciendos. Gen. 40. 41. 42. Daniel quoque Propheta, quamuis quinque potentiſſimos Reges prudentia & conſilio dexiſſet, Nabuchodonoſorem ſcilicet, Euilmerodachum, Baltaſſarum, Darium & Cyrum; noluit tamen in barbara illa regione rerum ſuarum ſedem figere, cum omnium rerum exitum conſideraret, ſibique proponeret, omnes honores & dignitates nonniſi inanias, ineptias, vento & aura leuiores, fortunæque ludibria, delicias quoque momentaneas Dan. 2. 3. 4. & 5.

taneas

taneas eſſe, & eodem, quo naſcuntur tempore, ſuffocari; iuxta Apoſtoli verba, *Tranſit mundus & concupiſcentia eius.* 1. Ioan. 2.

E contra vero cœlum in æternum permanet, ipſum eſt domus illa inconcuſſa, petræ inædificata, quæ nullos aduerſitatum turbines, nulla fortunæ flabra pertimeſcit, ſed omnia veluti feſtucas & bullas explodit & ridet; diuitiæ quoque eius æternæ ſunt, nihilque in eodem reperire eſt, quod non perpetuum ſit ac numquam interiturum. Figurate id expreſſit ſponſa illa in Canticis, quando domus ſuæ membra deſcribendo, ſponſo ait, *Signa domorum noſtrorum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Cant. 1. Duo hic lignorum imputribilium genera recenſet, vt inſinuet, cœlum, quod ſanctarum animarum, quæ Chriſti ſponſæ ſunt, palatium eſt, æternitate conſtratum eſſe, incorruptibilitate nitere, & conſtantia tectum: mundi autem huius palatium è ligno putrido compactum eſt, omnia eius membra quamprimum corruunt nihil in eo ſtabile reperitur, nonniſi de ruina caſuque illic ſermo, at in cœleſti omnia ſolida ſunt & ſtabilia. Nulla eſt igitur cœli cum terra ſimilitudo, aut aliqua inter vtrumque proportio.

Mundus nonniſi punctum quoddam eſt cœlo collatus.

Mundus namque nonniſi punctum eſt, ſi cum cœlo conferatur, & punctum quod vix videatur, quia nimis ei vicini ſumus: ideo namque fit, vt neſcio quam in eo magnitudinem, fictam licet, admiremur, quam nos videremur, ſi longius ab eodem recederemus. Nam quemadmodum ex eo quod firmamentum longius à nobis remotum ſit, ſtellas nonniſi vt ſcintillas opinamur; cum tamen ſi in cœlo Saturnio eſſemus, eaſdem terra maiores iudicaremus: ita quoq; è contra, quoniam terræ affixi ſumus, eandem ſuſpicimus & admiramur; verum ſi nonnihil ab eadem recederemus, ſtatim profecto eiuſdem paruitatem videremus, quæ nonniſi punctum, vanitas, atomus eſt, adeo vt ipſa nos fallat vicinitas, ac ſitus remotior, & ab ea elongatio veritatem oſtendat. Quando enim obiectum aliquod oculis nimis vicinum eſt, facultatique viſibili propemodum inhæreſcit, percipi à vidente vix poteſt; ſed proportionata & mediocris diſtantia naturalem rei colorem & magnitudinem detegit. Vnde Philoſophorum axioma, *Senſibile ſupra ſenſum poſitum non facit ſenſationem.* Ad eundem plane modum, quoniam mundus in oculos incurrit, eundē agnoſcere aut eius naturam percipere nō poſſumus: verum ſi nonnihil ab eodem recederemus, quamprimum profecto videremus, nonniſi merā eū vanitatem eſſe, & beatiſſimos iudicaremus eos qui eundem pedibus conculcarunt. Ita olim ſenſit Pſalmographus dum ait; *Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Pſal. 36.

Adhæc, mundus hic nonniſi locus paupertatis eſt, theatrum neceſſitatum, mera inopia ac mendicitas: quando domus alicuius ſuppellex deſcribitur, eaque deſcriptio fit quam breuiſſime, euidens ſignum eſt, non affluere illic opes, ſed curta omnia eſſe & anguſta. Moſes cum domus mundi huius membra & partes deſcriberet, eius artificem nonniſi ſex dies in iiſdem deſcribendis ait inſumpſiſſe, & ſeptimo die cuncta perfeciſſe; primo nempe creauit lucem, ſecundo firmamentum, diuiſitque aquas, tertio arbores, herbas & plantas deſcripſit, quarto ſolem, lunam & ſtellas, quinto piſces maris recenſuit & volucres cœli, ſexto animalia terreſtria cum hominibus, ſeptimo vero compleuit opus ſuum, quod fecerat. Cum igitur tantillo tempore mundi ſuppellex deſcripta ſit, ſignum eſt, eundem non eſſe vſquequaque opulentum.

Mundus cœlo collatus nonniſi mera inopia eſt.

Mūdi creatio ſex diebus peracta.

Quando aliquis pecunias enumerans, parum temporis in iiſdem enumerandis inſumit, dicere oportet, eaſdem non affluere. Ita Satan, princeps ille tenebrarum, & violentus mundi inuaſor, cum illius diuitiarum rationem iniret & enumeraret quantum poſſideret, vnico eaſdem momento & verbo recenſuit. Cum enim Filio Dei omnem mundi amplitudinem terræque magnificentiam demonſtraret, notat Euangeliſta, vno id eum momento feciſſe, non adhibita prolixa aut longiori ſingulorum enume-

Matth. 4.

enumeratione, *Oſtendit*, inquit, *omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Annon igitur hinc euidenter colligitur, mundum non eſſe vſq; adeo locupletem, cum eius maieſtas, magnitudo, diuitiæ, delitiæque tam breui tempore enumerentur.

Et ſane dum de alicuius ſtatu diuitiiſque iudicium ferimus, aut aliquem opulentum nominamus; de ſuis eum reditibus victitare nihilq; ab alio mutuum ſumere dicimus: illum vero è contra inopem & miſerum, qui nullos reditus habeat, & aliunde quid quid neceſſarium habet, mutuetur. Huiuſmodi vero mundus eſt, tanta nempe illius paupertas eſt & inopia, vt nonniſi muto viuat, & quidquid poſſidet, ab alio ſumat neceſſe ſit: aquas namque à mari, pluuias à cœlo mutuatur: itaque ab eodem dependet, vt ſi vel ad breue tempus eandem deſereret, lumenque & influxus denegaret, peſſum iret, ac penitus deficeret. Cœlum quippe illius nutritius eſt, Mæcenas, & benefactor, hiberno tempore niues, æſtiuo, calores, verno rorem, & pluuias autumnali ſuppeditat: lumen quoque præbet, ne ceſpitet in tenebris, & ita diſcrimen adeat, ſolem, vt per diem inſtar facis illuceſcat; lunam vero, & ſtellas, quo noctu inſtar luminarium lumen præbeant.

Mundus omnia à cœlo mutuatur.

Cœlum è contra adeo opulentum & ſplẽdidum eſt, vt à nullo depẽdeat, à nullo quidquam mutuetur, ſed diuitiis plenum ſit; nam, vt ait Pſalmiſta, *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Apposite duo hæc coniungit, in domo quidem Naaman erant diuitiæ, at non gloria aut honor, ſed lepræ infamia & opprobrium: in domo quoque epulonis omnia diuitiis redundabant, ſed non honore, at potius ignominia & contumelia. At in cœlo nonniſi gloria, fœlicitas, honor, diuitiæ, & eæ tam amplæ, vt finis earum haberi nequeat; nec eaſdem Angeli aut Sancti deſcribere aut recenſere vmquam potuerint: quinque ſiquidem iam annorum millibus in iiſdem indagandis, peruestigandiſque laborarunt, & nondum ad finem queunt pertingere, aut memoriam eorum ſubducere. Diſpicite igitur vobiſcum, num aliqua cœlum inter & terram ſit æquiparatio.

Pſal. 3.

III. Mundi res vanæ ſunt.

Nulla profecto: omne namque quod in mundo eſt, inane eſt, vmbra fugacius ac meriſſima vanitas, imo vanitas vanitatum & omnia vanitas, merx fucata & fucum faciens, nummus adulterinus & vitium redolens, ita tamen fallax, vt quo plures quis habeat, eo & plures deſideret, numquam ac ſatiari queat. In quo non multum mundani ab hydropicis diſcrepant, quo enim plus ex vanitatum aquis bibunt, quo & maiori ſiti habendique deſiderio exæſtuent? adeo vt totus ad ſitim eorum reſtinguendum, deſideria cohibenda, ambitionem coercendam, ſatietatemque afferendam, non ſufficiat orbis. Quin & inſtar Alexandri Macedonis ſeſe gerunt, qui cum plures eſſe in mundo mũdos intellexiſſet, lachrymari vberrime cœpit. Vnde poeta, *Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.*

Mundus animam exſatiare nequit.

Hac ſiti laborabat Dauid, duorum ampliſſimorum regnorum rex, quibus tamen animus eius expleri nequibat; hinc ſiti propemodum enectus clamabat; *ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Toto, inquit vitæ tempore ſiti laboraui, nullaque in mundo reperiri potuit aqua quæ eandem reſtingueret, quia omnia regna mea, aut quidquã omnino in mũdo me ſatiare nequeunt. Quo enim plus ex mundi aqua bibo, quo & magis ſitio; nec ipſe quidem Oceanus, in me licet redundet, ardorem & incendium quo flagro exſtinguat. Quando igitur veniet, Deus bone, dies illa, quando e fonte viuo fluent in me aquæ viuæ, quibus animæ, quæ ex iis guſtant quamprimum reficiuntur? aquæ, de quibus Propheta ait, *Omnes ſitientes venite ad aquas.*

Pſal. 41.

Iſa. 55.

Heliogabali factum ridiculum.

Imitatur hoc in genere mundus Heliogabalum Imp. Rom. Hic enim epulum aliquando magnificum parauit, in quod nonniſi picti cibi inferebantur, vt cœna picta & imaginaria, non autem vera vocari potuerit, ipſique conuiuæ menſa ſurgentes magis eſurirent, quam dum ad eandem accederent. Nouus Heliogabalus eſt mundus, animas ille ad epulum inuitat, regioque eaſdem cõuiuio videtur excipere, ſed omnia fercula picta ſunt, inania, omneſque deliciæ fucatæ & emen-

Digitized by Google

& eminentiæ : adeo vt maiori fame refecti quam non refecti, laborent.

At in cœleſti conuiuio omnia fercula vera ſunt, cibi minime fucati, atque ſuauiſſimi, vt vel vnica earum gutta animas reſatiet. Teſtabitur hoc Pſalmographus: *Confiteantur Domino miſericordiæ eius & mirabilia eius filiis hominum, quoniam ſatiauit animam inanem & animam eſurientem ſatiauit bonis.* Vnicam dixi aquarum cœleſtium guttam ad interiorem ſitim reſtinguendam ſufficere, & bene dixi. Teſtis ſit Petrus Apoſtolus, qui cum in mōte Thabor nonniſi vnicam guttam guſtaſſet, adeo ſatiatus fuit, nulla vt amplius ſiti laboraret, nulloque erga mundi huius res deſiderio teneretur, inebriatuſque clamaret: *Bonum eſt nos hic eſſe;* quod Auguſtin. exponens ait: *Si vna gutta ex Paradiſi flumine hauſta omnem huius mundi ſitim exſtinxit, quid inexhauſtum bonorum omnium pelagus non efficiet?*

*Pſal.*106. *Matth.*6.

Mundus regio eſt, in quam filius prodigus ſeceſſit.

Ipſe igitur mundus aridiſſima illa Libya eſt, in quo ſiti homines emoriantur, in illa namq; nulla perfecta voluptas habetur, nullæ deliciæ quæ mentem hominis ſatient. Ipſe eſt longinqua illa regio, in qua prodigi filii, id eſt, mundani, fame propemodum enecti, ſiliquis porcorum paſcuntur: cœlū vero domus paterna, in quo omnes lautiſſime & iucundiſſime reficiuntur, in quo omnia iucundiſſima ſymphonia perſtrepunt, in quo nonniſi de epulis eſt ſermo: *Beati*, hinc exclamat Pſalmographus, *qui habitant in domo tua Domine.* Mundus Ægyptus eſt, cuius incolæ nōniſi allio, cæpis, aliiſque lacrymas excutientibus herbis veſcuntur: at cœlum terra promiſſionis, quæ fluit lacte & melle, quæ voluptatibus, dulcedine & gaudio repleta eſt. Nulla igitur vnius ad alteram eſt relatio.

*Pſal.*23.

Mundus locus immūdus & teter eſt.

At magna inter vtrumq; differentia, mundus enim locus teter, abominabilis, infamis & ignobilis eſt, beſtiis & animalibus proprius, exilii, & peregrinationis locus. Hinc ſcriptum legimus: *Peregrinamur omnes à Domino.* Item. *Aduena ego ſum in terra & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Rurſus: *Non habemus hic ciuitatem permanentem.* Locus eſt teterrimi odoris, & mephitim peſtilentiſſimam exhalans, adeo vt omnes in eodem emoriantur. Nam, *quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem?* Locus denique qui è quinque iam annorum millibus peſte contagioſiſſima, quam Adam peccando inuexit, quæque omnibus ſine vllo reſpectu mortem adfert, infectus eſt, *In quo omnes peccauerunt, & mortui ſunt.*

*2.Cor.*5. *Pſal.*38. *Heb.*13. *Pſal.*88. *Rom.*7.

Cœlum locus iucundiſſimus eſt

Cœlum vero locus voluptatis eſt, & iucūdiſſimus, ſuauiſſima requies, domicilium amœniſſimum, & ſeceſſus lætiſſimus, adeo vt vnica in eodem habitate die ſit iucundius, quam per decem annorum millia hoc in mūdo, in lachrymarū hac conualle. Docuit hoc me Propheta regius: *Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* Locus deinde voluptatibus diues, deliciis affluens, gaudiis adeo locuples, vt Paulus Apoſtolus, qui aliquem iam eius guſtum perceperat, eius videndi ergo, diſſolui cuperet, finem vitæ deſideraret, vt vel anima corpore euolaret, vel Neronis enſis, ceruicem incidendo, vitæ filum abſcinderet, & ad cœlos, locum delicioſiſſimum tandem tranſmitteret. Hinc ad Romanos ſcribens exclamat: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.*

*Pſal.*38. *Rom* 7.

Quid igitur cogitatis, coſmophili? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? quid veras delicias contemnitis? quid tantopere terram diſpicitis, & cœlum deſpicitis: Cogitate, quæſo, quid Eſau acciderit. Hic enim cum ob lenticulæ ferculum primogeniti iura vendidiſſet, in tantum pœnituit, vt viginti ipſis annis, imo toto pene vitæ tempore, calamitatem ſuam & peccatum deplorarit. Videte ne idem omnino vobis contingat, vobis, inquam, qui ob rem leuiſſimam ob meras nugas, ob minimam voluptatulam beatitudinis æternæ iura, quæ Chriſtus ſuo vobis ſanguine comparauit, venditis: videte inquam, ne vos ſerius cum fuerit pœniteat, ne in æternum ſtoliditatem & infortunia veſtra & quidem fruſtra, deploretis. Quod egregie Salomon mihi viſus eſt inſinuaſſe, cum has damnatorum expoſtulationes & querimonias effingit, *Nos inſenſati, quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra.*

*Gen.*25.& 27. *Sap.*5.

Lyſimachus Thraciæ Rex cum à Scythis bello preſſus ſiti ad mortem vſque affligere-

tur, hoſtium ſeſe poteſtati dedit, ea tamen conditione, vt quantum haberet, biberet, ſitimque reſtingueret. Cum ita inter vtroſque conuentum eſſet, & abunde refectus errorem commiſſum agnouiſſet: *Quam breuis*, inquit, *voluptatis cauſa, & libertatem & regnum amiſi?* Timendum eſt, ô mundi amator, ne te, qui tam facile inimici te poteſtati committis & minima tentatione ingruente cum eodem paciſceris, aliquando pœniteat, tuamq; fatuitatem deplorans, millies ingemiſcas ac dicas, Proh quanta mea dementia & fatuitas! quam ſtulte egi, quam effrænis mea cupiditas! anne ob nullius pretii rem totum amiſſum oportuit? anne terra cœli loco aſſumenda ob vanam gloriam beatitudini cœleſti cedendum? *Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt*, inquit Sapiens. E quibus omnibus efficere licet, non poſſe res inferiores & mundi huius cum ſuperioribus & cœleſtibus comparari. Iam tempus poſtulat, vt ad alterum membrum veniamus.

2.

Cœleſtis gloria meritis paratur.

Hæc porro gloria, vt vlterius pergam nonniſi meritis iiſque plurimis paratur; & ſi nullum ſine labore & ſudore bonum haberi poteſt, multo minus ſummum: prius enim id promerendum, quam habeatur. Sexcentis id è Sacra Scriptura locis confirmari poteſt; vt inprimis illa Apoſtolorum omnium ſententia, *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum*. & illa Paulina: *Nemo coronabitur, niſi qui legitime certauerit*. Cœleſtis enim gloria corona eſt, ſed quæ nonniſi certantibus ſtrenueque pugnantibus confertur: certamina itaq; & conflictus triumphum præcedant neceſſe eſt.

Actor. 14. *2. Tim. 2.*

Egregiam huiuſce rei parabolam apud S. Matthæum legere eſt: non prius ſc. vineæ illi cultores operis mercedem à patrefamilias accepere, quam toto die in vinea laboraſſent. *Cum autem ſero eſſet factum, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Parabolæ huius myſterium hoc eſt, Non prius vineæ, id eſt, Eccleſiæ cultores à generali patrefamilias Deo, beatitudinis præmiū accipere, quam diligenter laborauerint. Notandum porro eſt, non dici hic, *Voca oratores*, qui multa quidem dicāt, ſed pauca præſtent, quorum lingua brachio longior ſit, & quorum opera verbis minime reſpondeant. Non dici etiam, *Voca patronos & ſenatores*, qui aliis quidem bene, ſibi autem peſſime conſulunt, qui tam diſerti ſunt in tribunalibus, ſed nulla coram diuino tribunali pia opera adferunt. Non item, *Voca muſicos*, qui omnes quidem partes norint canere, iucundiſſimam autem bonorum operum harmoniam in aperto reſonantem, non audiant, ſed ſolum, *Voca operarios*, quia opera bona ad ſalutem imprimis neceſſaria ſunt, & ipſa beatitudinis corona nonniſi in certaminum ſtadio acquiritur.

Matth. 20.

Leuit. 21. Figura.

Noluit olim claudos, & fracta manu & pede deformes templum ingredi, aut ad altare accedere Deus, quod deſignabat, eos qui bonis operibus non vacant, quorum brachia fracta ſunt, cœleſte templum, in quo Angeli perpetuo decantant, & cui Chriſtus velut ſummus Pontifex præeſt, ingredi non poſſe. Nullus quoque lapis in templo Salomonis fuit, qui non prius vel malleo concinnatus, vel dolabra dolatus, aut ferro adaptatus eſſet: quo denotatur, nullum omnino Beatorum, qui ſunt veluti lapides, in cœleſtis Ieruſalem fabricam deſtinati, in palatium illud regium coaptari, qui tribulationum malleo non prius probatus & expolitus fuerit, labores ſubierit, cruciatus tolerarit, variaque bonorum operum genera ediderit.

3. Reg. 6.

Chriſtus quoque ex hoc mundo ad Patrem abiturus docebat, viam cœlum verſus crucibus conſtratam eſſe, variaque in eadem ſupplicia eſſe perferenda; dixit enim: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam*. Crux ſiquidem, rotæ, patibula, tormentaque totidem veluti ſcalæ ſunt gradus, quibus ad cœleſtem beatitudinem aſcenditur.

Matth. 6.

Idem, cum Zebedæi filii in regno eius ad dexteram hic, ad ſiniſtram ille, conſidere deſideraſſent, petiit num calicem ſuum poſſent bibere, id eſt, num eandem paſſionem ſubire, quam per calicem deſignabat. Docere voluit, non dari ante paſſionem gloriam, & quicumque gloriæ coronam geſtare deſiderat, ſpineam prius gerere debere. Et profecto nullus vnquam ad gloriam peruenit, qui

Matth. 20.

Digitized by Google

qui non prius deſudarit, quin & ipſe Dei filius, ante quam in gloriam admitteretur, pati debuit, ita namque apud Euangeliſtam de ſe teſtatus eſt: *Nonne oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Si ipſum Dei filium, prius quam gloriam, quæ naturaliter ei debebatur, adiret, pati oportuit, an non & nos, qui eius ſolummodo ſerui ſumus, & ad quos eadem nonniſi ex mera gratia & miſericordia ſpectat, aliquid pati neceſſe erit? ſi dux, vt triumphum adipiſcatur, viriliter & animoſe decertet, gregarius miles & de triuio, ad eandem gloriam anhelans otio diffluet, pugnam detrectabit, armaq; rubigine ſinet obduci?

Apoc. 7. Joannes cum copioſam hominum in cœlo turbã videret, ex omni populo & natione congregatam, coram agno ſtãtem, ſtolis albis indutã, palmasq; manibus geſtantem, & vehementer miraretur, vocem mox audiuit: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna*, viriliter & ad ſanguinẽ vſq; decertarunt, *& lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni* Ipſæ igitur tribulationes & afflictiones ad cœleſtẽ gloriã perducunt, nec ſine illis cuiquam gloriam adire conceditur, nam

Dulcia non meruit, qui non guſtauit amara.

Simile. Agricola, quo lætior ſeges excreſcat, & vberioris meſſis ſpes affulgeat, niues gelu brumam prius videat neceſſe eſt: hæc enim niſi præceſſerint, meſſis & æſtas grandine denſiſſima fœdabitur. Ita quoque, vt læta alterius vitæ æſtas; & copioſa beatitudinis æternæ meſſis exiſtat, hyems, hic tribulationum, bruma niueſque tormentorum præueniant oportet, ne fortaſſe ex impeſta animi intemperie omnia congelaſcant.

Aliud. Lauri folia, amara ſunt & guſtui inſuauia, ſed ſalubri corporiſque valetudini conducibilia: Labores, pœnæ, tribulationeſque acerbæ ſunt & amaræ initio, ſed animæ admodum ſalutares, & ad ſalutem obtinendam imprimis neceſſariæ. Nam ſicuti arca Noë, quo magis fluctus creſcebant, eo cœlo & nubibus fiebat vicinior, ita quoque tribulationum vndæ animas in mundi huius Oceano fluctuantes ſurſum euehunt, & quo illæ magis intumeſcunt & exſurgũt, quo & hæ beatitudini cœleſti propiores fiant. Nam vt ſapidiores & maiores piſces in ſalſis aquis, non vero in fluuiis, reperire eſt non ſecus animæ generoſiores & animoſiores, in ſalſis tribulationum vndis & aduerſitatũ fundo potius, quam in quietis deliciarum & voluptatum torrentibus, reperiuntur. Sal quoque vt corporum corruptionem impedit, ita etiam tribulationum ſalſugo, animarum.

Cogitate igitur mortales, deliciis, & voluptatibus aſſueti, qui tamen gloria potiri, & nihil pati vultis, fieri nequaquam poſſe, vt ad gloriam & coronam, non præmiſſo certamine perueniatis. Conſiderate, inquam, quanta perpeſſus ſit Chriſtus, quænam tormenta ſubierint Martyres, & quantas tribulationes & ærumnas Sancti pertulerint. De [illegible] genere ita locutus eſt Pſalmiſta: [illegible]r- *Pſal. 43.* *tificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Quaſi dixiſſet: Maieſtatis tuæ amplitudo, & bonitas tua infinita, qua nos ad tantam gloriam euocaſti, tamq; amœnum nobis locum præparaſti, ita nos viciſſim ad te redamandum obſequiumque fideliſſimum præſtandum inuitant, vt libenter quotidie mortem ſubire, & inſtar beſtiarum iugulari exoptemus.

Idipſum fatetur Apoſtolus, aitque rerum diuinarum deſiderium tam acres ſibi ſtimulos ſubiicere, gloriæque cœleſtis dignitate in tantum ſe excitari, vt à cœpto virtutis tramite nullis aduerſitatibus, aut tormẽtis, non ipſa deniq; morte, queat diuelli: *Certus ſum,* *Rom. 8.* *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.*

O zelum admirabilem! ô deſiderium exæſtuans! ô affectum vehementem! Dicere eũ voluiſſe opinor, Quando oculos ad æternæ beatitudinis ſtatum contemplandum attollo, & ſimul attendo, quam ſordeat in eius comparatione mundus, tantopere illius fruendi deſiderio exæſtuo, nulla vt haberi in mundo queat tentatio, aut in mundo hoſtis, qui me ad peccatum pertrahant, rerumque cœleſtium amorem animo deleant; ita namque ad eaſdem anhelo, ſuſpiro, tantus me earum amor tenet, vt quãuis tartarus & mun- *S. Pauli deſiderium erga gloriã cœleſtem.*

co, ait enim hoc eam nomine conſignari, quod nonniſi certantibus promiſſa ſit, idque ex mente S. Pauli: *Nemo coronabitur, niſi qui legitime certauerit.* In huius rei ſignum voluit Hebræos Dominus armatos & velut in acie conſtitutos terram promiſſionis ingredi: atque hinc Eccleſia in Canticis palmæ aſſimilatur, *ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ*; quæ nonniſi victoribus dari ſolet. Dic igitur nobis deeſſe figuras, vel cœleſtem gloriam, coronam illam regiam prædeſtinatis deſtinatam, ſine ſudore, labore & certamine parari.

Num.2. *Cant.7.*

Hic igitur deſino, Auditores, & ad hoc vos exhortor, ad tribulationes ſiquidem ſuſtinendas vos diſponite, ſi gloria potiri velitis, arma gerite, certaminibus aſſueſcite. ſi triumphum obtinere deſideratis. Sed rerum cœleſtium imprimis recordamini, & animum à terrenis auellite, illaque vos cogitatione armate, qua ſe Philoſophus Seneca olim communiebat, *Maior ſum*, inquiebat, *& ad maiora genitus, quam vt man ipium ſim mei corporis.* Ille vero mancipium ſe corporis reddit, qui nonniſi mundana cogitat, rebusque terrenis cogitationem affigit. Nam quo cœlum obtineatur, terra deſpicienda eſt.

Simile. Nam quemadmodum nebulæ, nubesque ſpiſſiores ſolis radios impediunt, atque oculis iucundiſſimum illius lumen eripiunt, ita quoque inordinatus & nimius erga res terrenas affectus cœleſtium meditationum offuſcat & impedit. Hinc Laurentius Iuſtinianus Patriarcha, de nimia diuitiarum cupiditate & affectu tractans ait: *Hic affectus præſentia amat, temporalia cumulat, ſpiritualia negligit, & cum totus eſpargit in imis, nihil poteſt amare de ſummis.*

Lib. de diſc. monaſtica. cap.4.

Simile. Altero nemo oculo terram, & altero cœlum, eodem tempore poteſt intueri: ad eundem modum fieri nequit, vt eadem anima cœleſtia & terrena ſimul reſpiciat. Huius opinionis eſt Ioannes Chryſoſt. *Non eſt*, ait, *poſſibile, vt qui præſentium eſt mancipatus ineffabilium honorum deſiderium accipiat vnquam.* Nam vti amor parem non patitur, ita nec rerum cœleſtium deſiderium: dignitas quippe earum poſtulat, vt ante omnia quærantur, cæteriſque præferantur.

Hom.35. in Geneſ.

Ita namque hoc ſuaſit Chriſtus, dicens: *Quærite primum regnum Dei*, prius, inquam, Chriſti, quam regnum mundi, delicias potius cœli, quam terræ vanitates conſiderate. Inſinuauit idipſum Patriarcha Iſaac, cum dilectum ſibi Iacob benediceret: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terra*, incipit à cœleſtibus & deſinit in terrena, demonſtrans, quantopere cœlum terræ præferendum ſit. Auctorem huius allegorici conceptus habeo Tertullianum.

Matth.9. *Gen.27.*

Caſtigat Iudæos Aggæus Propheta, qui tempore Darij Hiſtaſpis prophetauit, quod è Babylonica captiuitate reuerſi maiorem domorum ſuarum, quam templi Domini reſtaurandi rationem haberet: *Domus*, inquit, *mea, deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.* Qua caſtigatione tacite argui crediderim eos, qui cœlum terræ, ſpiritualia temporalibus, æterna & nunquam interitura momentaneis, perennia fugacibus poſtponunt. Hic igitur finem faciamus.

Lib 3. contra Marcionem c.14. *Agg.1.*

Veſtrum itaque eſt omnium horum recordari, Auditores, & cæterorum obliuiſci, viuat, viuat, inquam, aſſidua cæli memoria, viuat quatuor nouiſſimorum reminiſcentia, & quoniam horum tractationi iam finis imponendus, nunquam eadem animo excidant. Et vt memoriam dictorum vobis teſſricem, mortem ſemper ante oculos habetote, quomodo nimirum omnes eidem ſint obnoxij, quomodo communis ſit, nemini parcat, omnes ſine vllo intuitu abripiat: perpendite quam proditorie nobiſcum agat, quot homines abſtulerit, quam incerta illius hora ſit, quot artes & dolos adhibeat, quam verſuta & vafra ſit, quam cruenta & immitis, magnos & paruos, opulentos & egenos, Crœſos & mendicos feriens, omniaque in cineres & putredinem conuertens. O ferox: parca, ô mors quam merito omnes perhorreſcant.

Compendium coru͂, quæ de morte dicta ſunt.

Perpendite quinetiam, reſtare poſt mortem iudicium, ſed adeo terribile & metuendum, vt ipſi iuſti vix futuri ſint ſecuri, & Angeli trepidaturi: iudicium horrendum, cui nimirum Chriſtus præſidebit, cui peccatores velut rei, diaboli accuſatores, creaturæ omnes velut teſtes intererunt: iudicium formida-

Recapitulatio de iudicio dictorum.

Pp 3

minus ſub tuis inſignibus mereat, iudiciorum quoque tuorum tubæ ſemper auribus inſtrepant rigor, quo ad iudicium venturus es, numquam cogitationibus noſtris excidat, ſed proponamus interdum animo exactam illam rationem, quam omnibus operibus, verbis, quin etiam cogitationibus oportebit reddere. Sed ecquis pudor erit & ignominia, omnia delicta ſua, totius orbis conſpectibus & cunctorum hominum oculis reuelata cernere? Infernalium quoque ſuppliciorum horrorem ſemper præ oculis habeamus, vt pœnas formidando, peccata, quibus eædem debentur declinemus, pœnas, inquam, acerbiſſimas, diriſſimas, & æternas, quæ diabolos & damnatos ad deſperationem cogunt. Recordemur denique gloriæ cœleſtis, & habitaculi Angelorum, vbi tu cum omnibus Electis habitas inſculpe, obſecro, animarum laminæ neceſſarium horum nouiſſimorum memoriam; & ita inſculpe, nulla vt eandem ætas deleat aut eradat, vt Salomonis conſilium ſecuti, non amplius te offendamus, & nunquam offendentes, vita ſanctiſſime traducta, miſericordia tua ſuccurrente, eo, quo omnes Sancti peruenere, & quo perueniunt, qui numquam te delictis exacerbant, ad æternam ſcilicet gloriam, pertingere mereamur, ad quam ſua nos gratia Pater & Filius, & Spiritus S. Paracletus deducant, Amen.

Docebo iniquos vias tuas.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

JNDEX

SEV

LOCI COMMVNES RERVM PRÆCIPVARVM IN HAC PARte Aduentuali contentarum.

A.

ABel cur Dei permiſſu, ante Adamum patrem, & fratrem Cainum perfidum, mortuus. 82

Abdiæ regis dictum. 137

Abiron, Dathan, & Chore interitus horrendus. 166.175.176

Achab impius rex. 197

Adami oſſa à Noacho recepta. 7. *coſta vtrum reſurrectura ſit in ipſo, an in Eua.* 281

Aduentus Domini primus cum ſecundo comparatus. 123.& 124

Agamedes ac Trophonius architecti, ac Delphici templi conſtructores, mercedem dignam poſtulantes, mortem pariter vno eodemque obtinuerunt die. 82

Agathoclis ſubmiſſe de ſeipſo ſentientis factum. 13

Agathon Anachoreta quam formidarit extremum iudicium. 129

Agiſilaus rex magnam gloriam ex contemptu mortis adeptus. 76

Alexander Macedo Perſarum moribus vt ſe conformarit. 120

Alexandri Aphrodiſ. ſententia de inferorum pœnis. 192

Alexandri Magni dictum. 40. *puer ab heroica laudatus conſtantia.* 204. *Indiæ ſubiugandæ cupiditas. ibid. in ſuos purpuratos liberalitas. ibidem.*

Alexandrum Magnum regnis cedere mors coegit. 11

Amalec à Saule delendus præcipitur. 136

Aman purpuratus in crucem actus. 37.104

Anachoretæ cuiuſdam ſtudium laudabile. 87

Anaxagoræ Clazomenii, nunciata filii ſui morte, æquanimitas. 83. *Apophthegma.* 200.145

Angelus apparens morienti cuidam Presbytero, quidnam dixerit. 70

Angeli in Iudicii die mouendi. 99

Angelorum aduerſus peccatores teſtimonia. 147

Angelorum, & ſanctorum cognitio in cœlo quotidie creſcit. 280

Anima quoq; in morte affligitur. 71. *in omnibus ſuis facultatibus apud inferos dolores ſentiet.* 201

Animæ egredientis ſtatus à B. Anſelmo deſcriptus. 72

Animæ carcer, ipſum corpus eſt. 246

Animam in agone Chriſtus Deo Patri commendauit. 72

Animarum tranſmigrationem Pythagorai docebant. 48

Animalia immunda quæ. 144

Animalia apud Ezechielem deſcripta. 274

Annibalis aſtutia. 58

Antiochi Syriæ Regis impii funeſtus exitus 65

Antoninus Pius Imperator. 144

S. Antonii Patauini ſimili udo pulchra de bombycibus. 91

Apoph-

Apophthegma Boethii. 212. Auguſt. 241. Demoſthenis. 243. Anaxagora. 245
Apoſtoli intererunt extremo iudicio. 141. ipſos dæmones iudicabunt. 122
Archimedes ac Theocritus, Syracuſani. 237
Ariſtotelis de prudentia dictum. 171
Arſenii Anachoretæ in mortis agone timor. 69
Aſſuerus rex annalium ſuorum nocturnus lector. 146. Mardochæum ad ſummos honores quare prouexerit. ibid.
Aſſueri munifica ad Eſtherem oblatio. 162
Aſſur quid. 189
Athei negantes Inferorum pœnas. 198
Athenienſium mos liberos in Cretam, vbi Labyrinthus erat, mittentium. 246
Auditus in damnatis vt conſternabitur. 201
B. Auguſtinus extremum Iudicii diem ſemper inculcabat. 88
Auguſtini verba metuentis Infernum. 186. meditatio. 286
S. Auguſtino B. Hieronymus apparens gloriam cæleſtem aperit. 240
Aureola quid. 286
Aureola Sanctorum. 296. Martyrum. ibid. Doctorum. ibid.
Aureolæ tres reſpondent tribus animæ potentiis. 269.
Aureolarum tria genera. 268

B.

BAana & Rechab ſicarii. 53
Babylon infelix, anima peccatricis imago. 8
Balthaſſaris regis terror è Scriptura parietis. 68
Barba & capillus ad corporis decorem ſunt. 146 284.
Barlaam Ioſaphatum regis Indorum filium ad Chriſti fidem conuertit. 174
Baſan Sicambrorum regis inſignia. 92
S. Baſil. ſibi mortis memoriam refricari volebat. 4
S. Baſilii de extremo iudicii die inculcatio. 94
Beatitudo cæleſtis, quare corona dicatur. 242
Beatitudo in voluntatis operatione. 272. in actu intellectus. 272
Beatitudinis noſtra cœlum. 236
Beatitudinis graduum diſtinctio habet principia duo. 268. inæqualitas vnde. ibid.
de Beatitudine controuerſia inter voluntatem & intellectum. 271
Beati Dei filii & hæredes. 247
Beati columnis comparantur. 237. vnde peccare nequeant. 263. videntes Deum, etiam creaturas vident. 281. & quomodo ibid. humanitatem Chriſti aperte videbunt. 282
de Beatis cœlorum incolis. 259
Beatorum ſors per tria commendabilis. 253 conſortium, eorundem gaudia amplificat. 263. omnium an ſit eadem gloria. 266. non eſt. 267. in corpore impaſſibilitas vnde. 287. deq; illa opiniones variæ. ibid. & verior. 288
de Beatorum gloria. 271. in corpore gloria 282. ſtatu præclara Ciceronis ſententia. 292
in Beatorum animabus, Deum intuentibus notitia. 277
in Beatorum corporibus ſubtilitas. 288. deque illa quorundam errores. 288. agilitas. 289. & vnde illa. ibid quanta velocitas. 209. motus an in inſtanti. ibid. claritas, & vnde. ibid. vide Sancti.
Belli dies, dies iudicii. 115
Benedictionem veteres vt impertirentur. 279
B. Bernardus diem extremi iudicii maxime formidabat. 89
B. Bernardi ſententia. 10. de extremo iudicio lugubris meditatio. 146
Boethii Apophthegma. 212
Bombyces vehementius tonitrua perhorreſcunt. 91.
Boni cygnis, impii Sirenibus comparati. 85
Braſidæ Lacedæmoniorum Ducis de morte dictũ. 7

C.

COEleſte regnum theſauro comparatum. 257
Cæleſtis gloria meritis paranda. 302
Cæleſtium corporum motus. 252
Cæleſtium nulla cum terrenis omnibus ſimilitudo. 292. 294
Cœlum terra viuentium. 236. noſtra beatitudinis locus. 256. 237. ciuitas dicitur. 238. in altiſſimo mundi loco ſitum. ibid. quemadmodum contra infernus infimo. ibid. comparatur monti. ibidem. Empyreum quantum diſtat à terra. 239. theſaurus Dei. 253. locus iucundiſſimus. 297.
Cœli deſcriptio. 241. varia non ina. 237. 249
Cœli amplitudo. 251. Philoſophice demonſtrata. ibid. & Geometrice. 252. item Arithmetice ibi. ac Theologice.

Cæli excellentia. 253. pulchritudo. 254. gaudia æterna. 141
de Cæli ſitu ac voluptate loci. 235
Cælo Deus nihil perfectius condere potuit. 237
de Cælo elogia. 253. dictorum epitome. 301
de Cælorum incolis. 238
Caligula in Romanos odium. 36
Cambyſis Perſarum Regis factum. 275
Capillus & barba ſunt ad corporis decorē. 146. 284
Carnes nemo comederat ante peccatum admiſſum. 38
Caſſiani de damnatis verba. 191
Caſſiodori de ſuffragiis viuentium pro damnatis, ſententia. 235
Cerua ad tonitrua pariunt. 93
Cherubinus flammanti armatus romphæa collocatus ante Paradiſum. 132
Chriſtiani ſimiles debent eſſe Iano. 144
Chriſtus animam Deo Patri in agone commendauit. 73. iudex futurus extremi iudicii. 139. Soli comparatus. 129. Doctori comparatur. 150
Chriſti anima videt, quidquid Deus ſcientia viſionis nouit. 281. humanitas à beatis aperte videbitur. 282. à Chriſto ſæpe mortis, & maxime eius incertitudinis admonemur. 56
in Chriſto ſole ſigna. 103
Chryſoſtomi crebrum pro concione dictum. 191
Ciceronis præclara de Beatorum ſtatu ſententia. 292
Cineres mortis aduerſus mundi vanitates vtile remedium. 11
Cleonis ad Reipub. gubernacula euocati factū. 111
Concionator cui debeat ſimilis eſſe. 274
Conſcientia vermis excrucians impios. 214
Conſolatio pro rudioribus 279
Conſtantinopolitani Imperatores, cum regnum adirent, primum de ſepulchro condendo admonebantur. 4
Conſtantinus Imperator officio ſuo ab Hoſio Corduba Epiſcopo admonitus. 106
Core, Dathan & Abiron interitus horrendus 175
Corona vocabulo beatitudo cœleſtis dicta. 242
Corpus hoc noſtrum domui ſuper arenam ædificatæ comparatur. 81. animæ carcer. 246
Corporis varii dolores in mortis articulo. 66
Corpora reſurgent vna cum ſanguine, humore & ſucco. 284
Corporum glorioſorum tanta velocitas, quanta ſit imaginationis. 289. motus vtrum ſit in inſtanti futurus. ibid. claritas. 290. & vnde hæc. ibid.
Coſta Adæ vtrum in ipſo reſurrectura ſit, an in Eua. 285
Crœſus in vita, Socrates in morte quidam optabat eſſe. 77
in Crumeniſecis aliiſque maleficis deprehenſa ſtigmata, mortem ipſis maturant. 154
Crux apparebit in iudicio. 127. aduerſabitur impiis. 127
Cygnis boni, Sirenibus impii comparantur. 85

D.

DÆmones ad crucem conſpectum fugantur. 12. aliqui cruciantur apud inferos, aliqui in aere. 196. omnes poſt Iudicium apud inferos cruciandi. ibid.
Dæmones videre horrendum. 72. aliquando redimendos, error Origenis. 219
Damaſcus laudatus 171
Damnatio impiorum æterna. 237
Damnatione ad inferos melius nunquam naſci. 208
Damnati quidam magis apud inferos, quam ipſi dæmones cruciabuntur. 196
Damnati nihil norunt eorum, quæ contingunt in hoc mundo. 232
Damnatis nulla ſpes eſt redemptionis. 220. an preces viuentium proſint 233. nulla ſuffragia proſunt. 23
pro Damnatis non orandum. 233
Damnatorum ſupplicia tota comparata 165. perpetuæ tenebræ. 190. omnium non eadem pœna. 194. corpora in omnibus puniuntur ſenſibus. 200. auditus vt conſternabitur. 201. lamenta cogitantium quid amiſerint 211. corpora non conſumuntur. 227. an corruptioni ſint obnoxia. 225 corrumpi non queunt. 225
Damnatorum ſortis genuina deſcriptio. 228
Damnatorum genera duo. 230. miſeria exaggerantur 232. numerus ingens. 233
de Damnatorum pœnis 208. ſorte infelici. 230
Daniel ad ſummas dignitates quomodo prouectus. 117
à Daniele perpenſa Nabuchodonoſoris calamitas. 173
Dauid vehementer diuina iudicia expauit. 89. antea paſtoritio habitu poſt occiſum Goliam regalibus indutus veſtimentis 137. præteriti & futuri memor, 144. ad Deum gloriæ cœleſtis medita-

Digitized by Google

Meditatione conuerſus. 231. inductus mercede, vincit Goliam. 144. Dei videndi quam cupidus. 278. ſpirabat ad cæleſtia. 293
Dauid in hoſtem Saulem clementia. 132
Democritus Philoſophus mortis memor, per mortuorum loca libenter ambulabat. 7
Demoſthenis Apophthegma. 243
Deus non auctor mortis. 282. hominem creauit ipſe: cætera omnibus ex terra, vel ex aqua facta. 54. ad imaginem ſuam, quare creauit hominem ibid. ad præmia, quam ad ſupplicia pronior. 160. in miſericordiam pronior quam in iuſtitiam. 163. quare diuerſimode armatus. 164. impius maledicet. ibid.
Deus quid ſit. 241. admirabilis in ſanctorum gloria 239. vt in cælo videatur, gloria lumen neceſſarium. 281
Deus & creatura ſimul vt videri queant. 28.
Dei in impios odium 214. filij & hæredes, beati. 240. erga peccatores liberalitas. 253. repræſentandi nulla ſpecies capax. 275
Dei viſionis excellentia in duabus rebus poſita. 277
in Deo ſcientia duplex. 289
Dies tres notabiles. 115
Dies belli ibid dies Domini. ibid.
Diogenis Laertij de prudentia dictum. 171
Diogenis tyranni cum filij ſui mortem audiſſet cōſtantia. 83
Dionyſij & Mezentij tyrannorum crudelitas. 202
Diuitis epulonis apud Inferos ſupplicia. 170
Doctorum aureola. 269

E.

Eccleſia cantus pro defunctis. 129
Elias Propheta, Iezabelis perſecutionem fugiens, mori optabat. 82
Elias & Enoch vtrum mortui. 30
Enoch oſtenditur ſuperſtes adhuc eſſe. 49. vbinam ſit modo. ibid. vtrum ſit cum Elia ſuperſtes, dubitatur. 50 aſſeritur iterum. ibid.
Enoch & Elias vtrum mortui. 49. 50
Ephrem. 196
Epulum Heliogabali ridiculum. 296
Eſau fratrem ſuum, Iacobum Patriarcham perſequitur. 46
Eſther Amanum ducem quæſiuit. 102
Eſtheræ erga Mardochæum educatorē ſuum gratitudo. 137
ad Eſtherem munifica Aſſueri oblatio. 162
Exempla horrenda. 72
Extremi iudicij ſemper oportet meminiſſe. 86. dies noſtri comparatus. 110
Ezechias præteriti & futuri memor. 110
in Ezechiele animalia deſcripta. 274

F.

Fœlix Imperatoris libertus, Iudææ totius præſes factus. 93. Perhorruit extremum iudicij diem. ibid.
Fluuij admirabiles. 248
Formica induſtria. 167
S. Fulgentij dictum. 241

G.

Gedeon victor hoſtium quomodo factus. 116
Gehenna ignis qualis. 168
Gehennon vallis. 181
Geneſei tricipitem ſerpentem, cur Ioui quotannis immolarent. 90
Gloria cæleſtis magnitudo. 276
Gloria cæleſtis memoria aduerſus omnia peccata remedium efficax. 141. Dauidem ad Deum conuertit. 230. laboris acerbitates dulcorat. ibid.
Gloria lumen neceſſarium, vt in cælo Deus videatur. 276
de Gloria cæleſtis memoria. 236
de Gloria cæleſti. 25
Golia gladius in templo Salomonis aſſeruatus. 126
Goliam Dauid, inductus mercede, ſuperat. 144
Gorgia Leontini dictum. 80
Græcorum lex aduerſus deſerentes prælium. 76
B. Gregorij dictum. 10. & aliud de mortis meditatione. 46
Gregorij Papæ de morte opinio. 28

H.

Hæreſes diuerſæ circa Chriſti Incarnationē. 134
Hebræus populus in montibus Garizim & Hebal diſtinctus. 134. & circa aram Domini. 126
Hebræi patria ſua memores lamentantur. 146
Hebræos Ægyptiorum ſpoliis locupletes egreſſos eſſe, quid ſignificet. 60
Heliogabali epulum, cibis appoſitis omnibus pictis, ridiculum. 294
Hephæſtion Alexandri Magni liberalitatem in

Digitized by Google

ſe ſuosq; ſocios, admiratus, quid audierit ab illo. 293
Hiero tyrannus quæſtionem de Deo Simonidi proponit. 137
Hieroglyphicum principis optimi. 160. *prudentia, naſus.* 171
B. Hieronymus extremi iudicij ſemper memor. 87. *Auguſtino apparens, gloriam cœleſtem aperit.* 140
B. Hieronymi dictum. 10
Hilarion Anachoreta quantopere iudicium extremum pertimuerit. 119
Hilarionis Abbatis vulnerati, inter ſicarios hilaritas. 78
Hirundinum natura. 11
Homo dupliciter conſideratus. 29. *qua ratione conditus immortalis.* 32. *cur vltimus à Deo creatus.* 34. *comparatus adamanti & flori. ibid. cur appellatus arbor inuerſa.* 245
Hominis in innocentiæ ſtatu felicitas. 30. *miſeria post admiſſum peccatum.* 17
in Hominis creatione Trinitas cooperata. 34
Homini creato Deus primum loquutus eſt de morte. 3
Hominem ipſe Deus creauit, cæteris omnibus vel ex terra, vel ex aqua ortis. 34. *ad imaginem ſuam, quare creauit Deus.* ibid.
Homines cuncti in iudicia colligendi. 133. *cuncti in Valle Ioſaphat vt conſiſtent.* 140
Hoſij Cordubenſis Epiſcopi ad Imperatorem Conſtantium verba. 92

I.

IAcob Patriarcha in domo idololatræ Laban commoratus. 71
Iacob Patriarcha ad conſpectum filij ſui Ioſeph conſternatus. 272
Iacobi Patriarchæ erga Rachelem caſtus amor. 218
Iano ſimiles decet eſſe Chriſtianos. 144
Idololatria horrorem generat mortis memoria. 9
Ieremiæ ploratus. 171
Ierichontis excidium. 139. *muri Duce Ioſua diuinitus conciderunt.* 97
Ignis Inferni qualis. 166. *non lucebit.* 203. *corporeus quomodo in animas damnatorum & diabolos, corporis expertes, agere poſſit.* 204. *duplex.* 205. *vt in animas agat, iuxta D. Thomam. iuxta Scotum. ibid. de ignis infernalis actione, opiniones.* 82. *& deinceps.* 206
Ignem quoties videret religioſus quidam, ſemper plorabat. 232
Impaſſibilitas in beatorum corporibus vnde. 286 *& variæ de illa ſententiæ. ibid. quarum quæ verior ſit.* 288
Impij Sirenibus, boni cygnis comparati. 85
Impiorum maledictio, redemptionis nulla ſpes. 220 *damnatio æterna.* 164
Impios excruciat vermis conſcientiæ. 214
in Impios odium Dei. 214. vide Reprobi.
circa Incarnationem Chriſti hæreſes diuerſæ.
Incorruptibile trifariam dicitur. 33
Infernus quid, & vbi ſitus. 179. 184
Infernalis ignis abſq; luce. 293. *ſub terra.* 185. 186. *ferreis vectibus quare dicatur conſtrictus.* 187 *in mundi ſitus infimo.* 239
Inferni ſupplicia viſa à quodam in vitam reuocato. 174. *& à Ioſaphat Indorum regis filio. ib.*
Inferni pœna. 187. *pœnas oſtenditur æternas eſſe.* 219
de Inferno, & inferni memoria. 168
in Inferno omnium non eadem pœna. 194
Infernorum ſedes vbi. 185. *pœnas qui negat athei ſunt.* 198. *pœna duplices.* 210
Innocentiæ ſtatus felicitas. 29. 31. 32
Iob diuinorum iudiciorum inculcator. 93
Iobi tremor, ſententiam, quæ in extremo iudicio ferenda eſt, perpendentis. 139. *de Inferno memoria.* 143
Ioannes Epiſcopus Alexandrinus ſibi mortis memoriam refricari volebat. 4
Ioannis Climaci de quodam religioſo moriẽte narratio. 73
Ionas Propheta mortem ſuam Niniuitarum excidio præoptauit. 136. *in ventre ceti triduanus. ibid.*
Ioſaphatus regis Indorum filius, à Barlaam ad Chriſti fidem conuerſus. 174. *Inferni ſupplicia conſpicatus.* ibid.
in Ioſaphati valle homines cuncti vt cõſiſtent. 140
Ioſephus Patriarcha ſomniorum interpres. 138. *fratribus ſuis peccatum, quod ante viginti in ſe admiſerant annos, detexit.* 153. *ad magnos honores in Ægypto prouectus.* ibid.
Ioſua Amalecitarum victor. 132
Ioui cur anguem tricipitem gentiles quotannis immolarint. 90
Iouiniani hæretica opinio. 267
Iſaaci caligantes oculi. 154

Iſboſeth

Ibioſeth vt interierit. 52
Iudex extremi iudicij futurus terribilis. 123. nomen habiturus terribile. 124. arma ſua tinget impiorum ſanguine. 128
Iudicis extremi ſeueritatem, qui pertimuerunt 119
de Iudice iudicij extremi. 117
Iudicandi primum iſti, deinde reprobi 159
de Iudicandis in extremo iudicio. 131
Iudicium vniuerſale, quæ ſigna ſunt præceſſura. 96. & cur. 102. vbi locus futurum. 140
Iudicij extremi recordatio quam vtilis. 92. memoria ſemper habenda. 89. horror graphice ob oculos poſitus. 90
Iudicij diem terræ motus ingentes antecedent. 99. dies horribilis. 114. dies noctis comprobatus. 110. dies belli appellatus. 115
in Iudicij die mouendi Angeli. 99. luctum ſol induet. 110. irreligioſorum examen. 151. & Sacerdotum. ibid. opera bona compenſanda. 162
in Iudicij loco, an apparituri paruuli ante baptiſmum mortui. 141
de Iudicij ſupremi examine. 143 ſententia. 156
Iudicio extremo præſidebit Chriſtus. 119. S. Trinitas aderit. 121. & Apoſtoli. 122
de Iudicio extremo non cogitantis, magna peccatoris eſt cæcitas. 91 dictorum anacephalæoſis. 302
in Iudicio crux apparebit. 126. colligendi homines cuncti. 133
in Iudicio legitimo neceſſaria perſona, Iudex, reus & actor. 145
Iulij Cæſaris magnanimitas, & mortis contemptus. 77
Iuſti ante reprobos iudicandi. 159

L.

LAban idololatra ſocer, & hoſpes Iacobi Patriarchæ. 81
Labyrinthus in Creta. 234
Leones in crucem acti. 175
Lex in monte Sinai quando Moyſi data. 116
Lothi vxor in ſtatuam ſalis repête cur diriguit. 80
Luna remotior à Sole purior & clarior eſt, eidem vicinior, obſcurior exiſtit. 104
in Luna apparebunt ſigna. 103. quæ rubicunda erit. ibid.
Lutheri articuli à Leone X damnati. 169. & vnus inter eos maxime deteſtandus, ab Oecumenico Tridentino Concilio expugnatus. ibid.
Lycurgus quare ſepeliri mortuos iuxta aras ac delubra deorum vellet. 6

M.

MAcarius Anachoreta mortis contemptor acerrimus. 78
Maledictio impiorum. 127
in Maleficis deprehenſa ſtigmata, mortem ipſis accelerant. 127
Malorum duo genera ex peccato 222
Manaſſis regis infernum formidantis oratio. 189
Manlius morti adiudicatus, vt à iudicibus indemnis euaſerit. 140
Manna Hebræorum. 111
Mardochæus ad ſummos honores ab Aſſuero prouectus & quare. 149. 165
Mardochæi ſomnium. 91 per Eſtherem prouecti fortuna. 136
Mardochæo poteſtas ſæuiendi in Perſas, & Amanum data. 108
B. Mariæ Virginis, tamquam reginæ, aulici. 162
in B. Virg: Mariæ ſigna. 104
S. Martinus in extremis ſuis à diabolo impetitur. 73
Martyrum aureola. 269
Meſſias cur potiſſimum à Patre delegandus erat in terras. 88
Mezentij & Dionyſij tyrannorum crudelitas. 20
Mileſij Pauli Apoſtoli diſceſſum ægre ferunt. 211
ad Miſericordiam Deus pronior; quam ad iuſtitiam. 163
Moloch idolum. 183
Moriendi neceſſitas vnde. 46
Morienti veniunt in mentem omnia peccata. 66. 72.
Mors quid. 14. 16. horribilis. 415. Alexandrum Magnum regnis cedere coegit. 11. à pictoribus depicta. 18
Mors regina. 22. imperatrix. ibid. homini agnata 27. homini naturalis. 461. certiſſima. 45 omnibus æque communis. 861. proditorie nos opprimit. 53 potens admodum 55. quid afferat vtilitatis. 77
Mors donum Dei. 82. à multis exoptata. 82. 85
Mors comparata aſpidi. 19. latroni & furi. 21. tortori. ibid. duci caſtrenſi. 261 draconi. 23. iterum furi. 56. lupo. 69. archit alaſſo. 80. cuſtodi carceris. ibid.
Mortis ſuæ diem præſciuit nemo, niſi diuina reuelatione ſingulari. 55
Mortis, eiuſq; incertitudinis maxime admonemur à Chriſto. 56

Digitized by Google

Mortis temporè anima quoq; affligitur. 71
Mortis cōtemptus Ageſilao regi magnam gloriam peperit. 76
Mortis meditatio homini ad ſalutem neceſſaria. 26. *in actionibus noſtris prima debet eſſe.* ibid. *gignit effectus mirabiles.* 9
Mortis memoriam ſibi refricari volebant, Philippus Maced Rex. 3. *S. Baſilius.* 4. *Ioannes Epiſcopus Alexandrinus.* ibid
Mortis memoria ſanat phreneticos. 9. *Idololatria horrorem generat.* ibid. *apud Romanos triumphantes vſitata* 13 *animas humiliat.* 13
Mortis memores vt plurimum veteres fuerunt Romani triumphatores. 13
Mortis meminiſſe, vtile eſt. 8. *cineres, aduerſus mundi vanitates, vtile remedium.* 12
Mortis immemores videre ſenes abominatio eſt. 8
Mortis potentia. 22. *victoria.* 23. *auctor non eſt Deus.* 24. *cauſa peccatum.* 25. *neceſſitas oſtenſa.* 4
Mortis hora incerta. 55. *ac terribilis.* 65
Mortis comitatus & potentia. 67. *tria genera.* 219
in Mortis memoria. 1. *cauſa.* 17. *neceſſitate.* 40. 42. 78. *incerta hora.* 51 52. *memoria gradus.* 59. *euentis.* 63
in Mortis articulo corporis dolores varij. 67
Morti, vt homines torqueat, omnia ſeruiunt. 22
mille ſuppetunt media, vt nos interimat. 23
nullum reſiſtit priuilegium. 41
Mortem non eſſe metuendam. 76
ad Mortem ſe diſponere, quid ſit. 58
de ad Mortem praparatione. ibid.
de Morte Deus homini creato loquutus eſt primum. 3. *ſententia veterum.* 9. *dictorum compendium.* 301
Mortuorum oſſa loco nummorum habita. 7
Moyſes Hebraum populum in montibus Garizim, & Hebal diſtinctum, quare collocauit. 134. *elicuit aquam è petra.* 136. *pramij ſpe grauiſſima patitur.* 24
Moyſi quando lex in monte Sinai data. 116
Munda a omnia nihil pra cœleſtibus. 292
Mundani cum Samſone comparati. 241. *cum araneis.* 294
Mundus comparatur prato florido. 20. *ingenti ſyluæ.* ibid *officinæ figuli.* 44. *& Dialectica.* 48
Mundus quot annorum millibus crederetur duraturus. 109. *cum cœlo collatus, nonniſi punctum* 295. *non eſt niſi mera inopia.* 295. *omnia mutuatur à cœlo* 295. *animam nequit exſatiare.* 279. *regio eſt filij prodigi.* 296. *immundus eſt ac teter.* ibid.
Mundi vanitatum remedium. 11. *finem terramotus ingentes pracedent.* 98. *gaudium breue.* 241 *creatio ſex diebus perfecta.* 294. *res vana.* 295

N.

NAbuchodonoſor humiliatus à Deo ſeipſum tandem cognouit. 40. *in excidio Hieroſolymitano quem iuuenum delectum habuerit.* 135
Nabuchodonoſoris afflictiones & pœna. 31. *calamitas à Daniele perpenſa.* 173
Naſci nunquam ſatius eſſet, quam ad inferos damnari. 280
Naſus, hieroglyphicum prudentia 171
Nili accola cur plerumq; ſurdaſtri. 91
Noachus Adami oſſa ad ſe vt receperit. 7

O.

ODoratus damnatorum teterrimos odores percipiet. 201
Opera bona in Iudicij die compenſanda. 162
in Orbe regiones tres. 237
Origenis error ? damones aliquando redimendos. 219. *alius error.* 219
Oſſa mortuorum habita nummorum loco. 7

P.

PArabola inſignes. 37
Paradiſus cœleſtis, verus locus voluptatis. 248
Paradiſi cœleſtis deſcriptio. 248
Paruuli ante baptiſmum mortui, an in Iudicij loco apparituri. 141. *mortui ſine baptiſmo videntur eſſe reſurrecturi.* 142
S. Pauli ad gloriam cœleſtem deſiderium. 71
Pauſanias mortis memoriam habere iuſſus à Simonide. 2
Peccatoru magna cacitas de iudicio extremo non cogitantis. 91
Peccatores teſtimoniis Angelorum confuſi. 147
in Peccatores Deus liberalis. 241
Peccatum mortis eſt cauſa. 25. *duo malorum genera procreat.* 210
poſt Peccatum admiſſum hominis miſeria. 37
ante Peccatum admiſſum carnes nemo comederat. ibid.
abſq; Peccato non fuiſſe vini vſum. 38

Pecca-

Peccata omnia morienti veniunt in mentem. 66. 72
Periclis in morte filiorum conſtantia. 83
Perſa cuiuſdam legati de Roma dictum. 41
Perſa cur mortuos intra domeſticos parietes ſepelirent. 6
Phalaridis tyranni crudelitas. 203
Pharao Ægyptius viſa grandine, auditoque tonitru, manſuetus eſt effectus. 93
Pharaonis ſomnium. 138
Philippus Macedonum rex mortis memoriam ſibi refricari volebat. 3
Philoromi Sacerdotis animi contra mortem fortitudo. 79
Phocion quo titulo domum venalem commendaret. 200
Phreneticos mortis memoria ſanat. 9
Plistonius Philoſophus Thebanorum ad Lacedamonios legatus. 175
Pœna exterior, ſiue ſenſus. 198
Pœna damni grauitas. 211
Pœna infernales an Chriſtianorum ſuffragiis penitus auferri queant. 230. *an diminui non poſſint.* ibid.
Pœnas inferorum æternas eſſe, demonſtratur. 220. *eſſe perpetuas eſt æquiſſimum.* 213
Pœnarum infernalium genera duo. 210. *æternitas conſiderata multos correxit.* 211. *æternitas, articulus fidei.* 222
de Pœnarum infernalium æternitate. 217
in Prælium deſertores Græcorum lex. 76
Præmii ſpe Dauid Goliathum ſuperat. 76. *Moyſes grauiſſima patitur.* 244. *Stephanus ſaxa non ſentit.* ibid.
ad Præmia Deus, quam ad ſupplicia pronior. 154. 163
de Præparatione ad mortem. 57. 58
Preces viuentium damnatis an proſint. 233
Presbytero cuidam morienti quid apparens Angelus dixerit. 70
Principis optimi hieroglyphicum. 160
Prodigi filii regio munus. 297
Prudentia vis & dignitas. 171
Ptolomæus rex mortis imaginem habebat in menſa. 3
Pueri cuiuſdam coram Alexandro Macedone conſtantia heroica. 204
Pythagoras temporum duorum ſenſit memoriam. 143.
Pythagorai animarum tranſmigrationem docebant. 48.

R.

Rachel à Iacob Patriarcha quantopere, ſed caſte, adamata. 238
Rachab meretrix ſola in vrbis excidio ſeruata. 234
Rechab, & Baana ſicarii. 53
Regiones in orbe tres. 237
Regis hieroglyphicum. 160
Regnum æternum theſauro comparatum. 293
Religioſus quidam plorabat ſemper, quoties ignem videret. 227
Religioſi cuiuſdam de teterrimo dæmonum aſpectu teſtimonium. 72. *morientis cum diabolo tentatore colloquium.* 73
Religioſorum in die Iudicii examen. 151
Reprobi iudicandi poſt iuſtos. 159
in Reprobos ſententia ferenda qua. 63. *vide Impii.*
Reſurrectio noſtra ſimilis reſurrectioni Chriſti futura. 284
in Reſurrectione par ætas omnium. 286
poſt Reſurrectionem non erunt in cœlo claudi aut cæci. 289. *nulli gigantes aut nani.* 286
Rhamnuſia Vltionis Dea. 93
Romani triumphatores mortis memores. 33.
Romulus Deos Romanorum cur armatos induxerit. 168.

S.

Saladinus morti vicinus, quid ſibi mortuo fieri mandarit. 11
Salamandra viuit in ignibus. 225
Salomon extremi iudicii memoriam inculcat. 119
Salomonis de morte dictum. 63. *in monte Libano turris.* 171. *maieſtas & ſplendor.* 144. *in vultu maieſtas.* 279. *ferculum de lignis Libani.* 300
Samſonis captiuitas & opprobria. 53
Sacerdotum in Iudicii die examen. 151
Samſonis ſtratagema. 168
cum Samſone mundani comparantur. 241
Sancti ſtellis comparati. 108. *nihil ignorant.* 280. *in cœlo peccare nequeunt.* 263. *quod peccare poſſent Origenes credebat.* ibid.
Sanctorum loci dignitas ipſorum gloriam auget. 295. *aureola.* 286. *robur.* 287
Sanctorum Angelorumque cognitio in cœlo quotidie creſcit. 291

in San-

Digitized by Google

in Sanctorum gloria Deus admirabilis. 238. Vide Beati.
Saul pertinax Dauidis perſecutor 132
Saulis regis conſpectu mortui Samuelis vmbra, puſillanimitas. 79
Sauli regi deliberata mors. 209
Scoti ſententia de Inferorum igne. 205
Secretarii quatuor Chriſtianæ religionis Euangeliſtæ. 70
Senes videre mortis immemores abominatio eſt. 8
Sennacherib. 189
Sennacherib regis clades. 16
Signa quæ iudicium vniuerſale præcedent. 96. in Sole cur futura. 101. quare iudicium præuenient. 103. apparebunt & in luna. ibid.
Signa in ſole Chriſto 103. in B. Virg. Maria. 106
Similitudo à bombycibus. 91
Simonides Pauſaniam iuſſit habere mortis memoriam. 2
Simonidis de Deo interrogati deliberatio. 237
in Sinai monte quando lex data Moyſi. 116
Sirenibus impii, cygnis boni comparantur. 85
Siſamnes iudex à Cambyſe quare excoriatus 175
Socrates in morte, Crœſus in vita, optabat eſſe quidam. 77
Socratis dictum. 78. conſtantia. ibid.
è Sodomitico incendio tantum quatuor ſeruati. 234.
Sol Chriſtus. 129
Sol in die Iudicii luctum induet. 100. 101. toties in ſignum fuit. 101
in Sole ſigna cur futura. ibid.
Solonis ſententia. 2
Species nulla Dei repræſentandi capax. 275
Stellæ omnes non æque lucent noctu. 268
Stellis comparantur Sancti. 106
B. Stephanus ſaxa non ſentit, gloria compenſatione in mentem reuocata. 244
Stephani cuiuſdam religioſi, in agone mortis, cum diabolo tentatore dialogiſmus. 73
Stigmata in maleficis deprehenſa, mortem ipſis accelerant. 154
Stoicorum axioma vulgatiſſimum. 77
Syracuſa patria Archimedis ac Theocriti. 237

T.

TAmberlanis mos in vrbium obſidione. 172
Tempeſtas per terram. 113. in aere. ibid.
Temporum duorum memoriam ſuaſit Pythagoras. 243
Tenebræ damnatorum perpetuæ. 190
Terræ motus ingentes ante mundi finem. 98
Terrena. vide Mundana.
Thebanorum in bonis legibus conſtituendis cura. 175
Theocritus & Archimedes, ambo Syracuſani. 237
Theramenis venenum haurientis magnanimitas, ac dictum. 78
D. Thoma de ignis infernalis actione ſententia. 205. beatitudine opinio. 272
Thracum infantibus natis, aliiſque morientibus conſuetudo. 83
Tobias ſenior mortem precabatur. 82
Tonitrua bombyces ad internecionem terrent. 91. Ceruas parere cogunt. 91. Pharaonem Ægyptium manſuetum fecerunt. ibid.
Topheth vallis Inferno comparatur. 163
Torcular Dei. 181
Traiani hiſtoria vt intelligenda. 230
S. Trinitas in hominis creatione cooperata. 34
S. Trinitatis perſona iudicio aſſiſtent extremo. 121 122
Trophonius & Agamedes architecti, cum delphicum templum fabricaſſent, pro poſtulata mercede ambo eodem die mortui ſunt. 82
Turcarum religioſorum ſuperſtitio. 6

V.

VAllis Gehennon ſiue Topheth. 183
Vanitatum mundi remedium. 12
Vini non fuiſſet vſus abſque peccato. 38
Virtutis pulchritudo. 238
Vita fumo comparata. 81
Vitæ breuitas. ibid.
Viuentium precibus an damnati iuuentur. 233
Viuentium terra, cælum eſt. 236
Viui an pro damnatis orent. 233
Vltionis dies. 108
Voluptatis verus locus, Paradiſus cæleſtis eſt. 73

X.

XEnophontis Socratici, audito filium ſuum natu maiorem in prælio occubuiſſe, æquanimitas. 246

Z.

ZEnonis Philoſophi dictum. 334.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google